Date Due

~~JUN 17 1954~~ H S			

BARCODING PROBLEM

Charge Manually

SCRIPTOR LATINUS

(NOVA ›CIVIS ROMANI‹ SERIES)

Menstruus Ad Linguam Latinam Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

ANNUS VIII:

1910—1911

Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum
Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportuensis

Literatae civitatis una est communis lingua Latina.

Wyttenbach

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem, Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., Baustrasse 10.

Nomina et domicilia

eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislau — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. Th. Elsaesser, Maredsous (Belg.) — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — Dr. J. M. Hoogvliet, doc. priv., Haag — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila (It.) — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — P. Recanatesi, Prof., Osimo (It.) — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach (Bay.) — J. Tasset, Tonnerre — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Index rerum anno VIII° contentarum

Commentationes:

Excerpta:

Carmina et Carminum Versiones:

Typographus: Carolus Wichert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

(NOVA »CIVIS ROMANI« SERIES)

Menstruus Ad Linguam Latinam Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII: Numerus I

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

SCRIPTOR LATINUS

prodit idibus cuiusque mensis mandarique potest per omnes bibliopolas et officia tabellaria nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M.

Scriptorum merces est 36 M pro 16 paginis: iidem solvunt pro subscriptione sua minutum bibliopolarum pretium, i. e. 3.00 M annue, et accipiunt eius numeri, in quo inest commentatio, 3 exempla, scripti ipsius 10 plagulas seorsim expressas.

Epistulae, manuscripta aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur:

Ad Voldemarum Lommatzsch,
Bremiportu (Bremerhaven),

pecuniae vero, libri et libelli, de quibus censurae fiant, epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,

Bibliopolam Hans Lüstenöder,
Francofurti a. M.,
Eschersheimer Landstraße 112.

Nomina et domicilia
eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., .	Glendale
V. Hertel, Parochus, ...	Grossneundorf
J. E. Kenny, Prof. Gymn., ...	St. Paul
Dr. H. Ludwig, „ „ , ...	Stuttgart
F. Palata, „ „ , ...	Prossnitz
Dr. G. Pitacco, „ „ , ...	Görz
L. L. Podobinski, „ „ , ...	Krakow
J. Roberti, Rect. Gymn., ...	Cesena
W. Rösch, Prof. Gymn. em., ...	Heilbronn a. N.
Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., . .	Giessen
Dr. P. Schmid, a cons. stud., ...	Dresden
J. Tasset, ...	Tonnerre
C. Thieme, Parochus, ...	Marienstatt
P. Worms, Prof. Gymn., ...	Meldorf

Scriptor Latinus
Menstruus Ad Linguam Latinam
Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII Francofurti a. M., Mense Maio MCMX Numerus

Amicissimis Lectoribus Salutem!

Civem Romanum quum in lucem ederemus ante hos novem annos, illud potissimum, sicuti ex commentarii nomine apparebat, spectavimus, ut, qui linguae litterarumque Romanarum studio delectarentur, undique toto orbe terrarum conquireremus. Quod quam felici effectum sit successu, augescens in annos lectorum numerus demonstrat. Sed ex amicis amatoribusque sermonis Latini homines commode eo ad quascumque res usuros fieri voluimus, cuius facultatis quum innumera in epistulario editoris exstent testimonia, munere, quod supra memoravimus, nos defunctos existimantes, ipsum foliorum nostrorum titulum mutandum nec tam, ut. colligant Latine scientes, quam ut occasionem scribendi offerant iis, publicanda esse illa censuimus. Hoc eo magis necessarium visum est, quod nos, qui, quum typographo eidemque operis redemptori multis laboribus obruto non vacaret, ea, qua vellet, cura rem administrare, omni fere tempore — ut taceam scholastici muneris officia — cunctis editoris commentarii negotiis operam dare cogebamur, multos saepe fidissimosque amicos neglegi a nobis dolebamus ac paene contemni. Peropportune igitur accidit, ut, quum nulla iam ratio exstaret varias et in dies crescentes res explicandi, virum cognosceremus strenuum, fortem atque, quod caput.est, latinitatis non minus peritum quam studiosum, Hans Lüstenöder, bibliopolam Francofurtensem, qui, qua est liberalitate, sua sponte pollicitus est se commentarium suo imposterum sumptu editurum omniaque facturum esse, ut ad veteres acquirat novos amicos maximeque socios operam suam nobis praestaturos.

Itaque primum hunc ‚Scriptoris Latini' fasciculum foras damus exoptantes, ut, qui se nobiscum consociarunt, divini Romanorum sermonis amatores ex illo tanquam ex perenni fonte non minus honestam hauriant quam iucundam sibi stabilemque animi voluptatem. Valete et salvete!

Bremiportu,
d. 27° Aprilis MCMX

W. Lommatzsch,
Redactor ‚Scriptoris Latini'

De docendi hilaritate eiusque caussis commentatio[1])

(C. G. Koenig, Opuscula Latina. Ed. F. M. Oertel, Misenae 1834.)

Est hilaritatis, cum in omni vitae negotiorumque genere, tum in literarum etiam discendarum docendarumque opere tanta vis atque necessitas, ut haud sciam, an, si a ceteris doctrinae virtutisque praesidiis discesseris, nulla maior publicae scholarum disciplinae commendatio accedere possit. Sed est illa proh dolor! sive communi quadam rerum humanarum conditione, sive hominum ipsorum perversitate rarior, quam velint illi, qui scholarum saluti undique consultum cupiant. Etenim qui in scholis, inferioribus maxime, aditum iuvenibus ad literas aperire instituunt, eos saepenumero cum de aliis loci sui atque muneris molestiis acerbe conqueri, tum illud potissimum deplorare videmus, quod, in quibus instituendis et ad humanitatem fingendis ipsorum versatur opera, minime sint ea ad discendum alacritate, quae saluberrima doctrinae omnis atque sapientiae praecepta et satis cupide arripiat, et in animo ad perpetuam futuri temporis memoriam defigat. Et habent sane, qui ita conqueruntur, viri optimi et officii religione probatissimi, quos cognitores caussae suae atque testes satis locupletes citare possint. Non enim hodie demum aut nudius tertius conquestiones istae fuerunt commotae, sed earum vocibus omnes superioris etiam aevi scholae personuerunt; quod facile possemus, si opus esset, adferendis summorum hominum auctoritatibus demonstrare. Etenim omni aetate, in quamvis magna bonas litteras colentium frequentia et magistrorum doctrina docendique dexteritate, paucissimi tantum fuerunt, in quibus progressio insignis concitatusque ad omnem doctrinae excellentiam cursus appareret; plerique tardius procedebant, bene secum agi existimantes, si non infra eam, qua nihil miserius est, scientiae mediocritatem substitissent. Sed parum utique lucratur bona literarum scholarumque caussa, hac labe, quam nostrae aetati abstersam cupimus, aetatibus superioribus adfricanda et in harum conquestionum societatem vocandis, qui patrum et avorum memoria fuerunt, artium liberalium magistris. Illud operae pretium fuerit, caussas, unde haec pestis exorta sit, et nunc quoque exoriatur, indagare, eique, si possimus, aliquid medelae adferre; semper enim illa conquerendi ambitio, quae nescio quo modo scholasticis inprimis hominibus solet insidiari, plus vanitatis nobis et temeritatis, quam sapientiae atque utilitatis habere visa est.

Atque hic ego nolim infitias ire, quod illa, quam supra commemoravi, discendi alacritas in haud paucis desideratur eorum, qui literarum studiosos dici se haberique volunt, eius rei culpam conferendam potissimum esse in multorum, qui ad haec sacra adiguntur potius quam adducuntur, ingenii tarditatem, nulla fere institutionis solertia, nullis magistrorum artibus, nullis disciplinae machinis expugnabilem. His vero, si quid video, una haec medicina parata est, ut, quo invita Minerva pedem intulerunt, inde ocius exturbentur, et ad illas ablegentur artes, quas veterum consuetudo, nescio an satis liberaliter, illiberales atque sordidas appellavit. Sed bene haberet, si non liberalissima quoque iuvenum ingenia et elegantioris doctrinae appetentissima hoc veluti morbo subinde tentarentur, et languore quodam obdormiscerent, qui et discendi voluptatem perimit, et omnem propemodum scholarum fructum intercipit. Horum enim non paucos videre licet ad ea, quae publicis lectionibus explicantur, arripienda tardiores, praesertim si tenuitate quadam sua et limatiore subtilitate non iucunde satis in aures animosque influant, nec orationis suavitate aliisque illecebris, quibus iuvenilis aetas facillime capitur, commendentur; eosdem vero animadvertimus acerrimo studio ea tractare,

[1]) Exordium orationis, quo auctor quibusdam collegis Scholae Afranae gratulatur de muneribus in ipsos collatis, omisimus, primis expositionis verbis leviter mutatis. Deest etiam peroratio. Red.

quae illi siccitatis fastidio sua quadam laetitia et hilaritate medentur, poetarum potissimum praestantiorum carmina, quorum fontibus ita inundant pectus, tanquam diuturnam sitim explere cupiant. Et est sane hoc fatendum omnibus, qui iuvenilium animorum naturam et usu cognitam et ratione exploratam habent, nulla eos re magis allici firmiusque teneri, quam eorum, quae traduntur, laeta quadam specie et docendi hilaritate; contra nihil facilius eorum retardare impetum, et discendi ardorem restinguere, quam tetricam quandam severitatem et horridas disserendi spinas. Quod quidem cum praeclare intellexissent solertissimi quique literarum scholarumque magistri, ita omnem instituendae iuventutis rationem regendam sibi putarunt atque temperandam, ut, quantum quidem salva literarum dignitate et eorum, qui ad iustam illarum scientiam adducendi essent, utilitate fieri posset, illam doctrinae suae tristitiam abstergerent, eamque facilitatis quadam et iucunditatis dote exhilararent. Quae ratio, per se quidem magnopere probanda, cum suis finibus regenda et rerum, quae traduntur, consiliorumque, quae spectantur, varietate metienda sit, ne in vanitatem inutilem abeat, et ipsi literarum gravitati docentiumque auctoritati obsit, visum est hoc tempore de publica literarum disciplina sapienter exhilaranda quaedam disputare. In quam mentem nos potissimum impulit praeclarus Strabonis locus,[1]) in quem nuper aliud agentes incideramus, quo ille Homerum ab Eratosthenis quadam vituperatione vindicaturus ostendit, poetarum fabulis nihil esse efficacius ad animos puerorum alliciendos et incredibili suavitate deliniendos, eamque suavitatem, ab rerum tum novitate, tum admirabilitate ortam, potentissimum esse ad discendi alacritatem incitamentum; tandemque verissimam hanc sententiam subiicit: ἡ ἡδονή ἐστι τοῦ μανθάνειν φίλτρον. Cui non dissimile est illud Platonis[2]) iubentis πειρᾶσθαι διὰ τῶν παιδιῶν ἐκεῖσε τρέπειν τὰς ἡδονὰς καὶ ἐπιθυμίας τῶν παίδων, οἷ ἀφικομένους αὐτοὺς δεῖ τέλος ἔχειν, et quod e M. Varrone nobis servavit Nonius: Delectatio est pro telo ad discendum.[1]) Nobis autem non tam de rerum delectu, qui maximam partem non est in docentium potestate, quam de docendi hilaritate eiusque caussis breviter nunc placuit commentari.

Et est sane gravioris res momenti, quam quis opinetur, et artis interioris, circumspicere omnia et diligenter explorata habere, quibus et integri iuvenum animi, nec dum opinionum et studiorum vanitate imbuti, severa literarum disciplina contineantur; et vero etiam i', qui saeculi ingenio et consuetudinis pravitate a recto itinere deflexerunt, adversus eas, quae vel optimis ha. d raro ingeniis insidiantur, corruptelas praemuniti in eam, unde aberrarunt, viam mature reducantur. Cuius utriusque rei facultatem persuasum nobis est potissimum docendi quadam facilitate et hilaritate contineri, quippe qua efficiatur, ut pueri literas amare incipiant, easque humanissimae voluptatis effectrices esse non aliena auctoritate commoti, sed suo ipsorum sensu inducti certissime credant. Sed illa docendi hilaritas ne in aliam, quam quae nobis probatur, sententiam accipiatur, etiam atque etiam cavendum est. Nihil enim est alienius a literarum gravitate, nihil, quod magis dedeceat personam eius, qui rerum maximarum publice tradendarum munus sustinet, quam eiusmodi iocandi intemperantia, quae id unum agit, ut ridendi materiam anquirat, eamque iuvenibus sine modo ac ratione ingerat. Quae si in illiberalitatem etiam, quod fieri adsolet, abierit, nec dictorum scurrilitati pepercerit, tantum abest, ut ferenda sit, ut coercenda modis omnibus et eiicienda videatur. In quo genere si forte olim peccatum fuit a nonnullis, qui in scholis maioribus audientium coetus non alia ratione facilius allicere se allectosque retinere posse putarent, eam illiberalitatem sapientissimi cuiusque iudicio damnatam nunc proscriptam ex illis quo-

[1]) Lib. I, 2. p. 50. ed. Siebenk.
[2]) De Legg. I. p. 42. ed. Bip.

[1]) Vid. P. Victorius Var. Lectt. XV, 2.

que exulare confidimus. Nos quidem illam voluptatem et hilaritatem honesti et decori finibus cohibendam, et literarum, quae traduntur, varietati atque consilio diligentissime attemperandam esse iudicamus. Nimirum ex ipso docentis ore et explicata fronte eminere volumus laetam quandam alacritatem, quae ostendat, ipsum non invitum ad docendum prodiisse, sed partim rerum, quas tradit, praestantia, partim vero etiam discentium amore inductum lubenter et cum voluptate quadam suam iis navare operam. Quod quidem ex ipso etiam vocis sono et disserendi ratione ita apparebit, ut discentes facile sentiant, et iucundissime inter audiendum moveantur. Et gratissimo profecto animo hanc felicitatem suam agnoscent, quibus contigerit magistro uti non arido, ut Quintiliani [1]) verba mea faciam, qui maturitatem illorum festinet, et musta in lacu statim austera esse cupiat; sed iucundo, qui ipsa etiam remedia, quae natura sunt aspera, molli manu lenire didicerit.

Atque tali ingenio disserendique amoenitate insignem fuisse Socratem nemo ignorat, qui sermones eius a Xenophonte literis consignatos cognoverit, quorum plerique ita sunt dicendi suavitate conditi et urbanitates sale perspersi, ut eos nisi iterata lectione contritas vix de manibus ponas. Verissime de illo Galenus [2]) Σωκράτους Μοῦσα, inquit, μιγνύει ἀεὶ τὴν σπουδὴν ἐν μέρει παιδίας. Atque talem nobis illum etiam Plato exhibet, cum alibi, tum in Phaedro p. 355. ed. Bip. iucundissime scilicet disserentem et iocandi urbanitate suos exhilarantem (προςπαίζοντα ἐν λόγοις παράγειν τοὺς ἀκούοντας). In quo magistro ipse suo nonnihil dissimilis fuisse, et ab illa docendi hilaritate admodum abhorruisse videtur, unde natum fortasse illud est, quod habet Aelianus [3]): Ἐν Ἀκαδημίᾳ μηδὲ γελάσαι ἐξουσίαν εἶναι. Quod etsi non in eam sententiam ego acceperim, quasi Plato hilaritate suis plane interdixerit, qui ipse verissime ait [4]): ἄνευ γελοίων τὰ σπουδαῖα οὐ δυνατὸν μαθεῖν, εἰ μέλλει τις φρόνιμος ἔσεσθαι, severius tamen illum egisse facile crediderim, quippe cuius et animus, si Diogeni Laert. III, 26. fidem habemus, ab illa Socratis facilitate et aequabilitate abhorreret et disputationes non, ut Socraticae illae, vitam humanam amplecterentur, sed in summa reconditarum rerum subtilitate maximam partem versarentur.

(Absolvetur proximo numero)

[1]) Institut. orat. II, 4. p. 274. ed. Spald.
[2]) De usu part. I, 9.
[3]) Var. historr. III, 35.
[4]) De legg. VII. p. 816. ed. Bip.

Oratiunculae Latinae,

quas variis olim occasionibus habuit
Guilelmus Roscius Heilbronnensis.

I.

Sermo apud Primanos natalem Christi celebrantes habitus.

Commilitones carissimi! Apud Tacitum legimus majoribus nostris hoc moris fuisse ut neque parietibus Deos cohiberent neque in humanam speciem adsimularent, sed lucos ac nemora consecrarent, secretum illud quod sola reverentia viderent venerantes. Unde mihi profectum videtur ut nostri quoque homines, praesertim adulescentes, non modo verno et aestivo anni tempore nihil antiquius habeant quam per silvas et saltus vagari, sed hieme etiam, libero excursu impedito, arborem illam perpetua viriditate florentem ex silvis repetant, ut hoc exemplum immortalis vitae in rerum natura diffusae luminibus accensis tanquam signum et pignus divinae animorum salutis per Christum oblatae colant et observent. Itaque magnopere delectamur videntes et testantes vos quoque hunc morem patrium et Christianum voluisse communi et solenni apparatu celebrare. Ceterum nolite timere ne hoc alieno sermone diutius aures vestras fatigem. Neque enim me fallit fugit praeterit quod poeta ille Romanus apud Scythas queritur: Barbarus hic ego sum, quia vix intellegor omni, neque aliud quidquam nisi varietatem quandam huic sollenni afferendam censui, reliqua vero quae super corde habeo versibus utcunque patrio sermone conclusis proferam

2.

Sermo in Convivio Collegarum anserem Martino sacrum comedentium habitus.

Collegae amicissimi, nolite mirari, si ante mensam secundam surgo nonnulla verba facturus. Scilicet cum caritas altilium et avaritia Cauponis tum „noster magister Beutelius“ [1]) hoc nobis luxu interdicunt. Itaque non alienum videtur epularum spatium dicendo producere. Ut autem Latino utar sermone, non furore quodam impellor scholastico, quem ut saepe ita frustra nostris quoque scholis injungere Collegae boreales voluerunt, sed ipsa re et exemplo. Quae enim maior arctiorque quam anserum cum philologis antiquitatis Romanae studiosis cogitari potest conjunctio? Et mehercule, quae aves Junoni, ut ferunt, sacrae Capitolium Romanum servaverunt abhinc fere II milia trecentos annos, eas, si loqui animalia Deus voluisset, mihi quidem persuasissimum est Latino Sermone fuisse praediturum. Quantopere autem illae aves de humanitate, rerum historia, artibus ac literis sint meritae, dici vix potest. Primum enim, nisi illae servatrices Capitolii exstitissent, quid de nobis futurum fuisset, nonne in omne tempus barbarie tectum obrutumque fuisset nomen Germanicum, triumphasset Gallicum? Porro nisi Capitolium esset servatum, qui esset locus in historia Tiberio Graccho, qui in area Capitolina optimatium manu est oppressus? Sublatis autem Gracchis ex annalibus, ubi mansisset exemplar illud educationis Cornelia mater Gracchorum? Deinde qui cygnus ille Venusinus immortalitatem sine Capitolio potuisset consequi, siquidem usque se postera laude cresciturum canit, dum Capitolium scandat etc.? Item postea sella S. Petri ubi potuisset collocari Roma cum Capitolio ex hominum conspectu sublata? Quid? quod nostrorum quoque hominum in litteris et artibus laus et gloria in irritum cecidisset et neque Dahnii [1]) et Dahniae volumina de extremis Romae fatis neque Ecksteinii [2]) neque tot aliae narrationes Romanicae potuissent vel scribi vel lectores invenire. Agite igitur pro his tot tantisque anserum cum de genere humano tum de collegio et ordine scholastico meritis debitum huic avi nos quidem qui adsumus honorem tribuamus, absentium non sine pudore et probris meminerimus conclamantes: Vivat floreat crescat foedus anserino – scholasticum!

[1]) In themate examinali haec verba „unser leerer Beutel“ a candidato quodam sic Latine sunt expressa.

[1]) „Ein Kampf um Rom“.
[2]) „Nero“.

Famuli Plautini
Mense Decembri Anni MCMVII in Schola Westmonasteriensi Acti
Prologus et Epilogus

I

Prologus

BENE est si vos valetis : ego—sed Prologum
Vocem decet esse tantum et praeterea nihil.
Et quia tam multa habeo dicenda, exordium
Eis faciam de rebus quae festo die
Ludisque hilarique voltu conveniunt minus.
Nam sicut agnos vespere ad praesepia
Cogit numeratque sedulus pastor suos,

Ita mater alma nostra hiberno tempore
Caros alumnos huc et adfines vocat,
Laetoque vos excipiens amplexu, tamen
Oculis prospectat anxiis desiderans
Dilecta capita quae nunc primum absunt loco.
Ubi illud, queritur, ubi par fratrum[1] nobile?
Ubi ille belli,[2] pacis alter[3] artibus
Insignis? Ubi honorata canities senis[4]
Qui iuvenis tulerat inter omnes lauream
Invictus rediens quovis ex certamine?
Hos ipsa gremio fovit, sed luctu pari
Alios requirit quos amore mutuo
Inter suos iamdudum merito adsciverat.
Consiliis aderat unus[5]: alter,[6] strenua
Virtute in omne tempus admirabilis,
Puerile examen instituebat ut viri,
Ipsius instar, officium cottidie
Deoque civibusque praestarent suum.
Sed haec mittantur tristia, saltem aliquamdiu
Renovamus hodie, si placebit, memoriam
Longe petitam: nam decem vel amplius
Sunt lustra ex quo, detrusa iudicio nimis
Severo, nostra hinc exulat comoedia.
Successit mox, ut scitis, in vacuum locum
Trinummus, Plautinarum non quidem optima
Sed enim meliores aliam scenam postulant.
At non ita pridem vir pietatis et ingeni
Doctrinaeque omni dote locupletissimus,
Newmannus ille, Cardinalem quem vocant,
Cum nollet lepidas artes obsolescere
Oblivione positas et turpi situ,
Viam monstravit qua, centum quasi versibus
Minor et novo *Pincerna* ornata nomine,
Posset theatro tandem reddi fabula.
Eum secuti auctorem et eius spongia
Usi calamoque saepius, librum tamen
Ita nostri gregis in morem iam refecimus
Ut nostrum *Famulum* nomen deceat indere.
Nunc vos penes est arbitrium: vestris plausibus
Comoedia restituta si possit frui,
Sat nobis fiat: namque ut delectemini,
Hoc solum curae est, hoc captamus praemium.

---

1) **Christopher E. Balfour,** primus quondam classis suae, discipulus scholae 1886—9 et **Reginald** B., discip. 1888—93, filii clmi viri A. Balfour

2) **George Granville Randolph,** praetor navalis, prim. class., discip. 1829—30

3) **William Waterfield,** discip. 1846—50, civilibus officiis in India functus

4) **Edmund Charles Burton,** discip. 1841—5, praeses, Remigum Oxfordensium', in cursu equestri ter victor proclamatus

5) **George Valentine Yool,** e consilio universitatis Cantabrigiensis

6) **William Gunion Rutherford,** rector scholae 1883—1901

II

Epilogus

Personae:

Laches	*scriptor festivus peregrinans*	J. R. Wade
Parmeno	*baiulus ferriviarius*	J. Benvenisti
Pythias	*famula*	M. Hammond
Phaedria	*poeta scenicus*	G. G. Williams
Gnatho	*actorum editor titulis ornatus*	K. R. H. Jones
Chaerea	*Corinthius*	J. C Gow
Dorus	*custos publicus*	H. N. Wood
Thraso	*Hibernus*	A. S. R. Macklin
Sanga	*socialistarum dux*	A. E. F. Wood
Thais	*Americana mulier athleta*	R. M. Barrington-Ward
Chremes	*telepathistae*	C. M. Covington
Sophrona	*telepathistae*	G. L. Troutbeck.

Personae mutae:

Simalio	*servi ferriviarii*	D. M. Griffin
Donax	*servi ferriviarii*	E. E. Wood
Syriscus	*servi ferriviarii*	H. J. Davis

Scena: Area inter viae ferratae stationem et deversorium. Laches conspicitur extra stationem cum pera viatoria. In extrema scena stant Parmeno et alii servi ferriviarii vehementer confabulantes.

La. *(horologium inspiciens)*
Nonne recordandumst me pervenisse diebus
Quattuor, horis sex, trans mare ab America?
Mauretania me vexit: Germania tandem,
Ut decuit, laurum cessit Atlantiacam.
(lassa voce) Sic transit. Porta! num quis portare meas res
Vult?
Pa. Ego. *(secum)* Nigrum crus et mihi corpus erit
Verberibus totum, si illis me iungere nolam.
La. Quin portas?
Pa. Vetitumst: hi mihi pacifice
Persuasere; vetat nos unio nostra operari
La. *(mordaciter)*
Atque haec Libertas, credo, vocatur.
Pa. Itast:
In directores dux bellum edixit, et illi
Parendum a nobis: ille ferire iubet:
Danda recognitio, merces maior, breviores
Horae. *(abit cum comitibus)*
La. Si bene quid vis fieri, facias
Ipse.
(portat peram ad deversorium et pulsat ianuam)
Heus, heus, aperite! ecquis res has feret intro?
Py. *(aperiens)* Salve: ego conabor. *(cadit)*
Me miseram, perii!
O succurre mihi cito.

La. Laesane es?
Py. (*cubitum fricans*) O, vereor ne
Fractus sit cubitus.
La. Curre cito ad medicum!
Py. Quam dolet! O! Dabitur sed compensatio certe. *(abit)*
La. Non dolor hic, credo, fraude doloque caret:
Os modo ridiculum laesit.

[*Prodit* Phaedria]

Ph. Salvere— -
La. Vocat quis?
I modo!
Ph. Sis clemens: non sum ego qui videor.
La. Non ego te agnosco.
Ph. Fabianus maximus, exsto
Dramaticus princeps, Shaksperio melior.
La. *(magnifice)*
Virque superque virum, iubeo salvere, theatri
Clare reformator.
Ph. Primum abolendus erit
Censor.

[*Prodit denuo* Pythias *brachio mitella obvoluto, sequitur* Dorus]

La. Eho?
Py. Haud fregi quidquam, sed damna rependent:
Hoc habitu abstruso, et dote parata—
Do. *(secum)* Quid o!
Py. Nubere nunc potero.
Do. *(secum)* Cur me proponere cesso?
La. Gratulor: at quid vis?
Py. *(chartulam tradens)* Hoc tibi nescioquis
Mittit.
La. Colloquium mecum vult editor; ohe,
Nec mora nec requies ulla!
Ph. Tui miseret
Me; sed cur quereris? nam coepit in America ista
Inter vos primum surgere tale malum.
La. Extra duc hominem!

[Pythias *aperit* Gnathoni *ianuam, ut exeat, et abit cum* Doro]

Gn. Quam blande colloquium das!
La. Sed tibi quid dicam vis?
Gn. Tibi quod placeat:
Quicquid agunt homines, nostrist farrago libelli.
Ph. *(secum)* Et quae non faciunt.
Gn. Scilicet omne benest,
Si advertis mentem populi ad novitatis amorem.
(acta diurna promens) Tune hoc vidisti?
La. Non ego: dic, quid id est?
'Limerici versus?'
Gn. Res summaest simplicitatis:
Scripsimus en versus quattuor; unus abest.
La. Suppeditandus erit?
Gn. Recte. Contendere vobis
An placet, ut versum suppeditetis?

La. Ph. Ita.
Gn. Una prior fit conditio—
Ph. Scio ; parvulus ordo
Post mittendus erit.
Gn. *(contemptim)* Non satis iste mihi
Res agitur multo maior : cedo uterque trinummum.
La. Ph. En, cape.
Gn. Victori praemia larga dabo,
Phonographumve pianolamve—quid eligis?
La. O, da
Phonographum : ioculos quot mihi perpetuos
Servet. At audiat haec tantum—vel qui venit ecce
Athleta. [*Prodit* Chaerea]
Gn. O iudex optime, visne?
Cha. Volo.
La. (*legens*) Id studiumst stupidorum—
Ph. (*legens*) abolere domum dominorum :
La. (*legens*) Nequiquam pignus dant—
Ph. (*legens*) populumque agitant.
La. *(meditatus)* Vis valida est titulorum.
Ph. *(significanter)* Ita gaudeat emptor honorum.
Gn. Hem, quid ais? Mene hoc dedecore insimulas?
Cha. Non nostrum inter vos tantas componere lites :
Advisari vult curia (*Secedens et nummum iactans*) Sunt capita.
(*ad* Phaedriam)
Tu vincis.
Gn. Meritam mercedem hanc accipe victor.

[*Prodit denuo* Dorus]

Do. Hem, quid vos agitis? Ludere nempe vetat
Lex coram populo pro nummis.
Ph. Num locus intra
Legem hic est?
Cha. Stultum hoc desipere in loco erat.
Do. Dicite quisque suum nomen : quo in vico habitatis?
La. Lusor ego infelix : ille trinummus abit.
Do. Admoneo ; quicquid dices, scribam : id documento
Contra te esse potest.
Gn. Parce metu ; error hic est ;
Hoc non fortuitumst, sed summorum ingeniorum
Certamen. Dictum hoc officiale lege. (*tradit ei librum*)
Ph. Corpore in inculto hoc penitus latet ingenium ingens.
Gn. (*secum*) Saltem inflare tubamst callidus ipse suam.
Ph. (*auscultans*) Saxa domos vitreas habitantibus haud iacienda.
Do. (*murmurans*) Semper idem.
Gn. Ah ! rem non constabilire potes.
Do. (*secum*) Suspicor, at metuo periuri crimina falsa :
Lictori haud felix sors, mihi crede, datast.
(*abit*)
La. (*ad* Phaedriam) I comes huc intro ; victus volo ab hoste doceri.
(*abeunt*)
Cha. Non tolerandum hoc est, associata manus
Quod directorum effatur. Nos nostra regamus
Dissociati istis.

Gn. Tune Corinthius es?
Cha. (*superbe*) Nec cuivis homini contingit adire Corinthum.
Nos ludi causa ludimus, ast alii
Pro lucro; neque nos leges patiemur iniquas,
Quas isti servis imposuere suis.
Voce mea effabor: nobiscum, si quis amator
Est puri ludi, se comitem associet.
Gn. Macte puer virtute. (*secum*) Placet pars altera nobis.

[*Prodit* Thraso, *qui acta tollit*]

Thr. 'Limerici!' o patriae nomen, ave!
Gn. (*secum*) Quid agit?
Cha. Δὶς κράμβη θάνατος. Crambo repetita trucidat
Athletas miseros, iudiciumque frequens.
(*abit*)
Thr. (*suspiciose*)
Olfacio murem; video ecce per aera nantem;
Praecidam in gemma.
Gn. Hoc est male sanus homo.
Thr. Begorra! oppressis, credo, minitantur Hibernis
Damna nova. O domini, quos ego—
Gn. (*sollicitus*) Quo fugiam?

(Absolvetur proximo numero)

Carmina

In Zeppelini Berolinum Facto Itinere

versus scripsit

Guilelmus Roscius Heilbronnensis.

Ende gut — alles gut.

Schon röten sich die wilden Reben,
Und mählich welkt der Bäume Laub,
Zum Abschied rüstet sich das Leben,
Bald nimmt der Winter seinen Raub.

Kurz dauerten die schönen Tage,
Der Sonne Wärme hielt nicht stand,
Der Himmel hörte manche Klage,
Und manche Hoffnung ward zuschand.

Doch Grosses sahen wir vollbringen,
Was dauert in der Zeiten Flucht,
Stolz sahen wir ein Werk gelingen,
Das überwand der Schwere Wucht.

Die Lüfte sahen wir bezwingen
Und unsern Grafen Zeppelin
Erproben seine Zauberschwingen
Vom Bodensee bis nach Berlin.

Und durften also wir erleben
Ein Werk, das seinesgleichen sucht,
So lasst uns Gott die Ehre geben
Und danken für des Jahres Frucht.

Finis coronat opus.

Mutat colorem silva nec amplius
Durant virentes arboribus comae,
Vitaeque rariora signa
Frigore mox hiemis prementur.

Parum serenos ac gelidos dies
Solare lumen sparsit ab aethere,
Nostratiumque triste caelum
Saepe fefellit opinionem.

Opus sed ingens vidimus effici
Et, jure dicas, aere perennius,
Vim ponderis nutusque rerum
Ingenium superavit acre.

Septentriones versus ab infimis
Lacus Bodani finibus impigre
Alata navis Zeppelini
Appulit ad Beroliniam Urbem.

Tam rara postquam praemia et exitum
Longi laboris ferre datumst viro,
Quin Numini grates agamus,
Munera dum revocamus anni.

Lacrima Matris

Terribilis quondam repetebat Tartara daemon
Hinc tandem rapiens praedam sibi saepe petitam:
Femina erat multis vitiis maculata diuque
Inferno concessa Duci; nunc denique portat
Hanc humeris gaudens, solito iam cogitat ignes
Ardentes magis, atque fores vix attigit, omnes
Convocat hinc illinc magno clamore ministros:
»Eia agite, atque diu captatam noscite praedam,
O famuli, de qua vobiscum saepe loquebar,
Arripite hanc flammisque involvite, luceat aether
Iam noster fulgore novo, non sulphura desunt
Hic, ut opinor enim, nec pix nec pinea taeda;
Materiem versans agitetur sedula furca,
Nec manibus vestris nec follibus otia dentur!«

Tartarea ad iussum se accingit turba laborem,
Fervet opus; sed enim nova quae miracula cernunt?
Non fervet fornax nec mittunt sulphura flammas,
Languida materies iacet hic, hic victima poenam
Non ullam patitur, nam vixdum lambere flamma
Incipit exstructae quaecunque levissima molis,
Desuper una cadit quae comprimit omnia gutta.

Attonitus novitate mali grex impius haeret,
Advocat et rauca metuendum voce magistrum.
Qui simulac sensit sibi quae ludibria fiant
Cognita nunquam antehac, nec causam intelligit ullam,
Evolat atque Dei mox celsa palatia tangit.

Vestibulum servans hunc Petrus noscit et: »heus tu,
Quo properas? tenebras repete et tua tristia regna,
Infelix, non haecce patet tibi ianua sancta!«

Vocibus at gravibus minime conterritus ille
— Audacem ira facit — »licet huc intrare negetur
Usque mihi, nunc nunc infernus ego ille tyrannus
Jure meo venio deceptus fraude pudenda:
Quae mea sunt repeto, vos vos mihi fraude doloque
Eripitis promissa diu tandemque soluta:
Vos mea ne fiat, quamquam est mea, tenditis umbra,
Qua potior venit longo mihi tempore nulla.
Nilne pudet superos? Quae sit si quaeritis illa —
At non quaeretis, non tanta oblivia Caelo.
Femina non unquam conspexit sidera vestra
Ulla antehac tam iure mihi damnata, sed ecce
Nequiquam hanc poenas iamdudum pendere cogo,
Quas meruit: nil flamma valet, nil sulphura possunt:
Turpiter ars mea cuncta iacet, labor irritus omnis,
Nec tamen ulla latet servorum culpa meorum,

Non, ut opinor, iners nec muneris inscia turba
Est mea, sed quod nunc turbat conamina nostra
Hinc, hinc omne venit: vidi puduitque videre
Nescioquid liquidi, quod, quamvis exiguum esset,
Illabens subito nostros restingueret ignes:
Agnovi superos, decet haec fallacia Caelum.«

Suaviter hic Petrus ridebat, risus at ille
Maestitiae placidae, quae mollia pectora tangit,
Testis erat, miroque oculi splendore nitebant.
Composito tandem vultu sic fatur — at illi
Labra tremunt — »o, cui vanum clementia nomen
Semper erat, nunc nosce tuam quod flectere mentem
Forte queat: nosces quae sit fallacia caeli:
Quam vos aeternis petitis nunc ignibus umbram,
Non indigna quidem, nobis auctoribus, istis
Sedibus est, ea vita fuit quam Sancta caterva
Quamque hominum quoque plebs indignabunda videret:
Angelus haud illam cupiat defendere quisquam
Mortalisve ullus cupiat . . . praeter tamen unam:
Una fuit, sontes quae cum iam clauderet istos
Mors oculos, lacrimas misit, quas miserat antehac
Saepe, suos monitus quoties cognovit inanes.
Non obstare malis, potuit modo flere peracta,
Nunc quoque flere potest — et quod conamina vestra,
Donec erit maior caeli vis, irrita reddet,
Lacrima matris ea est: domat haec incendia poenae.

(Secundum narrationem in »Foliis Volantibus«)

I. I. Hartman
Lugd. Bat. kal. Mai. a. MDCCCCX

Verborum probatorum novas novis in rebus iuncturas

quaerebat

Jacobus Tassetius.

VII. Propter Aquas Deversantium Candida Lusio

Kantia. — Nemausa filiaeque, quid agitis? —

Nemausa. — Ego a medicatione parumper acquiesco, filias meas pertaedet loci. —

Helena. — Sex una domi solemus vivere; hic tres sumus: tres absunt. —

Victorina. — Itaque dum matris exspectamus curationem, acu pingimus assidue. —

Kantia. — Ego quoque maritum desidero, quem urbis negotia tenent; nec contra taedium minus quam contra morbum nobis repugnandum puto. Quidni festivum aliquem ludamus ludum, quo pellamus ex animis aegritudinem, et convictum laetiorem efficiamus nostrum. —

Victorina. — Sophos! —

Helena. — Hoc erat in votis. —

Nemausa. — Equidem censeo. —

Kantia. — Etiam nunc aggredi huc Antonium video, familiarem vestrum. Imo Doris quoque advenit cum cognato suo Paulo. Accedit Lucius. Num vultis, viri feminaeque, ludum aliquem ludere, qui domus desideria, et animi peregrinantis tollat aegritudinem? —

Antonius. — Nihil, mea quidem sententia, potest fieri iucundius. —

Paulus. — Id etiam, mulieres, ut per vos liceat, rogamus. —

Lucius. — Quod hae volunt, ego quidem volo. —

Doris. — Quemnam ludemus ludum? —

Kantia. — Num Sedentem Hariolum vultis, an Connubia, an Mappam et Nomina? —

Doris. — Haec quae sint, dic, amabo? —

Kantia. — Obligatis oculis, in cuio gremio sedeat, coniectura indagandum est hariolo. Connubia ludentes ubi, altero ordine feminae, mares altero, e regione consederint, procos sequestra, quos ipsa singulos in singulas elegit, illarum unicuique clam nominatim insusurrat. Procis est postea singulis sua sponsa coniectatione quadam ac divinatione adeunda. Si recte senserit ille, sponsa vultum suavio praebet; si erraverit, eum aversa non respicit. —

Antonius. — Festivus quidem est ludus, sed virorum numerus minor feminis non respondet pluribus. —

Helena. — Mappa iucunda est satis. Quam si considentium in orbem unus ad alium necopinantem iecerit, simul atque syllabam pronunciarit, huic aliquod, adiecto necessario subinde sono, perficiendum est vocabulum. Qui statim non responderit, dabit pignus, poena postea redimendum. —

Paulus. — Placet hic ludus, si videtur. —

Victorina. — Ecce mappam. Cavete! or?

Lucius. — do. Hys? Da pignus, Helena; debuisti respondere: trix. —

Helena. — Etiam graeca in puellas obiicis, grammatice! —

Kantia. — Visne pignora, donec omnes dederint, servare, Nemausa? —

Nemausa. — Custodiam, Kantia, libenter. —

Pignorum Redemptio

Nemausa. — Poenas pignoribus redimendis, Kantia, dices. —

Kantia. — Aversa ut sedeam a te, oportet, ne pignora cuia sint videam. —

Nemausa. — Quam mulctam ad hoc destinas? —

Kantia. — Exspecta modo, dum poenarum meminerim. Sunt: Horae, Dona, Series, Onustus Asellus, Suavium Virginis, Iter Cythereum, Sancti Jacobi Semita. —

Nemausa. — Mitius indicendum censeo. —

Helena. — Iter Cythereum. —

Kantia. — Esto. Cuium pignus? —

Antonius. — Meum est: —

Kantia. — Iter Cythereum cum Helena facito. —

Helena. — Bona verba, non dixi: mecum! —

Antonius. — Attamen dux, obsecro, sis huius itineris, quod fieri iubes. —

Helena. — Age, si vis. —

Antonius. — Quid ergo agendum est? —

Kantia. — Huic seorsum e conspectu abductae clam suavium alicubi dato. Deinde huc cum ea redito. Quam partem osculo tetigeris, socii coniecturis dicent. —

Antonius. — (secum) Maxima debetur virgini reverentia. Nulla puella mihi visa est unquam sanctior. O bracchia Junone digna, sed quae non dedecere Dianam item existimo. (Palam Helena) Licetne, puella, manui tuae dem suavium? —

Helena. — Da, licet, bone vir. —

Antonius. — Num redimus in circulum? —

Helena. — Redeamus. —

Kantia. — Quo suavium sit ingestum, dic, quaeso, Victorina? —

Victorina. — In frontem. —

Helena. — Non est; frontem meam oscula, Antoni. —

Kantia. — Quo, Paule, tibi videtur? —

Paulus. — In genam.

Helena. — Oscula genam, Antoni. —

Kantia. — Quam putas partem, Luci? —

Lucius. — Manum. —

Helena. — Sic est.

Kantia. — Manum oscula, et recipe pignus.

* * *

Nemausa. — Ecce aliud, de quo ferenda est sententia. —

Kantia. — In hoc recuperandum Semitam Sancti Jacobi indico. —

Victorina. — Hic annulus meus est. —

Kantia. Sanctum Jacobum stantem dum supplex aggrederis, concepta verba ter pronunciato: »adoro

te, maxime, sanctissime Jacobe, sine risu, neve fletu«. Si ridebis, erit iteranda supplicatio. Sed sancto opus est admodum ridiculo, qui sannas maxime calleat. —

Doris. — Sannis cognatus hic meus pollet admodum! —

Paulus. — Sed hi non habent istic cognatas, quae commendent ipsos. —

Kantia. — Praestat quam hi certent sannis, commutare tuam, Victorina, poenam. Et Horis potes sacrificare. Averte modo oculos, et illic hora quota sit, respondeto? —

Victorina. — Prima. —

Kantia. — Quota illic? —

Victorina. — Quarta est. —

* * *

Kantia. — Tot oscula unicuique oportet ut des, quot horas tunc dixisti elapsas, quum eumdem indicabam manu. —

Victorina. — Unde osculorum, obsecro, nanciscar istam copiam? —

Kantia. — Forsitan ex iis, quae tibi data sunt ante. —

Lucius. — (secum). Spirat mirum caritatis fervorem virgineus hic vultus: pergratum sapienti, caelesti profecto aethere ortum atque condignum. —

Kantia. — Quam suaves et blandae sint hae dulcissimae sorores! —

Lucius. — (secum) Multum suavitatis inest in Kantiae genis, leni insuper perfusis odore. Si suavia septem Doridi deberem, quattuor in manus ei tribuerem: ne satietatem fastidirent genae. — .

Kantia. — Nunc, Victorina, si sororis gremio satis incubuisti, reddo tibi annulum tuum. —

* * *

Kantia. — Qui pignus hoc suum recipere velit, aversus et tanquam Fatum caecus, clam se significata largiatur sociis dona. —

Lucius. — Oculos ad parietem averto. -

Kantia. — Hoc cui das? —

Lucius. — Kantia, tibi. —

Kantia. — Hoc? —

Lucius. — Paulo. —

* * *

Kantia. — Et hoc? —

Lucius. — Doridi. —

Paulus. — Ad hoc tollenda est pone tergum castula! —

Kantia. — Nunc ad consessum converte oculos, et quid cuique dederis, audito. Cor tuum mihi dedisti. —

Lucius. — Ergo non ita caecutiebam. —

Kantia. — Helenae dono dedisti talitrum; Antonio, colaphum; Nemausae, promissum passis digitis nasum. —

Lucius. — Mene in bonam matremfamilias produxisse nasum! Meimet non videor fuisse similis, nisi multo magis quam Fortuna caecus! —

Kantia. — Perge modo ausculare: Victorina est alapam per te sortita; Paulus, ictum calcis; denique Doris pulsationem sessiles in toros impactam! —

Lucius. — (secum) O utinam et illuc liceret huic flavae, candidae, nitidae puellae plagas ingerere molliculas! (Palam) Horresco audiens! Haec somnia sunt sceleris! Bonum fortunatumque est, quod verbo tenus sunt, non re commissa. —

Kantia. Cavemus et tu caves, ne qua licitos ultra risus et ioci fines lascivus aberret genius. Maior conceditur licentia ludendi modestis.

Ex Epistulario Redactoris

Voldemaro Lommatio salutem.

Simul atque, vir doctissime, in manus nostras pervenit Civis Romani numerus paginamque evolvimus casu oblatam, — pro di immortales! —

obstupui steteruntque comae,
vox faucibus haesit!

Quid enim, nonne Tu quoque, latini sermonis arbiter peritissime, sacram illam Musarum cohortem obductis frontibus gemitum ab imo pectore daturam esse putabis?

Num periculum esse negabis, ne Apollo Marsyam poetarum vatumque chori principem declaret, quotiens Civis qui vocatur vere Romanus carmen protulerit, quod a prosodiae legibus bis abhorreat?

Sed vituperare licentias nimis poeticas molestum est; mederi erroribus longe praestat. Itaque versus illius carminis vitiosos tales, si placet,

legere poteris, quales altera huius epistulae pagella tibi exhibebit.

Denique ex Te quaerimus, num Iabalahae tertii vitam, quam Tibi, priusquam ulnam sinistram infesto casu lapsi frangeremus, dono misi, a tabellario publico acceperis.

Si vales, bene est. — Scripsi in celeberrima G...orum urbe ante diem sextum kalendas iulias 1909.

H...

R... Lommazio S. D. Pl.

Habes alia nonnulla exempla meae quondam Latinitatis, griphus solum nuperrime est inventus. Quodsi aliquod his commentis tribues, nihil aliud velim mihi muneris referas nisi ut VI mensium insequentis anni Commentarios mihi mittas.

H... ineunte Novb.

Vale.

Sententiae

Genus, forma, vires, opes, divitiae, cetera, quae fortuna det, aut extrinsecus, aut corpori, non habent in se veram laudem, quae deberi virtuti uni putatur: sed tamen, quod ipsa in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda etiam in laudationibus.

Cicero

Est summa laus, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non praetulisse se aliis propter abundantiam fortunae, ut opes et copiae non superbiae videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem et materiam dedisse.

Cicero

Responsorium

W. A.: Tuas ad cognoscendos scriptores discendaque verba chartulas gratissimo pectore accepi. Sunt profecto non ludi tantum, quos ipse dicis, sed veri lusus ingenii, apti utique, quibus animi iuvenum et alliciantnr ad litterarum studia et conformentur. Persuadeas tibi me nihil praetermissurum, quin commendem illos lectoribus teque de censura mea certiorem faciam. A te vero, qui ista tua opera multos noveris latine scientes, vehementer peto, ut mihi data occasione quaedam nomina virorum indices, quos sperare liceat Scriptorem Latinum esse lecturos. Valeas.

H. T.: Verum est atque molestum auctorem illum bis vehementer „oblucuviasse", molestius etiam, quod errores a me, latinitatis sociorum, ut ita dicam, custode, non sint correcti. Sed ego plagulas a poeta ipse inspectas typographo tradidi opinans nihil superesse vitiorum. Qua me deceptum esse opinione valde doleo. Pro Iabalahae Vita sero hodie, sed haud minus laeto animo gratias ago. Nonne licet ea uti in conscribendo S. L.? Multa notis inesse syriaca gavisus cognovi, cui linguae vellem plus studii impendere possem. Negat tamen multitudo negotiorum. Potesne mihi indicare grammaticam, quae contineat varios textus transscriptione et versione interlineari instructos? Ego non habeo nisi Nestlei Gramm., Crinesii Gymnas. Syr., Opitii Syriasmum Restitut., Sachavii Ined. Syr. et Nov. Test. Cura, ut ex infesto casu illo, si non convalueris, convalescas quam celerrime. Epistulam tuam, in qua notis de causis quaedam mutavi, foliis nostris inseram. Valete.

Nuntii Menstrui

Mensis Martius

1. **Philadelphia** nuntii afferuntur inter cessantes viae ferratae urbanae officiales eorumque dominos tractari de intermisso opere continuando.

3. Suecorum et Rumanorum legati primum **B·rolini** de mutui conditionibus commercii paciscuntur.

Petropoli publice edicitur ex Ferdinandi regis cum Nicolao Caesare conventu de novo apparuisse, quam vetere usu utraeque nationes coniungerentur quantique interesset earum pacem inter se atque amicitiam servare.

4. Academiae **Gallicae** invitatae, ut legatos mitterent ad saecularia universitatis Berolinensis concelebranda, huius rectori per litteras respondent sese festis illis interesse non posse.

5. **Brasiliani** magnis suffragiis praesidem eligunt mareschallum Hermen de Fonseca, virum de re militari patriae suae optime meritum.

Philadelphiae, postquam non convenerunt pacis conditiones, ferriviarii urbani denuntiant se omnes interim opus deserturos esse.

6. **Berolini** plures concursus fiunt inter custodes publicos et plebem novum ius suffragiorum conclamantem.

Progressiva, quae dicitur, factio popularis, qua omnes liberiorem in Germania statum rerum molientes consociati sunt, primum **Berolini** congressum habet.


7. Rex Britannorum **Parisios** advenit praesidem Gallorum conventum.

10. Imperator Germaniae navi Lloydiana ex ipsius nomine appellata **Bremiportu** proficiscitur bidui iter per mare Germanicum facturus.

Vindobonae Carolus Lueger, civium per quindecim fere, annos magister meritissimus, sexaginta sex annos natus vita decedit.

Gubernium **Sinense** latam de tollenda servitute rogationem comprobandam censet.

11. **Canadensium** concilium legem accipit de aedificandis navibus.



Aenigmata

a variis composita:

1. Aenigma ex Cruce

Octo sunt series, lector, nunc inveniundae,
Quae quid significent, ordine dico tibi:
Reptilis en vox, cauda, caput celantur in una
Litterula. Tyrium deinde require locum!
Tertius Arminium fugiens se cuspide fodit;
Rex Latii claro nomine quartus erat.
Irrigat optatam quintus per membra quietem;
Haud secus esse aliquid vocula sexta monet.
O quam multa notat tibi gaudia, quotque dolores,
Quae sequitur! Laetas ultima nutrit oves.
Nunc duo verba vides stellis scripta inque decussim:
Solve, age, iam vobis advena gratus erit.

2.

Prima docet quem quis soleat vehementer [amare,
Altera nil narrans conjungit plura negando,
Tertia ritibus in sacris adhibetur agendis,
Pars hominum vitae est quod **summa** [significatur,
Quam multo veteres magis hac aetate colebant.

3.

Addito, res minor est, demito, maior erit.

4.

Sedula me fabricatur apis. Sed si mihi demis
Principium: gratus me colit usque nepos.

Quicunque tria ex his aenigmatis solverit intra triginta dies, unius sortis particeps erit in urna, qui omnia, duarum. Jn sortitionem dabitur

J. W. Mackail, The Hundred Best Poems in the Latin Language,

Londini, Gowans et Gray, 1906.

Sententiae latine vertendae:

Wer die Resultate der Naturforschung nicht in ihrem Verhältnis zu einzelnen Stufen der Bildung oder zu dem Leben, sondern in ihrer grossen Beziehung auf die gesamte Menschheit betrachtet, dem bietet sich als die erfreulichste Frucht dieser Forschungen der Gewinn dar, durch Eintritt in den Zusammenhang der Erscheinungen den Genuss der Natur vermehrt oder veredelt zu sehen; eine solche Veredlung ist aber das Werk der Beobachtung, der Intelligenz und der Zeit, in welcher sich alle Richtungen der Geisteskräfte reflektiren.

G. Rümelin

(Deutsche Rundschau, April 1889)

Huic penso qui satisfecerit optime, Scriptorem Latinum gratis accipiet per tres menses. Versiones intra sexaginta dies huc pervenire debebunt.

Censura Librorum

Dr. J. W. Juxicus, Der lustige Lateiner. **Francofurti a. M., Hans Lüstenöder** (Eschersheimer Landstr. 112), 1909. Ed. II. Pgg. 88. Pret. 0.70 ℳ

O libellum praeter ceteros festivum! — Renovas legenti praeclarissimi illius temporis memoriam, cum quartae olim classis scamna premebamus sedendo et, anxii saepe ac suspensi, bellissimos effundebamus flosculos latinos. Hos Dr. Juxicus collegit tamque subtiliter disposuit, ut vel tetricissimo magistro sint voluptati. Quantum lingua latina habeat difficultatis et quibus de causis scriptum latinum non iam valeat in scholis nostris, facile intelleges, si multa latinitatis genera perspexeris ab auctore indicata. Nam non solum culinariam ibi reperies, sed etiam, quae capitata aceto condita redolet, latinitatem, praeterea pennalem et studenticam, quae dicuntur, theatralem, militarem, coniugialem. Immo nostris etiam diebus vivit sermo latinus: testis est latinitas, cui ab automobili curru nomen *(cave adsum: automobile; periculum in mora: tertius celeritatis gradus, suicidium: quartus e. a)* Qui ioci, qui risus, cum leges innumeras illas sententias, versiones lepidas, lusus verborum, historias naturales, aenigmata aliaque pensa et poemata mixta! Quicunque igitur sine magnis impensis exhilarari volet et oblectari, ei hunc libellum vehementissime volo commendatum.

Dr. L. Müller (Monatsblatt des G. C. V.)

Lat vert. V. L.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

H. Welter, Publicator Librarius, **Parisiis,** 4, rue Bernard-Palissy

AMPLISSIMA COLLECTIO CONCILIORUM (MANSI)

Complectetur 50 volumina forma maxima, quorum haec 44 prodierunt:

Vol.	Anni:	Vol.	Anni:	Vol.	Anni:	Vol.	Anni:	Vol.	Anni:	Vol.	Anni:
0	Introduct.	8	492—536	16	869—871	22	1166—1225	30	1334—1439	38	1733—1789
1	1—304	9	536—590	17 }	872—966	23	1225—1268	31	1440	39	1790—1845
2	305—346	10	590—653	18 }		24	1269—1299	31 bis	1438—1446	40	1806—1867
3	347—409	11	653—687	17 bis }	Baluzius	25	1300—1344	32	1438—1549	41	1797—1817
4	410—431	12	687—787	18 bis }		26	1344—1409	33	1545—1565	42	1865—1874
5	431—441	13	787—814	19	967—1070	27	1409—1418	34	1565—1727	43	1846—1850
6	441—451	14	814—854	20	1070—1109	28	1414—1431	35	1414—1724	36. 44. 46 sub prelo	
7	451—492	15	855—868	21	1109—1166	29	1431—1434	37	1720—1735	45. 47. 48 sequentur 1911—12	
										49. 50 sequentur 1912—13	

Veneunt opus integrum (5000 frc.) pretio solido 3200 frc., 47 voll. iam edita (4700 frc.) pret. sol. 3000 frc., 16 supplementa (2400 frc.) pret. sol. 1600 frc.

DAL VATICANO, 11 Januarii a. 1909

Reverendissimi Domini!

Laeto ac libenti animo munus, honoris illud quidem plenum, expleturus sum quod Beatissimus Pater *Pius PP. X* mihi detulit, gratias scilicet quam plurimas vobis persolvendi pro comptis nitidisque tribus voluminibus ad Eamdem *Sanctitatem Suam* missis, quibus novam collectionem adgressi estis quae »*Conciliorum omnium Catholicae Ecclesiae Collectio amplissima*« inscribitur, quamque praeclarissimi viri *Huberti Welter* Editoris Parisiensis sumptu eo consilio vulgastis, ut excellentissimum illud opus quod *Dominicus Mansi* instituerat, morte autem eius interruptum fuerat, ad exitum adduceretis. Id etiam libenter vobis significo Augustum Pontificem volumina illa esse valde admiratum, Eumdemque laudibus ornavisse tum maximam, qua edita sunt, elegantiam, tum copiam uberrimam et paene dixi *sylvam rerum,* omni cum diligentia a vobis collectam, non sine multo labore atque sudore, quippe cum innumerabiles prope pervestigationes in *bibliothecis* ac *tabulariis* ad hujusmodi opera conficienda necessariae omnino videantur. Quibus rebus omnibus *Beatissimus Pater* in eam spem perjucundam adductus est, ut tantum opus tantoque judicio peractum, non solum eruditissimo cuique, sed etiam, immo vero praecipue, *universo clero* maximopere profuturum sit: idque eo magis quod *latinorum* textuum ubertati multa *Orientis* documenta addidistis quorum summa utilitas facile percipi potest, non solum quod ad *scientias,* verum etiam quod ad *Ecclesiae* veterem atque usitatam disciplinam attinet.

Sanctitas igitur *Sua* hisce bene meritis laudibus ut animi Sui grati benevolentisque pignus et testimonium adjungere posset, singularem vobis atque Editori *Benedictionem,* coelestium munerum auspicem eamdemque conficiendi tanti operis auxilium, impertita est.

Quod dum vobis libentissime renuntio, meas ipsius grates quam maximas vobis persolvo pro tribus aliis exemplaribus ejusdem operis, quae ad me perhumaniter misistis, quorum et editionis elegantiam et rerum copiam atque gravitatem, summopere admiratus, omnes vobis laudes tribuo; ac praeterea sensus grati erga vos animi mei libenter exprimo et maximam, qua vos prosequor, existimationem dum confirmo, sum et permaneo vobis Addictissimus **R. Card. Merry del Val.**

Rev. mis Dominis **Joanni Baptistae Martin,** Professori in catholica Universitate Lugdunensi et **P. Ludovico Petit,** e Congregatione Augustiniana ab Assumptione

---

Modelle zur Veranschaulichung antiken Lebens

für den Gebrauch an höheren Lehranstalten von **Prof. Dr. W. Hensell.**

Verzeichnis der seither erschienenen Modelle:

Gewandfigur mit männlichem Chiton Mk. 56.—. **Einfacher Peplos** Mk. 8.50. **Peplos mit Überfall** Mk. 12.—. **Langer jonischer Frauenchiton** Mk. 6.50. **Himation** Mk. 11.—. **Chlamys** mit farbigem Besatze Mk. 7.—. **Tunica laticlavia** Mk. 5.—. **Toga der Kaiserzeit** Mk. 20.—. **Sagum** Mk. 6.—. **Paludamentum** Mk. 6.—. (Die Gewänder sind der Gewandfigur angepasst. Es genügt, nur das Sagum oder das Paludamentum zu bestellen.) **Homerischer Streitwagen** (1:8). Das Modell enthält alle bei Homer erwähnten Bestandteile, Mk. 27. **Homerische Tür,** 38×28 cm, Mk. 9.50. **Spinnapparat** natürliche Grösse, Mk. 6.—. **Aufrechter Webstuhl,** 47×34 cm, Mk. 17.50. **Schutzwand, Schutzhalle, Grabschildkröte,** (1:30), **Brechschildkröte,** (1:30) Zusammen in einem Kasten, Mk. 15.—. **Widderschildkröte,** (1:30), Mk. 9.50. **Schüttschildkröte,** (1:30), Mk. 17.50. **Belagerungsturm,** (1:30), (6 Stockwerke, 9 Galerien, 1 Widder) Mk. 30.—. **Römische Katapulte,** (1:5) Aus Holz, Bronze, Eisen und Darmsaiten. 2 Pfeile, Mk. 30. **Diptychon mit Stilus** natürliche Grösse, Mk. 5. **Buchrolle** natürliche Grösse, 26 Blätter aus Pflanzenpapier, 2 Blätter mit Nachbildung eines Bruchstückes der Vergilhandschrift Mk. 9.50. **Römisches Haus,** (1:50) Aus Holz, innen und aussen farbig gestrichen. Sämtliche typischen Teile, Mk. 48.—.

Das Erscheinen einiger weiterer Modelle ist in Aussicht genommen.

Bezugsbedingungen. Die Modelle können nur direkt von der Verlagsbuchhandlung von Moritz Diesterweg in Frankfurt a. M. bezogen werden. — Die Erläuterungen werden in einem Exemplar unberechnet beigefügt, weitere Exemplare zu Mk. 1.— für die beiden erschienenen Hefte geliefert.

Jedes Modell ist einzeln käuflich!

Druck von Carl Wiechert, Chemnitz.

SCRIPTOR LATINUS

(NOVA »CIVIS ROMANI« SERIES)

Menstruus Ad Linguam Latinam Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII: Numerus II

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguam Latinam
Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII Francofurti a. M., Mense Junio MCMX Numerus II

Veteribus Civis Romani Lectoribus Monitum!

Bremiportu, mense Maio 1910.

Hisce litteris te, amicissime vir, certiorem fieri volo commentarium nostrum, cui nunc titulus

„Scriptor Latinus“,

in posterum editum iri a **bibliopola H. Lüstenöder, Francofurti a. M.** in via, quae **Eschersheimer Landstrasse** vocatur, habitante, qui, qua est sollertia, lectorum mandata diligentissime persequetur. Ad hunc igitur omnia negotii gratia missa dirigas velim, cum ego concinnandi tantum commentarii in me receperim curam.

Septimus Civis Romani annus numero octavo finitus est; titulum vero et fortasse etiam indicem rerum duodecimo Scriptoris Latini fasciculo adiungemus.

Id quoque moneri hoc loco velim commentarium nostrum, cum annuus eius cursus non respondeat calendario, non posse interim mandari per tabellarios, lectores vero in locis, ubi non sunt bibliopolae, habitantes sine maiore sumptu illum accipere ab editore.

Peto abs te, amicissime vir, ut rescribas, si qui desint ex prioribus annis numeri, tuique permaneo, ut ante,

observantissimus

Voldemarus Lommatius.

De docendi hilaritate eiusque caussis commentatio

(C. G. Koenig, Opuscula Latina. Ed. F. M. Oertel, Misenae 1834.)

(Absolvitur)

Omnino philosophi, qui res abstrusas et a communi hominum intelligentia remotas tractant, haud facile illi, nisi singulari facilitatis dote excellant, abstergere disputationibus suis tetricae subtilitatis speciem, et e dumetis horridis erepere in campos patentiores eosque multiplici florum amoenitate distinctos possunt. Quare non diffiteor, me, quoties illa cognovi, quae Cicero filius de Cratippo, philosopho Peripatetico, quo ille utebatur philosophiae magistro, commemorat,[1]) insigniter fuisse amabili eius indole et hilaritate delectatum. Totum locum, qui egregie ad rem nostram facit, adscribere non pigebit: Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut filium esse coniunctissimum. Nam cum audio illum libenter, tum etiam propriam eius suavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo noctisque saepenumero partem: exoro enim, ut mecum quam saepissime coenet. Hac introducta consuetudine saepe inscientibus nobis et

[1]) Epp. ad diversos XVI, 21.

coenantibus obrepit, sublataque severitate philosophiae humanissime nobiscum iocatur etc. Taceo alios, quos ab hac docendi suavitate in scriptis veterum atque recentiorum laudatos videmus, v. c. Isaeum illum rhetorem, quem Plinius his verbis Nepoti commendat: [2]) Docet, delectat, adficit. Et, ut unum saltem recentioris aevi exemplum iudiciumque apponam, Jo. Aug. Ernestius, quo loco Mülleri, philosophi quondam Lipsiensis celeberrimi, memoriam ornat, haec addit: [3]) Accedebat hilaritas quaedam in disserendo, non quae risus captaret parum decore, sed quae indicaret magistrum, libenter et cum propria quadam oblectatione agentem, quod ageret, et alacritatem quandam ostentaret, qua mirifice vel tenetur ingenii iuvenilis celeritas, vel tarditas incitatur. Quae quidem omnia hoc potissimum consilio a nobis nunc allata sunt, ut appareret, qui de docendi virtutibus recte possent subtiliterque iudicare, eos magno consensu hilaritatem illam atque facilitatem virtutum illarum numero adscribendam censuisse.

Illud vero non alienum est, paucis hoc loco quaerere, quibus caussis nitatur illa tam amabilis, tam publice privatimque utilis virtus, quam nemo, qui docendarum, in scholis maxime inferioribus, literarum munus sustinet, non magno redemtam velit. Atque hic sane fatendum est, quemadmodum pleraque, quibus vitae humanae iucunditas continetur, non sunt in hominis potestate, ita et hoc bonum, magnam saltem partem, ex iis rebus aptum nexumque esse, quarum quidem utcunque servandarum, non item pariendarum facultatem et arbitrium penes hominem natura esse voluit. Nam, ut nihil dicam de corporis habitu et valetudinis ratione in utramque partem, quam nemo est, qui nesciat ad vitam, vel suavitate exhilarandam, vel tristitia obscurandam, maximum facere momentum; ipsa etiam animi indoles, sive suapte natura, sive quoad illa corporis contagione adficitur, in aliis ad iucunditatem erectior, in aliis ad aegritudinem demissior esse solet. Quo magis videndum est iis, qui docendarum in scholis literarum provinciam capessere aliquando constituerunt, ne uberrimum illum hilaritatis fontem, qui corporis vigore et valetudinis prosperitate continetur, ipsi sibi cum aliis rebus, tum studiorum intemperantia, vel plane obturent, vel exarescere sensim paullatimque patiantur.

Sed fieri etiam potest, et, si verum amamus, fieri non raro solet, ut ipsae, quas impensius tractamus, literae, reconditiores praesertim illae, aliquid tenebrarum offundant animo vel maxime a natura ad hilaritatem facto atque temperato. Tametsi enim doctrinarum, ut quaeque maxime abstrusa est atque in summa rerum subtilitate versatur, ita maxime vires intendit et vero etiam alit; hoc tamen alimentum aliquid solet cruditatis habere, diluendum illud ac demulcendum tum amoeniorum literarum humanitate, tum artium ingenuarum pulcritudine, tum vero etiam liberaliorum hominum atque urbaniorum familiaritate.

Quemadmodum autem de verissimo Plutarchi iudicio [4]) τὸ ἡδέως ζῆν καὶ ἱλαρῶς οὐκ ἔξωθέν ἐστιν, ἀλλὰ τοὐναντίον ὁ ἄνθρωπος τοῖς περὶ αὐτὸν πράγμασιν ἡδονὴν καὶ χάριν ὥσπερ ἐκ πηγῆς τοῦ ἤθους προστίθησιν, ita docendi hilaritas illa ex animo recte constituto atque literarum ipsorumque iuvenum, qui iis imbuendi sunt, amore vero atque integro manare potissimum solet. Quomodo enim fieri possit, ut, qui non ipsa literarum praestantia incitatus, atque eorum, quos in disciplinam acceperit, caritate incensus in scholam venerit, sed aliorum, lautiorum fortasse, munerum desperatione adactus in hunc vitae utcunque tolerandae tanquam portum confugerit, hilari animo atque fronte exporrecta agere, quae ipsi agenda proponuntur, possit. Citius ego crediderim mancipiis in ergastulum, quam eiusmodi magistris in scholam aliquam detrusis, vitam degi posse iucunditatis non plane expertem. Neque tamen in hoc vitae genere sibi placebunt, eiusque suavitate beari se sentient, nisi qui,

[2]) Epp. II, 3.
[3]) Opusc. orator. nov. p. 47.
[4]) Opp. Tom. VII. p. 312. ed. Hutt.

praeter illum literarum iuvenumque amorem, iustam quoque doctrinae copiam docendique promtam attulerint facultatem. Tametsi enim nemo, qui tanti muneris religione moveatur, unquam committet, ut imparatus ad docendum prodeat, et casu potius, quam certo consilio regi se in gravissimarum tractatione rerum sinat; nihil tamen miserius est, quam acerba exactione, quae traditurus sis, ex spissis ante commentariorum voluminibus congerere, neque longius docendo, quam commentando potueras, progredi audere. In quam necessitatem, plenam sollicitudinis illam, non possunt non venire, quicunque non eas animo doctrinae copias mature condiderunt, e quibus promere possint, quaecunque apta et utilia tempore quoque atque loco videantur. Qua docendi facilitate non solum audientium mentes mirifice eriguntur, sed magistrorum etiam animi dulcissimos percipiunt copiosae parataeque doctrinae fructus.

Lectores Amicissimi!

Hodierno numero chartulam adiecimus, in qua nomina inscribatis velim eorum, quos latine scire vobis notum est quosque talis commentarii lectione putatis delectari. His enim editor, ut numerus lectorum augeatur, specimina mittet fasciculorum, quae si inspexerint indolemque et naturam operis nostri cognorint, subscripturos esse illos foliis minime dubitamus.

Praeterea rogatos volo amicos, ne, ut plerumque solent, subnotationis pretium persolventes mandatoriam vel traditoriam, quae vocatur, pecuniam addere obliviscantur. Lucrum enim editionis tam pusillum est, ut ex crebriore huiusmodi neglegentia haud parvam accipiamus iacturam. Si quis igitur lectorum marcas quattuor sit ad nos missurus, quinque nummulos supra expendat velim. **Red. S. L.**

Oratiunculae Latinae,

quas variis olim occasionibus habuit **Guilelmus Roscius Heilbronnensis.**

3.

Sermo excursione in Silvam Nigram facta cum Primanis habitus in oppido Neuenburg.

Excessimus, evasimus, erupimus ex pulvere urbis et scholae, in hanc montium silvarumque solitudinem et amoenitatem, Nymphis Enzianis et Dianae Abnobae sacra facturi. Cum enim prope instet maiori vestrum parti illud „hic Rhodus, hic salta!“, non alienum est visum ad hoc ultimum discrimen recreare animos ac firmare naturae et libertatis vigore ac dulcedine. Neque tamen adeo aberravimus ab alma matre Gymnasii et litterarum antiquarum studiis, sed, ut proverbio utar, et hic Dii sunt. Quippe hic quoque locorum in classico solo versamur, prope enim abest via illa a Romanis munita, etiam nunc rotarum vestigia carrorum quos ex Caesare novimus ostendens, qua cohortes Romanae a Porta Hercynia ad Nicarum superiorem signa ferre olim solebant. Gravius vero quam illi eorum nepotes Gallici in haec rura peccaverunt, et ipsi modo ruinam et parietinas aedium Gallorum igni ac ferro vastatarum spectavimus. At mehercule „hi quidem tempi sunt passati“, nec cuiquam nostrum speramus fato datum fore, ut novam in his regionibus hostium nominis Germanici incursionem videat. Scilicet posteri illorum pridem Germaniae insidiantium, qui toties finibus

nostris bella incendia latrocinia intulerunt, experrecto tandem aliquando furore Teutonico sunt debellati atque edocti Rhenum non amplius finem, sed amnem Germaniae esse restitutum. Tamen aliquid Romani sanguinis, ut ita dicam, ac spiritus nostras quoque venas mentesque perfluit, liquore Germanico bene temperatum, nec vereor, ne quis jure contendat hanc admixtionem et infusionem virtuti et robori nostro obtrectavisse. Quid? quod in proverbium abiit recentes victorias aliqua ex parte deberi institutis ac studiis quae apud nos florent classicis. Itaque optemus et elaboremus, ut haec classicae eruditionis cum virtute animi Germanici mixtura diutius maneat et saluti sit, ut fuit, genti et patriae nostrae. Haec ut comprobemus et confirmemus, agite in hoc solo classico et ridentissimo terrarum angulo elevatis poculis conclamemus: vivat patria nostra locorum amoenitate, virorum fortitudine, humanitatis studiis florentissima et summus qui illam regit patronus, Caesar Imperator!

4.

Oratiuncula, cum novum Gymnasii aedificium dedicatum est, habita.

Commilitones carissimi, convivae jucundissimi! Hoc erat in votis ut dignam Musis patria Deo[1]) aedem haberemus. Auctius atque Di melius fecere. Damnatis igitur nunc voti quid antiquius est quam ut nos quoque isto templo, quo haec civitas cum nos nostraque studia tum se ipsam ornavit et honoravit, dignos praestemus? Quod ut fiat, symbolum istud triverbium et graviter et suaviter nos monet. Cum autem Musarum primum esse templum voluit qui titulum excogitavit Rector ille, quem grata et pia semper memoria recolemus, haec monet, ut quemadmodum nocturna adhuc, dum intra obscuros illos et squalore obductos parietes tenebamur, ita diurna jam manu in sole ac luce versetis exemplaria Graeca, quibus nihil aptius esse, nihil praeclarius, quo mentes animique adulescentium alantur, inter nos quidem constat. Sed nolite timere, ne patriae hac studiorum ratione proposita, parum satis fiat aut parum ad usum vitae adulescentes praeparentur. Illius enim quid pluris interest quam cives suos ita erudiri atque educari ut nihil humani a se alienum putent recti et honesti studio imbuti patriae civium legum amantissimi? Harum autem virtutum qui meliores inveniantur magistri et monitores quam veteres illi, quorum ex milibus unum afferre testem satis videtur, Horatianum illud: Dulce et decorum est pro patria mori. Verum enim vero vivere patriae ante omnia oportet. Quod quin optime contingat animis ac mentibus puerorum atque adulescentium ad humanitatem conformandis, veri honesti pulcri studio imbuendis, officio diligentia assuefaciendis, quis est qui dubitet? Quid? quod rei militaris quoque et bellicae laudis appetentes in dies magis in nostris scholis solent erudiri.

Haece vota hodie sinceris animis nuncupemus renovemus, Deus autem Opt. Max. testis ac sponsor nobis adsit, fore ut ad prosperum exitum consilia et voluntatem nostram deducat!

[1]) Haec verba inscripta sunt in atrio.

Famuli Plautini
Mense Decembri Anni MCMVII in Schola Westmonasteriensi Acti
Prologus et Epilogus

(Absolvitur)

[*Prodit* Sanga]

Sa. (*ostendens* Gnathonem) Hic est ille.
Thr. Quis?
Sa. Hic. Reddatur Hibernia Hibernis.
Gn. Auxilium! Lictor!
[*Prodit denuo* Dorus: Pythias *in extrema scena*]

Sa. Fuste resiste viro
Et saxis fractoque vitro. (*clamans*) Reddatur et Indis
India : barbaries Anglica dispereat !
[*Homines confluunt, inter quos* Parmeno]
Do. Seditiose, cave.
Sa. Vi deiciatur et armis.

[Thraso *pyrobolum iacit : tumultus*]
Py. Au, quam pertimui ! Bombus ut horribilis !
Ph. (*revertens*)
Altera Ioannis Tauri insula adesse videtur.

[*Abit* Gnatho *summa festinatione*]
Thr. (*ostendens* Gnathonem)
Vidistine illud? Proicit ille manu
Ipse sua, falsa ut de me suspicio fiat.
Sa. Pro pudor, o comites ! num tolerabitis hoc?
Do. Tu cave quid dicas.

[Dorus *luctando vincit* Thrasonem]
Py. (*admirans*) Quam forti pectore et armis !
Do. (*ad* Thrasonem) Ad stationem ito.
Py. (*ad* Dorum) Te reducem accipiam.
Intrepidus solum meruit vir ducere pulchram.
(*abit*)
Sa. Saevitiam hanc, comites, aspicite Armeniam :
Non tamen haec fient, ubi iam socialiter orbi
Victor iura dabo : me duce, nullus erit
Lictor, nec leges.
Pa. Quis nos custodiet atque
Res nostras?
Sa. Nullae res tibi erunt propriae ;
Sed mea tum tua erunt, tua erunt mea.
Pa. (*ad vulgus*) Nonne manebunt
Omnia quae duro parta labore domi
Nunc habeo? Tentabo hominem (*tollit Sangae tunicam*)
Sa. Hem, quid agis? Chlamys illa
Est mea. Fur! Lictor!
Pa. (*mordaciter*) Res tua nonne meast?
En recipe.

[*Prodit denuo* Dorus]
Do. (*ad* Sangam) Admonui prius.
Sa. Expediam.
Do. Remove te.

[*Abit* Sanga ; *multitudo eum clamore prosequitur*]
Pa. Sic agitator abi seditioque tua!
Quin rursus, comites, ad opus redeamus?
Omnes. Eamus.

[*Prodit* Thais *cum tennis ludi utensilibus*]
Tha. Porta !
Ph. Portare haec me sine : taximetrum?
Tha. Aufer in hospitium.

Pa. Credo, Americana?
Tha. Profecto,
Nata in Tennessee. (*tangit eum digitis et iubet abire*)

[*Prodit* Chaerea, *frustra conans ludere diabolo*]

(*ad* Chaeream) Quid, vir inepte, facis?
Cha. Heus, quam difficilest infernum hunc ludere ludum!
Tha. Visne ego demonstrem quomodo—
Cha. Dia, volo.

[*Monstrat ei, quomodo ludendum*]

(observans eam) Vah! nonne hoc monstri similest? Mirabile! Virgo
Nostrarum similis non ea, quas, graciles
Ut fiant, matres constringere pectora cogunt:
Constrictum ut nimium cor sit.
Tha. Ut est facile!
Tu conare iterum.
Cha. Da, sis. *(secum)* Pulcherrima rerum!
Tha. Euge, πάλιν magnumst! heia age!
Cha. Vah, cecidit!
Tha. Nil agis.
Ph. Haud docilem te discipulum esse diabli
Crediderim; at numquam dicere certa potes.
Cha. Amissos miseri multos ploramus honores.
Tha. Poculum in Henleia grande remisit aqua
Leander Belgis.
Cha. Fateor; palmamque tenes tu
In campo.
Tha. At ne spem perdite; victor enim
Certavit nostro cum Praeside Episcopus iste.
Cha. Sed Gallus se nos exanimasse pila
Iactat.
Tha. At exuvias vos mox referetis opimas
Victores ludis forsan Olympiacis.

[*Prodit denuo* Gnatho]

Ph. *(secum)* Hunc licet expellas furca, tamen usque recurrit.
Gn. Venisti, credo, nuper ab America —
Cha. *(interpellans)* Thais!
Gn. *(pulsans eum)*
Pace tua cum Thaide colloquar ipse.
Tha. Pol vero hic paenest limitis ipse modus.

[*Prodeunt* Chremes *et* Sophrona]

Chr. Femineum atque virile genus, spectate, quod uxor
Atque ego praebemus nobile prodigium.
Gn. *(exsiliens)* Paulla, precor, mora sit nobis; res mystica certest
Et vobis dabitur pagina plena.
Quid est?
So. Est in corporibus nostris mens una duobus;
Quicquid et hic novit, novi ego τηλεπάθης.
Ph Miror utrum sit fraus an sic sincera loquatur.
Chr. Tentate. *(it ad* Phaedriam, *qui ei tradit librum)*
Hem, quidnam hoc?
So. Fabula.
Chr. Sed titulus?

So. 'Arma virumque.' (Phaedria *dat ei alium librum*)
Chr. Huius titulum scis?
So. Candida.'
Chr. *(iens ad* Pythiam) Quid iam
So. Anulus.
Chr. At qualis?
So. Pignus amoris.
Do. Itast.
(*clam ad* Pythiam) Deliciae!
Py. (*clam ad* Dorum) Mea vita!
Chr. (*iens ad* Gnathonem) Quid hoc?
So. Crede esse trinummum.
Gn. (*ad* Phaedriam) Non tuus est.
Chr. (*iens ad* Chaeream) Mihi dic: quid mea dextra tenet?
So. Telegraphema.
Chr. Unde huc venit?
So. Ex Australibus oris.
Chr. Et quid inest?
So. Victrix Anglia.
Cha. Testis ego.
Gn. (*ad actores*) Sat lusumst, pueri.
[*Procedens et alloquens auditores*]

Vos hoc attendite, amici,
Quod vobis dicam: turba fidelis adhuc
(Nec pudet) eloquimur patrio de more Latine,
Doctorum quamvis vociferante choro.
Non nostra, fateor, Cicero ratione loquendi.
Conscriptos poterat voce movere patres;
Quid iuvat ignaros oblitam imitarier artem?
Quis Tulli vocem nunc revocare potest?
Vobis iudicibus bene si dixisse videmur,
Floreat, atque piis plausibus aula sonet.

Dolopathi De Thesauro Narratiuncula

(J. Ulrich, Proben d. lat. Novellistik d. Mittelalt. Lipsiae 1906) *)

Fuit antiquo tempore rex quidam magnus et potens, qui congregandi thesauros maximam curam habens, magnae altitudinis turrim auro, argento preciosisque quibusque rebus usque ad summum repleverat. Habebat autem hic militem, quem in multis fidelem expertus fuerat, cui et claves sui commisit thesauri. At miles thesaurum servandum suscipiens, cum iam multis annis evolutis labore et senio fractus esset, nec posset iam tumultum curamque curiae sustinere, regem obnixe rogabat, quatinus suae deinceps debilitati senectutique parcens claves sui thesauri reciperet eumque sineret ad propriam redire domum liceretque ei inter filios reliquum vitae quietum ducere et iocundum. Rex vero considerans, quod rationabiliter necessarioque peteret, eum magnis donis et muneribus, maestus tamen, abire permisit. Receptis itaque clavibus et thesauro ipsum iterum alii commisit servandum.

Miles autem domum veniens curam sibi suae familiae sollicitus impendebat. Habuit hic multos filios, quorum primogenitus militari iam balteo cingebatur. Quem cum pater nimis tenere diligeret, omnes ei suas exposuit divitias iussitque, ut large expendens famam sibi et amicos divitiis compararet. Ipse vero ex licentia paternis

*) In exscribendo textu praeter e, quam, ubi hodie mos est, in ae mutamus, exempli orthographiam ubique retinendam putavimus. Red.

fiducialius largiusque utens rebus, equos, arma, vestes ceteraque, quibus magis adolescentum aetas extolli delectarique solet, studuit comparare, amicos multos muneribus emens facile post munera ab amicitia recessuros. In brevi ergo tempore loculis patris exhaustis pecunia, ad patrem redit dicens sibi pecunias defecisse. Tunc demum pater recogitans secum poenitensque facti: Quoniam, inquit, te, fili, nimis et stulte dilexi, quicquid habebam tuae subdideram potestati, at tu cernens frenum tibi laxatum temperantiae immemor ita omnia consumpsisti, ut nihil mihi praeter solam domum reliqueris. Quid ergo tibi magis faciam? Doleo quidem, quod fama nomenque tuum in flore iuventutis tuae deperit; sed unde te sustentem non habeo. Hoc tantum unum superest consilii, sed periculosum, ut si ea largitate qua prius vivere vis, turrim, in qua regis positi sunt thesauri, sub obscurae noctis silentio, si audeas, adeamus. Audito hoc filius: Nullum, ait, pater, grave licet et periculosum, tecum subire refugio, tantum ne desint divitiae, ne, si illae defecerint, nominis quoque mei gratia evanescat.**)

Consurgunt igitur ambo nocte, turrim adeunt, perforant malleis ferris murum, intrat pater sublatoque, quantum placuit de thesauro, exit obstruitque foramen. Revertuntur domum onusti opibus alienis, et iuvenis iterum sua utitur largitate. Quandocumque iterum opus erat opibus, ad thesaurum sibi notum revertebantur.

Contigit autem, ut rex thesaurum suum videre vellet, accersitoque custode, ut intraret turrim, videretque magnam thesauri partem sublatam fore. Furore ergo repletus, dissimilans tamen, egreditur venitque ad decrepitum quendam senem consilium quaesiturus. Fuerat hic senex aliquando famosissimus latro, quem comprehensum rex oculis privaverat eique de mensa sua cotidianos constituerat cibos. Hic regi consilium saepe bonum et utile praebebat, utpote qui multa viderat et audierat, suoque experimento didiscerat multa. Narrat ei rex damnum suum quaeritque quomodo perdita recuperare possit. Cui senex tale dat consilium.

Si, inquit, o rex, nosse cupis, quis hoc, tuus custos an alius, egerit, iube fasciculum herbae viridis in turrim inferri supponique ignem.

(Continuabitur)

**) Hic omisimus verba a narratore inspersa: Hic non, o rex, a virtute sperabat gloriam, qui eam pecuniis vel furtis putaverat obtinere.

Verborum probatorum novas novis in rebus iuncturas

quaerebat

Jacobus Tassetius.

In Officina Pictoris

Pictor. — Sede huc, imaginem tuam pingere coepero. Hi sedeas, ubi bona lux. Ego cantherium modo propius admovebo. Caput et pectoris efficiam summa. Vultum inter adversum et transversum velim medium ut colloces. —

Familiaris. — Jtane? —

Pictor. — Caput paululum verte dextrorsum. Nunc positum optimum tenes. Perfectam oris tui similitudinem hisce diebus efficere non est in animo, sed adumbrationem quamdam in huius telae angulo tentabo primum. —

Familiaris. — Quam celeriter videris delineare! —

Pictor. — Caveo enim ne penicillum mora refrigescat. Malo de integro saepe idem argumentum repetere, quam cunctanter operari. Nam et lineamenta et colorum quoque virtutes hebetat manus segnis. —

Familiaris. — Pictori animo opus est fervido, qui significanter tantam rerum varietatem tam parvo exprimit instrumento. Cantherius, telae, capsellae colorum, pala, penicilla, acetabula sunt neque multa neque grandia pictoriae artis arma. —

Pictor. — Colores imo etiam innumerabiles ex tribus in pala positis, si volumus, efficimus. Lux enim per inspectationes soluta, in septem dividitur arcus pluvii discrimina:

rubrum, luteum, flavum, viride, caeruleum, indicum, violaceum. Quae tamen trium primariorum oriuntur colorum mixtura. Etenim ruber cum flavo luteum parit, flavus cum caeruleo viridem, caeruleus cum rubro violaceum. —

Familiaris. — Album omittis et nigrum? —

Pictor. — Albus est color unus et omnes, sive summa colorum, cui ater opponitur: color nullus. Ceterum obscuriora sunt alba et atra, acriora vero nigra et candida, magisque nitentia. Si tribus tantum velis uti coloribus, ut acerrimos eligas oportet: minium optime rubens, flavum ex chromio (commodet hoc mihi officina nomen), caeruleum ex lapide ipso caeruleo dicto. Hi sunt colores puri, impurus contra nigricat indicus. —

Familiaris. — Vitelline luteus color et mali aurei?

Pictor. — Hinc et luteum appellatur vitellus, pars ovi media, albo circumlavata. Album vero, quum crudum sit obscurius, fit coctura coloris acrioris candidum. Flava sunt aurum, sulfur, crocus, citreum malum. Flavent gilvi equi.

Familiaris. — Num et equi spadices? —

Pictor. — Jsti rubent. Sunt enim cariotae colore, badii, rufi. Fulget fulvus color, rufus est rubentis capilli. —

Familiaris. — Caesii Minervae oculi; veneta, caerulea agitatoris vestis; viridis, qualis est porrus, prasina factio. Praetera sunt alia maligne, acriter alia virentia; alia spissius, crassius virent. —

Pictor. — Viret smaragdus, viret herbaceus rumex; et glaucum mare inter caerulea virentia recensetur; sexcentas cavemus colorum commissuras atque transitus; sed pulla, fusca cinerea odimus subnigra: denigratur enim quidquid coloris virtutem amittit. —

Familiaris. — Artem magnam in minima pala monstras. Lubens etiam de penicillis te audiam loquentem. —

Pictor. — Jd ad penicillos pertinet, quod Delacroix dixit inclytus: »adhibendas manu prima scopas, sed acum extrema.« Sic operis initia crassiore facimus penicillo, tenuiore postrema. —

Familiaris. — Hoc illius viri placitum valde me delectat. Perge vero, et rationem explica summam, qua pictores opus ordiri solent? —

Pictor. — Subest omni operi dispositionis, sive rerum aptae collocationis, aliqua species, perspectiva propter hoc dicta, quod per tabulam, quasi vitrea sit, ut adspectus omnis videatur perspici, oportet. Jtaque ubi primum operis aream terminaveris, lineam e regione oculorum ducito finientem, in quo conspectus universi statuas centrum, quod ad punctum perpendiculares in tabulam lineae vergant omnes. Area enim picta quasi sectura est metae, quae pictoris oculos fastigium habeat, et pro solo conspectum universum. Ad hoc fastigium, cacumen, apicem, verticemque abscedentes a fronte deducendae sunt lineae. Haec punctorum omnium sunt suis locis collocandorum initia. Eam tamen scientiam in abstrusiores rationes hodie non persequar. —

Familiaris. — Neque ego te illac assequi possem. Sed rationis linearis iuvet conversa ad picturam audire elementa? —

Pictor. — Linearum discernuntur genera duo: rectum, et flexum sive curvum. Quarum linearum rectae quidem, aut ad libram iacent stratae, aut stant ad perpendiculum, curvae vero aut cavae deprimuntur, aut eminent gibbae. Ceterum divina sunt rotunda, quadrata maxime hominum opera. Et enim plena sunt angulis rectisque lineis machinae et aedificia — in primis graeca omnium perfectissima —; flexa contra omnia in arbore, in colle valleque vides; et finiens fit in pictura linea recta, qui in natura est circulus. —

Familiaris. — Quam perspicua et iucunda! Facis ea cognitu dignissima! —

Pictor. — Corporum autem extremis ambitus ducitur lineamentis; sed quidquid est interius, non nisi per umbras exstare et eminere videtur. Sic hominis figura finibus eisdem, adversa omnino aut aversa describitur: sola humbrarum enim et luminum commissura pectus apparet aut dorsum. —

Familiaris. — Rem manifestam me hucusque latuisse! —

Pictor. — Multa praeter lineam et colorem subeunt animum de variis scilicet picturae argumentis: sive rura, maritima pictor, sive inanima, aut pecudes, aut humanam denique figuram sibi proposuerit imitandam. Sed finem nunc huic sessioni, si tibi videtur, faciemus. Nam venit iam puella, formae quae mihi praebet documentum. —

Familiaris. — Tu me satis superque similitudine mea et tua doctrina hodie donasti; hoc unum te volo: doce me opificem tabulis marginandis peritum? —

Pictor. — Exspecta modo, dum nomen et habitationem eius exscribo tibi, qui tabularum mearum suppeditat formas.

Ex Epistulario Redactoris

Voldemaro Lommatio salutem.

Hodie, vir doctissime, numerum unum ad te mitto commentari cuiusdam Classical Weekly appellati, in quo aliquid scriptum habeo. Cras ad redactorem illius commentari aliquid de Cive Romano scriptum mittere in animo habeo. Redactor, Prof. Chas. Knapp, Columbia University, New York, libenter exempla Civis Romani accipiat. Vale.

Datum P . . .
a. d. VIII Kal. Dec. J. C. R . . .
MDCCCCIX.

Editori spectatissimo Civis Romani salutem plurimam!

Quod non prius recripsi ad chartulam gratulatoriam animo tam benevolo a te missam, migratione culpanda mihi ne nimis suscensueris! Chartula tua me itineratum Sch . . . ae invenit morantem. Postquam exeunte mense Octobri cum uxore (liberi octo diebus post a matre et sorore nobis allati sunt) in Vallem S . . . am transmigravi, Cal. Nov. novum munus mihi fuit obeundum. Quot quantisque negotiis in praesens opprimar, facile animo fingas. Cum nunc quidem mihi nihil praesto sit Civi Romano inserendum, tamen postea operi tuo me non defuturum esse spero. Cura, ut valeas.

V . . . s . . . Pr. Dr. V. R . . .

Lommatzschio s. p. d. J. J. H . . .

Ecquid vivit etiam dilectus ille nobis Civis Romanus? Diu est ex quo nihil ab eo profectum accepi. Si pergit docere et delectare doctos, propediem ad Te mittam narratiunculam quandam mihi olim lectam in „Foliis volantibus“ et a me Latine conversam. Quod opusculum poeticum si Tibi civitate Romana non indignum videbitur (est autem 72 hexametrorum), lubenter Tibi tradam, sed duabus condicionibus, iisque levissimis,

a. ut mihi corrigendae exhibeantur plagulae,
b. ut 25 exemplaria seorsim expressa accipiam.

Responsum Tuum in hocce pago maritimo exspecto. Vale.

L . . . S. D. Lommatio.

Litteras tuas, amicissime, et accepi et probavi; tu vero falso suspicatus es, tamquam „amore habendi“ — sicut Horatius dicit — tacuissem. Tacui autem, quod non vacavi huic operi, nam Senecae illud: „vaco, mi Lucili, vaco, et ubicumque sum, meus sum“ hodie non cadit in me. Sum enim nuperrime declaratus inspector scholarum elementariarum. Possum igitur, sicut Horati Menas, excusare sive mercennaria vincla, sive opellam forensem, sive officiosam sedulitatem. Quae si discesserit, iam iamque prosulturus sum in litteras tibi dandas.

C . . ., O . . ., die 30. Nov^is^ 1908.

Vir Clarissime!

Casu fortuito mihi legenti „Praeconem Latinum“, periodicum Phila-

delphenum, innotuit te, vir praeclare, esse auctorem et concinnatorem novi folii Latini, cui titulus „Civis Romanus", iam ab annis compluribus. Quae cum ita sint, tibi demando, ut tuis subnotatoribus meum adscribas nomen in posterum; demum pretium subnotationis mihi indicabis et quanto pretio volumina inde a suo initio recuperare possim. Linguae Latinae semper amicus devotus, exultatione cordis nova tentamina eam restituendi in pristinas suas sedes laetabundus suspicio. Fac mihi quam primum mittas integrum anni 1908 volumen, quia summo desiderio videndi Civem Romanum teneo. Spero insignaculum hisce litteris inscriptum satis fore, ut ad te rite perveniant. Omnia fausta tibi ex corde opto.

Cum summo tui studio

Rev. J . . . L. S . . .

Pontificium Collegium J . . .

C . . . O . . .

Status foederati Americae

V . . ., a. d. XVI. Cal. Jun. MCMX.

Vir doctissime atque honoratissime, gratias tibi ago maximas, quod misisti mihi duo Civis Romani exemplaria, quibus perlegendis tantam percipio delectationem, ut me non iam pridem, immo nunc demum commentarii tui incundissimi et ad alliciendos legentium animos aptissimi certiorem factum esse valde lugeam. Nam equidem quamquam testimonio maturitatis in gymnasio impetrato me dedi muneri publico, quod ad litteras artesque colendas parce tantum aut omnino non spectat, nihilo minus in numero eorum haberi velim, qui, quamvis officiis publicis fungantur, tamen inanitatem huius temporis mortalium propriam despiciunt neque quae pueri didicerunt diligenter tractare ac retractare desinunt. Imprimis linguae Latinae, quam ut a praeclarissimis viris discerem mihi contigit, libenter et assidue operam navare usque ad hunc diem consuevi. Quam ob rem properabo iubere officium tabellarium soluto pretio quam celerrime mihi parare Civem Romanum, e cuius studio fructus largos me capturum esse spero et certo scio. Te autem, vir doctissime, oro cures ut numeri etiam mensibus Aprili et Maio editi ad me perveniant.

Sed non solum legere Civem, verum etiam, si tibi placuerit, ad conscribendum commentarium frustula quaedam conferre desidero, quoad vires meae sufficiunt. Me discipulum secundi et primi ordinis gymnasii duo praeter alios magistri, quos perdiu hac luce iam non frui doleo et quibus debitas grates habeo semperque habebo — dico Carolum Fickert, gymnasii Elisabetani Vratislaviensis olim rectorem, et Rudolfum Kuenstler, qui postea usque ad annum MDCCCLXXVII gymnasio Ratiborensi praefuit — intra Latinae linguae studia etiam versificandi artem diserte atque artificiose docuerunt. Quo factum est, ut praecipue Ausoniae linguae amorem mihi servaverim. Hoc accedit, quod una cum filio meo, aetatis meae spe et gaudio, studiis philologicis in universitate litterarum Viadrina in cumbente magna cum delectatione veterum scripta etiam amplius cognovi, et illis scriptis, si dis placet, postero quoque tempore operam dare mihi certum est. Quin etiam, posteaquam abhinc annos VII in otium me contuli et procul negotiis vitam degere mihi licuit, carmina complura nostratium poetarum, in his Schilleri, Goethii, Heinii, aliorum nec non recentiorum, metris aut antiquis aut ab ipso poeta Germano usurpatis Latine vertere suscepi atque hodie quoque in deliciis habeo. Itaque, ut naturam et indolem carminum meorum cognoscas, mitto tibi nonnulla specimina, quae inspicias velim et inquiras, videanturne tibi et apta et digna quae in Cive Romano publici iuris fiant. Summopere laetarer, si illa in Cive typis impressa propediem legerem. Atqui noli credere me poetam putari velle verum et perfectum, quod abest longissime.

Peto abs te, vir illustrissime, ut — perbreviter quamvis — mihi scribas, quid de opusculis meis et, si tibi non molestum est, de mittendis pluribus

censeas. Quod si feceris, tibi devinctum me habebis.

Responsum tuum avidus exspectans te qua par est observantia saluto. Vale.

G... L...

Rei vehiculariae praepositus em.

J... T... Voldemaro Lommatio s. d. p.

Domum perendie profecturus nouissimam ex Africa mittebam ad te cogitationem, et nuntium aliquando uenturum esse sperans, quo de mansura vetere nostra operis consuetudine certior fiam.

Etenim H. Bigot familiaris noster cum nonnullos de rebus novis Ciuis Romani sermones apud discipulos suos percontatus sit, rogat an plura eiusmodi prodeant, et ultro se spondet fore scriptorem harum rerum quas perutiles iudicat. Vale.

Scribebam T... XXVIII martii, 1910.

Die 29° April. '10.

Quid impediebat, quo minus commentarios tuos reciperem? Non enim potes nescire te ad me eos mittere iam dudum debuisse.

Nimio sane emi quod nunquam uidi. Si neglegenter hoc fecisti, certo scio te mox errorem correcturum.

Mitte, quaeso, „Civem Rom."

R. K. H...
W... (M...)
America.

Libri libellique dono accepti:

Bibliograph. Monatsschrift über neu erschien. Schul-, Universitäts- u. Hochschulschriften. Ann. XXI, 7. Lipsiae, ap. Gust. Fock. Pgg. 97—112. Pret. ann. 5.— M.

Dr. R. Dietrich, Lateinische Sprüche. XIV libelli singuli prostantes pret. 10 nummulorum. Rudolphopoli, in bibliopolio Mülleriano, 1909.

Catalogus Dissertationum Philologicarum Classicarum. Fasc. II. Lipsiae, ap. Gust. Fock, 1910. Ed. II. Pgg. 113—224. Pr. 1.20 M.

Dr. O. Altenburg, Ein lateinisches Sachbuch. II. Aus dem Kinderleben. (Progr. Gymn. Glogaviensis 1910)

K. Fischer, Stoffe für den Unterricht in der Orthographie. Bremiportu, ap. Krause et Randermann, 1908. Pr. 0.30 M.

Dr. J. Ziehen, Neue Studien zur Lateinischen Anthologie. Francofurti a. M., ap. Maurit. Diesterweg, 1909. Pgg. 37. Pr. 1.80 M.

Catalogi antiquarii:

Bernh. Liebisch Lipsiensis — Cat. 184: Klass. Philol. u. Altertumsk., pgg. 82 (Lat. Schriftst. u. Erläuterungsschrift. pgg. 54—82)

Th. Kampffmeyer Berolinensis — Cat. 463: Klass., german. u. roman. Philol., pgg. 82 (Klass. Phil. u. Altertumsk. pgg. 1—35, Griech. u. lat. Gramm., Metr. u. Lexikogr. 35—39)

Lud. Rosenthal Monacensis — Cat. 130: Seltene Wiegendrucke, Handschr. etc., num. 159 c. 40 imagg. Pr. 3 M.

Otto Petters Heidelbergensis — Cat. 42: Klass. Phil., num. 4137 (Latein. Schriftst. 1903—3166, Lateiner d. Mittelalt. 3167—3278)

Alafr. Lorentz Lipsiensis — Cat. 57: Klass. Phil. u. wissenschaftl. Pädagogik, num. 1629 (Auct. graeci et lat., Neulateiner etc. 1—1132)

Gust. Fock Lipsiensis — Cat. 369: Klass. Phil. u. Altertumsk., num. 1—2079 (Auct. lat. 827—1193, Mittel- u. Neulat. 1194—1243, Opusc. etc. 1244—1307)

Süddeutsches Antiquariat, Monachii — Cat. 115: Klass. Phil. u. Altertumsk., Humanismus, num. 1—3943 (Aut. lat. 1512—3029, Neulat. etc. 3030—32[illegible])

List et Francke Lipsienses — Cat. 415: Bibliotheca Phil. Class. II, num. 1—2653 (Miscell., opusc. 1—329, Mittel. u. Neulat. 330—604)

Franc. Malota Vindobonensis — Cat. 68: Archaeologie, num. 1—1139 (Röm. Archaeol. 915—1090)

J. Gamber Parisiensis — Cat. 48: Histoire et Littérat., num. 1—3604 (Phil. class. 3257—3604)

Guil. Jacobsohn et Soc. Vratislavienses — Cat. 237: Orient., Philos., Klass. Phil., Incunabeln, pgg. 76 (Auct., opuscula etc. pgg. 1—16)

C. Klincksieck Parisiensis — Cat. 1910/2: Phil. class. et Hist. ancienne, num. 1—2307 (Aut. lat. 722—1247, néolat. 1248—1346)

Errores Typographi

corrigendi sunt hi:

In pag. 126 num. VIII prioris anni: **W. E.** Gladstone pro: W. J. G... et

in pag. 15 num. I huius anni: **Iabalahae** pro: Iabalahae.

Variorum Poetarum Germanicorum Carmina

latine vertit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

Fr. Schilleri carmen quod „Odysseus" inscribitur

Cuncta petens patriam secat aequora divus Ulixes;
Scyllae latratus atque Charybdis aquas
Infestas, maris et terrae discrimina, dira
Quin etiam Ditis regna pererrat inops.
Denique fato Ithaces, dum dormit, fertur ad oras;
Flensque deinde nequit noscere rura patris.

„Leise zieht durch mein Gemüt" carmen H. Heinié.

Leniter mentem sonitus pererrat
Suavibus nostram modulatus auris.
Tinnias longe vaga, cantilena
Dedita veri!

Tinnias late resonans ad aedes,
Qua virent verni radiantque flores:
Si rosam spectas, age me salutem
Dicere narra!

Carmen Jos. de Eichendorff „In einem kühlen Grunde"

In valle quadam mola rotatur frigida;
Evanuit amica, quae fuit incola.

Haec fidem mi spopondit et dedit [anulum,
Sed fidem non servavit: est fractum [symbolum.

Nunc fidicen vagari per terrae litora,
Per domos vadens velim cantare [carmina;

Inferri velim diras in pugnas equitans,
Ad ignes cubitare nocturnos vigilans.

Audito molae sono quid velim nescio —
Quietus uti fiam, perire cupio.

Ernesti de Feuchtersleben carmen „Es ist bestimmt in Gottes Rat".

Statutum est a numine,
Ut quod amamus maxime,
Linquamus,
In rerum quamquam ordine
Nil minus quam discedere
Probamus.

Donatus si es flosculo,
Hunc vase pone vitreo,
Sed scias:
Quae cras florescet primula,
Flaccescet nocte proxima,
Hoc scias!

Si amat te puellula,
Hanc ama mente candida
Calentem!
Nam virgo brevi tempore
Haud scio an velinquat te
Tum flentem!

At velim recte cogites
Hoc: cum discedunt hemines,
Loquuntur hi: „ad reditum,
Ad reditum, ad reditum"!

PROGRAMMA

CERTAMINIS POETICI HOEUFFTIANI IN ANNUM MCMXI INDICTI.

Prid. Id. Mart. in consessu Ordinis litterarii iudices de XXXIX carminibus sibi missis hunc in modum rettulerunt.

Septendecim carmina nimis exilia visa sunt statimque seposita, quae gradatim enumerabimus: *Aeneas, Fraternitas generis humani, Laus Humanismi, Ad discipulum adulescentem, Prima aetas generis humani, Pater Patriae, Balmesiana lux, Ad Podotrochum, Beatitudo, Omnia celeriter fluunt.* Novem carminum *Sylloge, De Quaestione sociali, In obitu Iosue Carduccii Epicedion, Carmina nuptialia, Vis mentis, Rusticatio, Brembus.*

Sequentur novem carmina quae propter formam laude non carebant nec tamen digna visa sunt quae ederentur. Fuerunt quae sequuntur: *Aeris dominatio, Scylla et Charybdis, Vallis Mariana, Sacellum ad Tres Spicas, Messanae terrae motus, Sancta Oda, Messana terrae motu funditus eversa, Terrae motus ad fretum Siculum, Fine orbis appropinquante.*

His longe praestabant sex carmina quae sequuntur: *California, Operariorum seditio, In simiae amatores, Helena, Vera fraternitas, Non est mea neptis mortua.* Haec tamen carmina obscurantur insigni praestantia septem carminum quae iam sola restant.

Ex his praemio dignissimum est pulcherrimum carmen quo egregius poeta eximie cecinit *Pomponiam Graecinam.* Huic aureum praemium tribuimus et aperta schedula apparuit nomen poetae: Johannis Pascoli Bononiensis.

Itidem digna visa sunt quae prelo subiciantur sex carmina quorum agmen ducit *Oasis,* cuius auctorem se professus est Eduardus San Giovanni Brooklyniensis, deinceps *Cervisia* Alessandri Zappatae in urbe Ancona, *Ecloga Zanclaea* quam cecinit Vincenzo Ussani Panhormitanus, *De Siciliae et Calabriae excidio* et *Comoedia* quorum auctores nobis nondum innotuerunt, denique *De agrorum cultura fovenda ad Italos,* quod misit Alfonso Casoli Venetianus. Haec igitur carmina propediem Legati Hoeufftiani sumptibus edentur quatenus poetae schedulam aperiendi veniam tunc dederint.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ianuarias proximi anni mittant *Hermanno Thomae Karsten,* ordinis litterarii Academiae Ab-actis, munita sententia, item inscribenda schedulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transscribendo portabile prelum Britannicum (*typewriter*) adhibere velint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, quando schedulae aperiendae venia dabitur.

Exitus certaminis in consessu Ordinis mense Martio pronuntiabitur [1]), quo facto schedulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami
m. Apr. MCMX.

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE,
Ordinis Praeside.

[1]) Vulgabitur mense Martio in diariis Italicis his: Gazetta ufficiale del Regno, Bollettino ufficiale, Tribuna, Vox Urbis, La Nazione.

Responsorium

T. S.: Pro chartula pulcherrimae regionis vestrae effigiem exhibente gratias ago quam plurimas, non probanda tamen videtur latinitas tua, quam si hodie emendavero, utilem me tibi fore intelleges. Non dicitur latine: tibi communicare, sed tecum, quod verbum, ut ,scribere, certiorem facere, declarare' aliaque huius generis, regit acc. c. inf. Scribendum igitur fuit: ,tecum communico ne unum quidem *(vel: nullum)* numerum ad me pervenisse'. Tum: ,Peto igitur vehementer, ut numeros ad me *(vel: mihi)* mittas' et: ,diligens lector', non: ,diligenter' et: ,discipulus gymnasii S...iani' dici oportuit. Sed haec omnia diligenter legendo Scriptore Latino mutabuntur. Vale.

H. L.: Nomen tuum cum in animo sit asciscere inter conscriptores, S. L. imposterum ab ipso editore accipies condicionibus in altera operculi pagina indicatis. Qua re te adductum iri speramus, ut saepius stilo tuo eleganti nos lectoresque nostros delectes, fortasse etiam, si tibi videbitur, narrationes soluta oratione scribendo vel vertendo. Valeas.

L. V.: Admiranda sane est tua in latine scribendo facilitas, qua epistulae tuae tanquam vernaculo sermone confectae videntur. Quam dolet non prius nobis innotuisse virum tam latinitatis amantem! Quod attinet ad carmina e germanico translata, id praecipue laude dignum est, quod, quamvis accurate exempli verba reddere studeas, latini tamen syllabarum accentus utique servantur. Misi ad te quaedam ex actis diurnis excerpta, e quibus, quae placeant, seligas velim ad vertendum, reliqua remittas. Valeas.

R. H.: Gratias ago pro aenigmatis; quae si versibus inclusisses, gratiora essent. Prima solutio haud prorsus respondet. Vale.

Varia

Mira Latinitas

Ut interesset concilio clericorum, inter alios multos Basileam olim venerat praelatus quidam Hildesiensis, vir forma ad dignitatem apposita, sed qui magis domesticas monasterii sui res curarat, quam doctas controversias theologorum. Is, quam non valeret doctrina, intellexit, cum unus de pontificiis legatis comiter eum eleganterque alloqueretur latine. Nam quamvis anxie, quidquid supererat verborum, conquireret, cum maximo suo dolore sensit latinitatem suam vernaculam ad dialogum non sufficere. Tum desperatus consilium sequens capellani sui, qui ei insusurravit, ut celeri ordine omnes circa Hildesiam pagos, qui decumam deberent, enumeraret, quasi demum, quo consisteret in loquendo, repperisset, magna voce exclamavit: Soehre, Itzum, Heinde, Lechstedt, Achten, Asel, Babenstedt, Drispenstedt, Maxen, Giessen, Borsum und Sorsum! — Quae verba tam absona a more patrio summa cum admiratione auscultatus, Italus, cum ei comes praelati dixisset illum tantum versatum esse in scientia linguarum, ut, quaecumque loqueretur, invito eo miram in varietatem abirent, capite in docti viri venerationem inclinato discessit, nunquam post — sic ei stabat sententia — cum illo se in sermonem daturus.

(Weichert, Hannoversche Sagen und Geschichten)

Sus Latinus

In publica schola cuiusdam oppidi Thuringiae discipuli intra quadragesimum et quinquagesimum prioris saeculi annos multis difficilibusque pensis latinis graviter exercebantur. Macellarii potissimum filiolo tantum displicebat institutio, ut magister minitaretur se illius ignaviam in notitiam patris esse perlaturum. Quibus verbis puer minime commotus: Negat pater, inquit laetissimo vultu, me latine discere oportere, quippe cum latini sues apud nos non caedantur. (Tägl. Rundschau)

De famulo artis ludricae amatore

Avunculus meus olim habebat famulum, hominem rusticum nec ita sapientem, sed fidum ac modestum, cui nomen erat Petrus. Quinquaginta fere annos natus is nunquam viderat theatrum neque cuiquam interfuerat spectaculo. Quod cum forte audivisset erus, Petro schedulam donavit, qua potestatem haberet spectaculi invisendi. Ubi vesperavit, Petrus magno cum gaudio et superbe ingrediens officinam eri reliquit, sed hora vix dimidia praeterita plane, ut videbatur, contentus iis rebus quas viderat domum rediit. Satis admirans erus „dic agedum" inquit „Petre, quid est quod iam revertaris? num tibi displicuit spectaculum?" „„Immo vero, ere,"" refert ille, „„sane hercle quae spectavi mihi placuerunt, quia fuerunt pulcherrima et valde me oblectarunt."" Tum erus „atqui, Petre, non nisi perpauca horae momenta in theatro fuisti; quid tandem vidisti isto brevissimo tempore?" At homunculus noster „„magnopere, inquam, gavisus sum, satis commode animum meum delectavi. Pendebat enim ibi tabula picta haud mediocris magnitudinis et pulchritudinis; tota domus plena erat hominum utriusque sexus in multis tabulatis sedentium; hi omnes usque ridere, laetari, garrire, sermocinari; hoc mihi magnae erat delectationi. Ipse ego perpetuo inspectabam imaginem illam, quae egregie mihi placebat."" Deinde erus „sed quid porro?" et Petrus „„postquam, ere, aliquamdiu inspexi tabulam, subito tintinnabulum tinnit, mox iterum tinnit, omnes homines statim conticescunt, tabula velocissime sublime rapitur; post tabulam autem tres vel quattuor stant homunciones, qui summa voce inter se colloquuntur multa; ceteri in domo sedentes plane silescunt ac diligentissime auscultant quid illi post taculam stantes fabulentur. Quae cum ita essent, egomet coepi mecum sic cogitare: quid tua interest, quas nugas homines alieni garriant? — et abii domum."" Guil. Lhm. Vratisl.

Aenigmata

1. Saltus equinus

		ae	dul		
	tum	to	ci	ti	
a	no	ce	quo	ri	vi
to	sce	tu	ren	ma	da
co	vi	li	fi	ra	se
re	re	gno	per	fe-	le

2. Telegraphema

—..—— | ..— | ... | ——.. |
————... | ————.—— |
—...—— | ..——— | —————.. |
..——————— |
————..———— | —..— |

vita, periculum, abusus, sus, irrisor, armoriolum, meridies, ilex, cucumis, sumen, lac, anulus

Haec verba supra *mutato ordine* punctis et lineolis notata sunt. Si *recte* erunt disposita, litterae *punctis* descriptae *proverbium* exhibebunt.

3. Hexameter mysticus

Barbara, meum: mirabile.
Quis leget integrum?

Horum aenigmatum qui duo solverit intra triginta dies, unius sortis particeps erit in urna, qui cuncta, duarum. Unus sortitus accipiet libellum:

Dr. J. W. Juxicus, Der lustige Lateiner. Francofurti, ap. H. Lüstenöder, 1909.

Sententiae latine vertendae:

Die Ausführungen des Kallikles enthalten zunächst ein psychologisches Element, eine Genealogie der Moral. Die Moral ist eine Waffe, deren sich der Schwache zum Ausgleich seiner Inferiorität bedient. Sie führt also auch auf die φύσις, den Kampf ums Dasein und um die Selbstbehauptung zurück. Die Schwachen sehen mit Neid auf das πλεονεκτεῖν der Starken und prägen deshalb, um sich selbst zu erhöhen und um die Starken an der Entfaltung ihrer natürlichen Fähigkeiten zu hindern, den νόμος. Zweitens aber enthalten sie auch eine Umwertung der Werte. Der νόμος ist danach nicht nur nicht verbindlich für den Starken, sondern er bedeutet die schwerste Schädigung für ihn, da er den angeborenen Adel der Persönlichkeit zerstört, die Bestie zähmt. Die wahren Heroen, die ihrer eigenen φύσις vertrauenden, das ἴσον missachtenden Gewaltmenschen, wie Xerxes, werden damit zu einem erstrebenswerten Ideal. Damit verbindet es sich gut, dass in der Theorie des Kallikles die Tapferkeit gegenüber der Feigheit eine besondere Wertung erhält, und zu der Freude am Sichausleben aller irrationalen Triebe gesellt sich schliesslich auch die Achtung vor dem überlegenen Intellekt, die Kallikles als etwas Selbstverständliches vorträgt.

(Ex libro: Dr. W. Süss, Ethos. Studien zur älteren griechischen Rhetorik. Lipsiae ap. B. G. Teubnerum 1910, pgg. VI + 274, pr. 10.50 ℳ.)

Huic penso qui satisfecerit optime, Scriptorem Latinum gratis accipiet per VI menses. Versiones intra sexaginta dies huc pervenire debebunt.

Censura Librorum

Dr. Guido Maria Dreves, Die Kirche der Lateiner in ihren Liedern. (E serie librorum: ‚Sammlung Kösel' vol. 16.) Camboduni, ap. Jos. Koesel, 1908. Pgg. XII + 203. Pr. 1 M.

Pauci nitidissimum hunc libellum legentes, nisi ipsi in aliquo genere litterarum versentur, merito poterunt aestimare, quanta sit fueritque difficultas tantam materiam parvo ducentarum fere paginarum numero complecti. Nam qui hymnos latinos vult colligere, ei, si tempus consideramus, plus mille annorum, si spatium, cunctorum occidentalis Europae populorum perscrutanda sunt breviaria, missalia, hymnaria aliaque in bibliothecis et archiviis latentia opera vel typis impressa vel, quae longe plurima sunt, manu scripta. Cui labori ex plus viginti annis totum se tradens Dreves, auctor opusculi nostri, effecit, ut, quicunque delectantur his rebus, omnia ex historia hymnorum scitu digna inde possint faciliter haurire. Et quod initio dixi, alio sensu propria quasi laus libelli est: dum legimus, non olfacimus, ut ita dicam, viri docti sudorem; tam iucunde fluunt, tam simpliciter verba scriptoris, ut etiam imperitis hymnologiae nihil difficile sit ad intelligendum. Finem faciunt praeter varios indices ea carmina latina, quorum versiones ab ipso auctore — et optime quidem — factae textui libri inspersae iuveniuntur. —o

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

prodit idibus cuiusque mensis mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M.

Scriptorum merces est 36 M pro 16 paginis: iidem solvunt pro subscriptione sua minutum bibliopolarum pretium, i. e. 3.00 M annue, et accipiunt eius numeri, in quo inest commentatio, 3 exempla, scripti ipsius 10 plagulas seorsim expressas.

Epistulae, manuscripta aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur:

Ad Voldemarum Lommatzsch,
Bremiportu (Bremerhaven),

pecuniae vero, libri et libelli, de quibus censurae fiant, epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,

Bibliopolam Hans Lüstenöder,
Francofurti a. M.,
Eschersheimer Landstraße 112.

Nomina et domicilia
eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., .	*Glendale*
J. J. Hartman, Prof. Univers., ...	*Leiden*
V. Hertel, Parochus, ...	*Grossneundorf*
J. E. Kenny, Prof. Gymn., ...	*St. Paul*
W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em.,	*Breslau*
Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn.	*Stuttgart*
F. Palata, „ „	*Prossnitz*
Dr. G. Pitacco, „ „	*Görz*
L. L. Podobinski, „ „	*Krakow*
J. Roberti, Rect. Gymn., ...	*Cesena*
W. Rösch, Prof. Gymn. em., ...	*Heilbronn a. N.*
Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., . .	*Giessen*
Dr. P. Schmid, a cons. stud., ...	*Dresden*
J. Tasset, ...	*Tonnerre*
C. Thieme, Parochus, ...	*Marienstatt*
P. Worms, Prof. Gymn., ...	*Meldorf*

SCRIPTOR LATINUS

(NOVA »CIVIS ROMANI« SERIES)

Menstruus Ad Linguam Latinam Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII: Numerus III

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguam Latinam
Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII Francofurti a. M., Mense Julio MCMX Numerus III

Notandum!

Omnes litterae, quae ab idibus Juliis usque ad quintum fere diem Augusti ad me dirigentur, dentur velim tabellariis Londiniensibus servandae i. e. hoc modo inscribantur:

Dno Voldemaro Lommatzsch, Redactori ‚Scriptoris Latini',
Poste restante, London.

Cunctis ac singulis, quibus aestivo otio frui licet, laetissimas felicissimasque ferias exoptans, vos, lectores atque amici, saluto

vobis semper addictissimus
Lommatius.

In Fernandi Freiligrathi ante hos C annos nati memoriam

— d. 17mo m. Jun. 1810/1910 —

Carmen „O lieb', so lang du lieben kannst —"

latine vertit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

Amare perge, quamdiu fas est, ama!
Amare gaude, quamdiu mens postulat!
Accedet hora nec moratur hora, qua
Adstans sepulcris voce tristi congemes!

Tuumque cura pectus ardeat pie
Servetque amorem praestet et caram fidem,
Quoad fideli prosequuntur cor tuum
Amore alius mutuo praecordia!

Tibique quivis dat vicissim cor suum,
Hunc gratiae fac compotem summae tuae,
Omnes et horas redde amico lucidas,
Ullam sed horam nubilam reddas cave!

Tuamque linguam continere cogita:
Nam vox acerbe dicta proruit fugax!
Tu forsan „hercle nolui te laedere“, —
At ille tristis cedit ac multum gemens.

Amare perge, quamdiu fas est, ama!
Amare gaude, quamdiu mens postulat!
Accedet hora nec moratur hora, qua
Adstans sepulcris voce tristi congemes!

Tum sub cupressis maestus inclinas genu
Oculosque flendo tetricos et umidos
— Longe remotum non videbis amplius —
Terrae recondis roscidis herbis sacrae.

Et dicis „in me, care, despectes precor,
Qui lacrimans hic ante bustum sto tuum!
Ignosce, quod te vulneravi nescius,
Id, per deum, non egeram, ut te offenderem!“

At ille non iam te videt nec audiet
Nec pervenit capturus amplexus tuos,
Nec non, tibi quod os ferebat oscula,
Nunquam „„diu iam““ dicet „„ignovi tibi.““

Ignovit ille, iam diu ignovit tibi,
Sed lacrimarum, crede, fluxit magna vis
Tuaque causa et contumeliam ob tuam —
Tace —: quiescit assecutus exitum!

Amare perge, quamdiu fas est, ama!
Amare gaude, quamdiu mens postulat!
Accedet hora nec moratur hora, qua
Adstans sepulcris voce tristi congemes!


De »Great Eastern« et »George Washington« Navibus Vaporariis

scripsit

Voldemarus Lommatius.

Septimo decimo mensis Iunii die quinquaginta erant anni, quum illa Great Eastern navis, quae tempore praecessit ingentia huius aetatis ad traiciendum Mare Atlanticum navigia, Southamptonio profecta est Neoboracum versus iter factura. Quae quum omnes, quae ante aedificatae erant, naves magnitudine superaret, singulari utendum fuit constantia, ut tantum opus perficeretur. Haec vero laus ac gloria est viri technicae artis peritissimi, nomine Ioambart Kingdom Brunel, cuius pater anno 1825 Tamesim flumen cuniculo iungere instituerat. Is, postquam ditissimis aliquot viris persuasit rem fieri posse, anno 1852 in navalibus Russellianis, quae Millwalli erant prope Londinium, carinam navis posuit, cui primum nomen »Leviathan«, postea »Great Eastern« datum est. Haec tanta fuit magnitudine, ut quinto demum anno posset, et in partes quidem dissoluta, in aquam deduci. Immo tres etiam praeteribant anni, dum primum illud, quod supra diximus, iter potuit iniri, quo in itinere igniferam, quae Sandy Hook vocatur, turrim attigerunt post duodecim dierum cursum.

Movebatur autem navis, quae 679 circiter pedes longa et 83 lata erat, duabus rotis pinnatis 55 fere pedum et cochlea 24 pedum diametro. Huic machina 4000 suppeditabat virium, quas technici vocant, equinarum, illis



3650, ita ut 7650 omnino essent vires indicatae. Praeterea navigium sex malos habebat, quorum duo transversis, ceteri rectis erant velis instructi, qui quanti fuerint, inde colligi potest, quod antenna principalis habebat 121 pedum longitudinem. Adde huc ingentia fumaria amplissimaque vela — erat enim eorum superficies 6500 metrorum quadratorum — iam animo finges navem illam magnificam summam cuivis spectanti iniecisse admirationem. Nec minus mirabilis erat celeritas navigandi, quippe quum navigium singulis horis $14\frac{1}{2}$ milliaria permetiri posset, quod eo pluris aestimandum videtur, quod nunquam ante technici periculum fecerant pinnis simul ac propulsoribus ad promovendas naves utendi.

Tamen res sumptiosior erat, quam ut quicquam posset inde pecuniae redire. Itaque mox omisso personarum merciumque commeatu navis vario in usu erat per triginta sex annos maximeque adhibebatur ad telegraphicos funes in mare demittendos, quae opera, si verum quaerimus, parum digna videtur navigio tam artificiose fabricato. Nam qua usum erat celeritatem nulla alia navis assecuta est intra proximos undeviginti annos, mensurae prima fuit aemula illa ex Germanici Caesaris nomine appellata navis, quae anno 1903 aedificata est.*)

*) Plena eius descriptio, quae numeris IX et X anni III huius commentarii publicata est, apud me prostat pretio 55 nummulorum. Red.

Ingeniosissimam denique totius operis structuram — habebat enim costas per longitudinem quoque insertas et duplicem fundum — multi sunt ad hunc diem imitati.

At, quae usus docuerat navis, minime poterant societates navales ad nova eius generis navigia comparanda movere. Revertentes igitur ad longitudinem centum vel centum et viginti metrorum, dum et maiorem fructum ex vi vaporis percipere et impensae carbonum parcere student, navigationem lucrosiorem reddere conatae sunt. Haec aedificandi ratio fuit usque ad octogesimum fere superioris saeculi annum. Tum vero commercio inter gentes crescente maiores paulatim naves aedificari coeptae sunt, ut mox essent centum et sexaginta vel septuaginta metra longae. Nunc ducenta iam excedunt metra.

Lloydiana quidem navis, quae »George Washington« vocatur, cum 220,2 metra longa sit, Britannicam illam longitudine superat 13,2 metrorum, quamquam 1,22 m angustior est. Vectorum capit 2676, quorum in primae classis diaetis 565, in altera classe 433, in tertia 452, in caverna 1226 commodissime possunt collocari, quibus tamen adnumerandi sunt 586 officiales, nautae, medici, tabellarii, coqui, promi, servi cuivis vectorum desiderio obsequentes, machinarii, calefactores aliique, qui ministerio vacant, homines. Notum est, opinor, lectoribus ne obstetricem quidem

deese in hoc aedificio omnes quasi a primo usque ad ultimum diem humanae vitae gradus exhibente.

Machinarum vis par est viginti milibus equorum, i. e. triplici eius numeri, quem in Anglicae navis descriptione indicavimus. Ita fit, ut »Washington«, quemadmodum breviter appellari solet, in itineribus adhuc factis, si singulas ad horas revocamus rationem, plus minus 18,5 milliaria transigere potuerit. Propellitur enim duabus cochleis duplicibus, quae ut circumagantur, duae machinae vaporariae opus sunt quadruplici, ut aiunt technici, expansione. Aedificata vero est Bredoviae in »Vulcani« navalibus Sediniensibus.

Denique haud omittendum existimo navem nostram non solum maximam esse inter mercatorias Germaniae naves, sed multis etiam commodis ceteras superare. Sic in vectoriis primae classis cellis lectuli non, ut alias mos est, alter supra alterum dispositi sunt, sed ipso in solio stantes. Praeterea, ut decet natantem huius saeculi domum, ne elevatores quidem desunt, qui proximi sunt triclinium maius quibusque utentes homines facillime possunt sine ullo corporis incommodo ex uno in alterum ascendere aut descendere constrato.

Sententiae

Animus hominis dives, non arca appellari solet. Quamvis illa sit plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo.

Cicero.

Quo modo aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare?

Cicero.

Nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile.

Cicero.

Oratiunculae Latinae,

quas variis olim occasionibus habuit **Guilelmus Roscius Heilbronnensis.**

5

Sermo apud Primanos habitus excursione facta

Commilitones, absoluto jamjam biennio, quod discendi et docendi consuetudine conjuncti fuimus, ultimum nunc ausi sumus evagati ex umbra et parietibus scholae majorum nostrorum exemplo silvarum umbrae et montium solitudini nos dare vacuos curis et officio. Neque ego timui auctor vobis esse in ipso fortunae discrimine, in limine rigorosae, quam vocant, maturitatis intermittendi studia et recreandi animos et corpora communi ambulatione et laetitia, non quo avocarem vos a serio et diligentia officii, sed quia mihi persuasi nulla re magis ad nova pericula praeparari et confirmari mentis animique vires quam recreatione liberali, collegiali, Joviali. Spero igitur fructum vos proximis diebus percepturos etiam ex huius diei otio ac voluptate, omniaque fausta felicia vobis precor. Sed retro quoque oculos vertere tempus jubet. Itaque audiatis quaeso pauca me de me ipso loquentem. Ita me Deus juvet ut mihi nihil semper magis cordi fuit, quam ut adjuvarem vestra studia et progressus. Atque si non semper socium magis et confratrem me quam magistrum et correctorem experti estis, hoc quidem vobis persuadeatis rogo neque unquam me cuiquam vestrum nisi bene voluisse, — in magnis autem, ait poeta, voluisse sat est — et si cui forte parum id apparuit, me fateri: piget pudet poenitet taedet atque miseret. Neque ignorans, quam varia sint cum hominum tum adulescentium ingenia, nunquam omnia ab omnibus expectanda censui, et procul habeo postulare, ac vix audeo sperare, ut etiam postea, si non diurna, at nocturna interdum manu versetis quos vocant classicos: satis habeo, si mea quoque, quantulacunque fuit, opera factum est, ut vobis persuadeatis nullo magis litterarum et disciplinae genere puerorum et adulescentium animos quam illis scriptoribus tractandis praeparari ad id, quod bonum verum pulchrum est, cognoscendum, diligendum, colendum. Hac igitur mente, addita prece, ut in posterum quoque non nimis ingrata nostri memoria respiciatis et recolatis annos gymnasiales, moneo ut elevatis poculis hoc mecum votum suscipiatis:

vivant floreant crescant adulescentium humanitatis studio deditorum corporis vires, animi alacritas, patriae et omnium bonarum artium amor et studia!

Dolopathi De Thesauro Narratiuncula

(J. Ulrich, Proben d. lat. Novellistik d. Mittelalt. Lipsiae 1906) [1])

(Absolvitur)

Tu autem serato ostio turrim iterum atque iterum circueas, considerando, si per aliquam muri rimulam fumum egredi videris. Hoc facto, ad me redeas consilium accepturus, quid post haec tibi agendum sit. Rex autem dictum senis festinanter impleri iubens clausit ostium et coepit tacitus turris ambitus circuire. Ecce autem ex calore ignis viridisque materiae humore fumus excitatus totam usque ad testudinem replevit turrim, qui dum alias spiraculum non haberet, per locum foraminis illius, eo quod lapide tantum sine caemento obstructum fuerat, egreditur. Quod intuens rex festinus venit ad senem, quid viderit, manifestat. Audiens hoc senex: Scias, ait, o rex, fures tibi tuos per locum, ubi fumus egreditur, abstulisse thesauros, quos nisi aliqua arte capias, quod superest, asportabunt. Non enim cessabunt, quippe quibus adhuc prospere cessit res, donec totum thesaurum exhauriant. Meo igitur utere[2]) consilio, damnum dissimula et preme silentio, ne rumore hoc per aures populi discurrente tuum furibus studium innotescat, et tu interim cuppam latam et profundam calenti imple bitumine, resina, pice et glutine, quam foramini introrsus opponas, ut dum fur more solito securus nullam deceptionem suspicans ad assuetum thesaurum recurrerit, repente in cuppam corruat, captusque et colligatus glutine se tibi velit nolit in crastinum manifestet. Admiratus rex astutum senis consilium, cuppam illico ferventi impletans glutine opponit foramini seratoque ostio abscedit.

Ecce autem fatalis illa dies, quae neminem bonum malumve praeterit, miserum patrem cum filio eadem nocte ad turrim adducit, remotoque a foramine lapide intrat pater, nihil de praetensis laqueis suspicatus, dumque festinat, ut heri et nudius tertius in pavimentum salire, incautus, miser, ut erat vestitus calciatusque, cuppam mentotenus insilit statimque vallatus glutine redditur immobilis, ita ut nec manum nec pedem vel aliquod membrorum movere posset excepta lingua, quae tantum ab hac iniuria libera remanserat. Ingemiscens igitur infelix filium advocat, insinuat, quibus laqueis teneatur astrictus, orat, ut ei cito, antequam aliquis superveniat, caput amputet et abscedat, ne forte per caput cognitus aeternam suo generi maculam inferat et iacturam. At vero filius totis viribus patrem conatur extrahere; cum laborem suum frustrari videret, coepit anxiari et haesitare, quid de duobus ageret. Hinc etenim horrebat suas in nece patris cruentare manus, hinc vero metuebat per facem patris deprehendi. Dum ergo eum a nece retraheret amor, timor et necessitas urgeret, nesciens, quid utilius ad tempus ageret, caput patris cultro abscisum fugiens asportavit.

Jn crastinum autem rex summo mane de lectulo surgens intravit turrim cucurritque ad cuppam invenitque murum perforatum et totam illam bituminis superficiem infectam sanguine, furem quoque adesse suum, sed truncato capite deprehendit. Festinans ergo ad suum recurrit consiliarium, illum videlicet senem, annuntians captum quidem furem, sed capite mutilatum. Quod cum audisset senex, parumque subridens: Miror, ait, huius latronis astutiam. Quia enim nobilis erat nec voluit se vel genus suum perdere, idcirco a socio sibi caput amputari fecit. Unde difficile videtur mihi, te posse aut thesaurum recuperare aut cognoscere furem. Tunc rex vehementer urgebat

---

[1]) Notandae sunt praeter illa num. I. indicata hae formas, quas secundum hodiernam orthographiam scripsimus: nichil, michi, addeunt, dampnum, fummum, hii, hiis, pertitus.

[2]) in textu: uteres.

senem, ut daret consilium, minime de thesauro perdito aiens se curare, si tantummodo furem, quis fuerit, agnovisset. Cui senex: Fac illum, inquit, abstractum de cuppa caudae equi fortissimi alligari trahique per plateas et vicos civitatum regni tui. Porro milites armati subsequantur capientes, si quos viderint viros vel mulieres ad aspectum cadaveris lacrimari, tibique eos praesentantes. Et si fuerit ibi socius aut uxor aut filii, nequaquam poterunt a lacrimis temperare.

Bonum rex ratus senis consilium, iubet festinato truncum equo fortissimo pedibus alligatum cum armatis militibus trahi per proximam civitatem. Qui dum miser traheretur, contigit eum ante fores domus suae devenire. Stabat autem ille filius eius maior, qui et ei fuerat socius, ante ipsas fores. Qui cum videret patrem sic miserabiliter trahi, flere quidem non audens, sed non volens lacrimas prohibere, occasione recepta cultellum lignumque accipit quasi aliquid incisurus, sinistraeque manus pollicem ex industria sibi amputavit. Tunc vero sub occasione pollicis vocem emittit luctuosam, erumpunt lacrimae, accurrit mater, fratres et sorores dilacerant manibus vestes oraque et capillos, in persona filii patris miseriam lamentantes. Affuerunt illico milites, qui eos caperent ducerentque ad regem. At vero rex maximo effluctuans gaudio, sperans, quod perdita recuperare posset, pollicebatur illis vitam et gratiam suam, si crimen confiterentur redderentque thesauros. Juvenis autem ille ex metu et necessitate audaciam sumens: Non ideo, ait, o serenissime rex, ego aut mei, quia hic miser truncus ad nos aliquid pertineat, lacrimas effundimus, sed quia hic[3]) dies nefastus mihi sinistrae manus pollicem abstulit. Ob hoc ergo lacrimae effusae, exaratae facies, capilli evulsi, quia ego adhuc iuvenis hodie heu uno et potiori membro debilitatus sum. Rex vero pollicem adhuc fluentem sanguine certissimum veritatis argumentum fore ratus, motus misericordia super fortuna iuvenis: Non est, ait, mirum, si dolet, cui male contigit; vade in pace et hunc diem male ominatum de cetero praecaveto. Sic ergo ille astutia sua se suosque liberans ad propria remeavit, et rex similitudine delusus veritatis redit ad senem consilium accepturus.

Senex vero asserebat regem vix posse invenire, quod quaereret, suadebat tamen, ut cadaver iterum per eandem traheretur civitatem, quod et factum est. Cumque ut prius ventum esset ad domum eius, filius internum animi dolorem non ferens filium parvulum in puteum, qui pro foribus erat, clam proiecit, tuncque vultum unguibus carpens voce lacrimosa populos quasi ad liberandum filium convocat. Accurrit iterum mater cum filiis, girant puteum, lacrimantur, aliique funibus ad extrahendum puerum in puteum se dimittunt et alii eos iterum sursum trahunt. Quid plura? Capitur iterum ille solus duciturque ad regem, et interim cadaver per alias[4]) civitates incassum tractum, ad regem vix ossibus et nervis cohaerens reducitur. Porro rex videns hunc iterum captum, quem antea dimiserat, et nimium admiratus: Quid prosunt, ait, tibi callidae deceptiones, dii summi te produnt, furta tua et crimina te accusant. Redde ergo thesaurum et iuro tibi per meam magnique Jovis potentiam, quod nec te vita nec aliquo privabo membrorum, sed sanum et integrum liberumque dimittam. Tunc latro calliditate sua utens producta primo suspiria ab imo pectoris trahit, dehinc talem emittit vocem: O me, inquiens, omnium infelicissimum hominum, quem tanto dii odio prosecuntur, ut nec solum mihi diem absque doloribus et cruciatibus corporis et animae transire permittant. Heri mihi dies infelix pollicem abstulit, hic hodie infelicior filium unicum demersit in puteum, et ecce de thesauro regis requiror. Tunc etiam lacrimis falsis, immo verissimis perfusus: Magnum, ait, o rex, beneficium solatiumque praestiteris misero, si me ab hac[5]) vita, quae omni tormento,

[3]) in textu: haec.

[4]) in textu: alia. [5]) in textu: haec.

omni morte mihi gravior videtur, subtraxeris. Rex autem cum iuvenem crebris perfundi lacrimis mortemque loco beneficii quaerere videret audiretque, quod vere ipso die filium perdidisset hesternoque pollicem, miseratus hominem abire permisit, centum ei argenti marcas pro solatio tribuens. Sic iterum rex deceptus consiliarium suum adiit aiens, quod in vanum operam insumpsisset.

Sed senex ad regem: Unum, ait, adhuc superest agendum, quo nisi furem superstitem capias, iam frustra ad alia te convertes. Elige tibi milites fortissimos quadraginta, quorum viginti nigris armis nigrisque equis muniantur, aliique viginti albis equis armisque eiusdem coloris sint armati. Hisque cadaver ligno pedibus suspensum nocte ac die custodiendum committas, viginti albis hinc, inde viginti nigris circa ipsum ordinatis. Hi profecto, si vigilanter custodierint, tuum capient furem, quia non patietur ipse diutius pendere socium, etiam si sciat se mortem protinus subiturum. Rex autem, prout dixerat senex, milites nigris albisque munitos armis circa suspensum cadaver ordinavit. At vero fur ille suum patrisque obprobrium ferre non volens malensque semel mori, quam diu infeliciter vivere, deliberavit in animo, quod aut patrem turpi ludibrio subtraheret aut ipse cum eo pariter moreretur. Subtili ergo ingenio arma partita fabricat, tota scilicet ab una parte alba et nigra ab altera, quibus armatus equum hinc albo, inde nigro panno opertum ascendit. Sicque lucente luna per medios transit milites, ut nigra pars armorum eius viginti albos deluderet et alba pars deciperet nigros putarentque nigri unum esse ex albis, et albi unum ex nigris fore. Sic ergo pertransiens venit ad patrem depositumque a ligno asportavit. Facto autem mane milites videntes furem furtim sublatum sibi confusi redierunt ad regem, narrantes, quomodo eos miles albis nigrisque armis partitus decepisset. Desperans ergo iam rex posse recuperari perdita et furem et thesaurum cessavit quaerere.

Verborum probatorum novas novis in rebus iuncturas

quaerebat

Jacobus Tassetius.

IX. Coqua et Ornatrix

Coqua. — O fortunatas ornatrices! quae praeter matulas et trullea nihil immundum tractant. Nos inter focos et purgamenta versamur et urnarii eluviem. Purgare pisces olusque; depilare, exenterare; pelles, viscera detrahere; plumas, putamina verrere, colligere; tum coquinaria escariaque vasa eluere, tergere, nitidare; prunas denique, favillas, carbones, cineres forcipe et batillo agitare: haec nostra vita sunt. —

Ornatrix. — Nos vero pulveribus et floccis vivimus scoparum, peniculi, pectinisque famulae. Mihi curae est totam ornare domum et dominam. —

Coqua. — Tu dominae cuticulam curas, domesticam ego gulam universam. Computa cortinas, ollas, cacabos, sartagines, craticulas; ferrea, aenea, fictilia, murrhina, argentea quae manibus pertractantur meis: patinas, catinos, lances, catillos, discos; cochlearia, ligulas, fuscinulas, cultellos; pocula, scyphos, pateras, scutulasque. —

Ornatrix. — Herae respice cubiculum, balineum, vestes. Eam ex lavatione abstergeo, perfrico, pecto, como, a capite ad calcem vestio. Ei induculam, bracas, castulam induo, strophium semel iterumque stringo, fascias pedibus et calceos induco, vincio periscelide genua. —

Coqua. — Pergrandi ludere mihi videris pupula! —

Ornatrix. — Dii boni! ringor interdum; et pulsare ea aliquando vellem, mihi quae tegenda praebentur: praesertim dum thoracem aut stolam eius aversae fibulo nixa genibus. —

Coqua. — Utinam sic dominae excutere posses socordiam! Sed nunc ad focos abeundum mihi; Veneris est hodiernus dies, agemus perendie ferias. —

Latinitas in Orbe

Carmen Leodense

Initio cuiusdam programmatis, quo scholae latinae Leodensis praeceptores et discipuli invitant ad annuum concentum, hos inveni versus:

Voce clara gaudeant
Leodenses cuncti!
Strenui per omnia,
nunquam non conjuncti.
Sive labor nos vocat,
fortes laboremus;
sive ludus placuit,
impigri certemus.
Floreat per saecula
Schola Leodensis;
salus sit fidelibus,
malae res infensis.

Victi nunquam cedimus,
turpe hoc putamus;
acriores ad pugnam
semper redeamus.
Vulnera pro patria
grata sunt et digna;
vulnerato puero
fama sit benigna.
Floreat per saecula
Schola Leodensis;
salus sit fidelibus,
malae res infensis.

Cuique scholae honor est
maxime servandus;
per quem crescit scholae laus,
ille est laudandus.
Si quis autem otium
cupiat imbellis,
extrudatur patria —
vivat cum puellis!
Floreat per saecula
Schola Leodensis;
salus sit fidelibus,
malae res infensis.

Gratum est videre, quanto studio illius scholae alumni linguae latinae adhaereant. Quod quidem mirum non est in iis, quorum insigne scholasticum verba exhibeat: Nullius non mater disciplinae. Nam, quidquid dicunt adversarii, universe litteras colentibus Romanum ante omnia sermonem curae esse oportet.

Latini in Africa cultus studiosorum globus

Suadente Henrico Bigot, qui professoris munere Tunete fungitur in Lyceo Carnot, superiore anno Carthaginiensis Instituti sodales quo se sermone »Association Tunisienne des Lettres, Sciences et Arts« vocantes, inter se globum Latinae linguae studentium constituerunt, qui quid sibi proposuerit, ex his verbis intellegi potest in commentario bimenstruo »Revue Tunisienne« inscripto publicatis:

Aetatem in regione degimus, quam quidam, rerum primam solum speciem intuentes, pravissimo nomine Arabam vocant, cum revera ab Arabis olim vastata tantum et plane eversa fuerit. Semel enim hactenus in toto aevi decursu magna et florens enituit Africa, scilicet dum Romanis artibus, litteris, scientia, cultu, adjuvantibus Graecis memoriis praeceptisque, vigebat. Tum Apuleius poeticas Graecorum et Romanorum mysteriorum fabulas ultimis et splendidissimis scriptis illustravit; tum Augustinus novis doctrinis, novae fidei hanc ad persuadendum vim et potentiam addidit, ut mox toti terrarum orbi novos mores imponere valeret.

Hodie etiam, cum agricola, aratro glebas convertens, in effossum saxum offendit, si ad spectandum repertum sese submittit, aliquod Romanae aetatis vestigium aspicit Romanaque verba mirans legit!

Aliis ergo praestantibus viris Arabarum antiquitatum curam investigandarum permittentes, quas ad Africanos sane quosdam, minime vero ad Africam ipsi pertinere existimant, nonnulli Romanae linguae, institutorum historiarumque eruditi consilium inierunt, ut otia sua absumerent operasque conferrent in perlustranda atque in lucem proferenda Romanorum ex Africo solo ortorum ingeniorum monumenta.

Quo modo dum antiquas hujus terrarum anguli glorias renovant, forte haud vana eorum videbitur illa spes, ut Gallicae, id est Latinae quo-

que Africae in excelsiora splendidioraque fata viam patefaciant.

Henricus Bigot,
Latini in Carthaginiensi
Instituto globi praeses.

Iamque operi instant Carthaginienses. In prima enim globi latini, cui nomen »Section d'Etudes Latines« datum est, sessione Paulus Monceaux, honorarius praeses, suasit, ut primum omnium, quae auctores in Africa nati scripsissent, verterentur eoque modo in vulgus ederentur, cuius operae specimen dedit ineunte mense Maio Durelius, legens librum primum Metamorphoseon Apulei a se ipso translatum. Speremus laudabile hoc inceptum feliciter esse progressurum!

Latinus in »Mundano Scientiae Sodalitio« coetus

Latino in societate, quae »Alliance Scientifique Universelle« appellatur, coetui ut huius quoque commentarii se adiungerent lectores, Tassetius noster, pro praeside in Gallia orientali negotia gerens, haud semel hisce paginis invitavit. Idem nuper libellum ad nos misit res anno 1909 gestas enarrantem, ex quo libentissime cognovimus inter Mexicanos quoque consociari coepisse latinae linguae amatores. Cui rei omnibus modis student praeter alios L. Herrera, regionalis ibi sodalitii praeses, et Franciscus de Paulo Herrasti, veterum linguarum professor. Quaestiones coetus latini sodalibus propositae sunt priore anno haec:

1) Tales linguae, quales sunt samscrita, hebraica, latina, solis ab eruditis cultae, utrum recte an falso »mortuae« dicantur?

2) Quae constituenda sit disciplinarum ratio ac forma, ut discipulorum quam minime ingenia graventur, quam maxime in suum et in commune bonum instituantur?

Quisquis igitur ex novis nostris amicis in sociorum numerum referri velit, literas inscribat his verbis: Monsieur J. Tasset, Rue de la Thébaïde, Tonnerre (Yonne), France.

Ex Epistulario Redactoris

a. d. XI. Kal. Iunii.

R. K. H... S. D. P. V. Lommatio.

Certior ex tuis litteris factus culpam non in te sed in tabellariis esse, vehementer te obsecro ut mihi ignoscas. Peccavi: fateor; et propter res minutissimas. Velim tibi persuadeas me posthac fiduciam in te positurum maximam. Quantum est situm in me, omnia studia in te tuasque res expecta. Nam in meliorem spem me induxisti sermonem latinum, non modo non perisse, sed potius per te tuosque adiutores revirescere et sensim ea loca quae olim amissa sunt recipere.

Te oro ut ad me mittas C. R. V[i] et VI[i] annorum — si exempla supersunt. Ad hoc VIII adiungo marcas et dimidiam. Vale.

Gratias tibi ago plurimas, vir doctissime, quod ad me numeros duo Civis Romani misisti et in animo habetis totum per annum mittere. Valde mihi placet commentarium et libentissime legam. Fortasse gratiam referre quoque potero aut censuram edendo aut cum amicis de commentario loquendo.

I... C. R...

Datum P....
A. D. V Id. Oct. MDCCCIX.

I... T... I... L... S. D.

Si uales bene est, ego quidem ualeo. Marcas III, pretium Scriptoris Latini minutum, apud tabellarios perscribebam tibi sermonum in his libris editorum scriptor. Quibus ex sermonibus unus, »Candida Lusio« inscriptus, libro mensis maii prodiit; cuius autem libri mihi, si quattuor exempla iubes remitti, pergratum feceris. Plures enim ludunt in ea commentatione personae, quae homines ueri sunt, non ficti, ipsi se in Scriptoris Latini speculo uidere gestientes. Facito igitur ut illa IV exempla accipiam, de quibus gratias tibi maximas agebam, die XIII iunii, ex Turnoduro.

Viro spectatissimo
Woldemaro Lommatio
S. P. D.
A... A... ICtus

Laetus accepi, Vir honoratissime! epistolium tuum d. d. 26 m. Mai, simulque anni VIImi Civis Romani numerum VItum, quibus benevolentiae tuae indiciis maximopere gavisus sum, quum et te valere intelligerem, et Civem adhuc in vivis esse comperirem. Vidi etiam Civem editorem suum Chemnitiensem retinuisse.

Experientia edoctus fasciculos commentarii non ordine ad me transferri, si utar, uti solebam, ministerio bibliopolae, rogatum te velim, ut posthac mihi numeros, prout prodeunt, ipse mittas, vel mittendos cures. Pretium annuum, $4^{1}/_{4}$ marcarum, tibi per assignationem postalem transmittebam, ut nunc a te exspectem omnes numeros anni VIImi in lucem emissos praeter sextum, qui benevola tua cura iam ad me pervenit.

Complures iam se professos esse in conscribendo commentario socios ex te libens cognovi: sed spem, quam fovere te scribis horum nominibus mox et meum se adiuncturum, ex animo deponas quaeso. Quod huic rei coniunctum est officium in me suscipere non ausim, licet libens Civem tuum commendem harum rerum studiosis, et quibus potero modis.

His literis addo versionem poematis Germanici Victoris Scheffelii, quam si a proposito commentarii tui non abhorrere existimes et dignam iudices quae recipiatur, si forte loculus vacet, tibi hunc in finem offero — non aegre laturus, si seposueris. Idem carmen iam latine expresserat Pernwerth von Bärnstein in »Imitatis«, quae prodiere Lipsiae 1897. Huius versionis apographum in fine addam.

Quod attinet ad quaestionem tuam, quibus actis diurnis vel menstruis optime apud nos Civis innotescat, sic censeo: Maxime e re tua fore, si ad hunc finem utaris his actis quae praecipue leguntur ab iis qui in gymnasiis literas antiquas docent, foliis — quae dicuntur — igitur scholasticis. Haec sunt fere apud nos, quae in adiecta plagula indicavi.

Vale, Vir praestantissime, et me ama.

Dabam T... d. XI m. Iunii
a. MDCCCCIX.

Carmen Francisci Kugleri:

„An der Saale hellem Strande"
latine vertit
Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

Ad apricas Salae ripas
Arces stant magnificae,
Quarum tecta ruinosa
Sunt et atria ventosa;
Super stratae nebulae.

Equites quidem fugerunt,
Silent hastae, clipei;
Sed in saxis priscis bellae
Umbrae solent ac tenellae
Apparere hospiti.

Supra innuunt ocelli,
Ora rident rubida.
Longe prospicit viator,
Blandi oculi spectator,
Corda valent hilara.

Cum discessus hora venit
Viatori flebilis,
Vale dicens cantat hospes
Vivereque iussus sospes
Salutatur linteis.

Pretia priorum commentarii annorum apud redactorem venalium sunt haec:

III 5 M., IV (18 num.) 5 M., V 3 M., VI 3 M., VII 4 M.

Red.

Poëta meditans

I

Mane

Roscida purpureos effert aurora jugales
Ac rutilum solis praevia sternit iter;
Jam cantu volucres rupere silentia noctis,
Et jam nulla polo rarave stella micat;
Flammifero Phoebus prodit spectabilis ore
Umbras ac densae noctis abire jubet.
Christe, Patris splendor, vero me lumine reple
Atque meo tenebras pectore pelle procul!

II

Vespere

Jam jubar aetheriae lucis pepulere tenebrae,
Egit et ardentes sub mare Phoebus equos.
Aurea gemmatus temo jam plaustra reducit,
Jamque moves tardos, tarde Boote, pedes;
Jbimus hinc sueto capturi tempore somnum,
Ut renovet dulcis lassula membra quies.
O juvenes, vera mergemur imagine mortis,
Quisque Dei casta voce precemur opem:
Hac nos nocte, pater, ne quo pereamus ab hoste,
Praesens auxilio fac tueare tuo!
Cumque sopor lassos placidus recreaverit artus,
Da spectare hilarem lumina nostra diem!
Nos ita, nocturna seu membra quiete fruentur,
Sive die jussum perficiemus opus:
Esse tuos semper, semper concede manere!
Haec, pater, est nostrae summa caputque precis.

III

Varia

1. Jn diem serenum

Lux quam clara nitet, quam coelum splendet amoenum,
Diffugiunt nubes, mitior aura calet!
O toties optata dies, mihi gaudia gignens,
Quae sequeris pluvias fulgida continuas!
Diceris humanae pulcherrima mentis imago,
Nempe fugant moestas gaudia tristitias!

2. Altiora pete!

Venditor est prudens vulgo »Jacobe!« vocatus,
Ut nitido peras impleat aere suas;
Cernere quem poteris summis descendere nummis
Ac merces pretio vendere vel minimo.
Hunc, ut fine tuo potiare, imitare sagacem
Vota sequens votis ulteriora tuis!

Saravinus

Lectoribus Monitum!

Cum chartula, quam superiore numero promiseramus, nescio quo pacto omissa sit, **hodierno illam fasciculo** curavimus annectendam iterumque nunc petimus, ut nominibus **quam primum inscriptis** sine ulla, si possit, mora ad nos remittatur.

H. Lüstenöder.

Aurum et argentum

lat. redd.

Lindach.

1. Dona sunt dulcissima
aurum et argentum,
quorum velim maria
fluant mihi centum;
nec me signis praedita
forma iuvat una:
auro fulgent sidera
et argento luna.

2. Sed quid auro pulchrius
flavidis cirratae
defluente crinibus
virginis amatae?
Eia ergo, oscula,
mea lux, iungamus,
antequam argentea
coma niteamus!

3. Cur, puella, oculo
tristi me tueris?
An, quod plures diligo?
Frustra tu vereris!
Ritus est scholarium
pluribus ardere;
unam te post studium
adamabo vere.

4. Toto qui triennio
unam osculatur,
nomine scholastico
dignus non putatur:
iuris academici
plurium est cura:
tu post annos studii
palmam es latura.

5. Ac ne cruciata sis,
multum quod bacchamur,
quod devincti poculis
vixdum osculamur:
nemo rite studia
sobrius tractavit,
et si auditoria
mille frequentavit.

6. Ecce fulgent aurea
vina poculorum,
obstrepit argentea
lyra potatorum:
color si argenteus
comam dealbabit,
tempus auro dulcius
mihi revocabit.

Parseval V.

Utinam e fabularum obscuritate, o Icare, in veritatem prodires ac nostris diebus revivisceres! Temeritatem tuam pater anxius non quereretur. Ex inventoribus Germanicis faceres periculum: construeres navem aeriam ac pennis ferreis supra homines obstupefactos volares nec non admirationem haberes civium in plateis et angiportis commeantium cum aliorum tum Vratislaviensium.

Contigit mihi, ut frugibus terrae Germanicae orientalis vescerer. Inter inventores Germaniae et viros novis artibus studentes, quos Germania imprimis occidentalis meridionalisque pascit, etiam in Silesiam contendere artesque suas in ipso provinciae capite demonstrare sunt qui animum inducant.

His ipsis diebus a Vratislaviensibus dies festi per hebdomada aguntur duce et auspice »Societate ad augendum peregrinorum accessum inita«. In area satis ampla cum ipsa urbe cohaerente variae artes proponuntur, fiunt spectacula lususque, eduntur ludi publici viris ingenuis digni. Etiam ad voluptates oblectationesque percipiendas aream illam adeuntibus occasio data est multifariam; quo fit, ut tota fere urbs gaudio se dedat insolito ac saepe immoderato. Nihil autem est, quod tam alliciat et tam attrahat homines, quam navis aeria V. Parsevalis, viri illustrissimi Berolinensis, cuius nomen per totam Germaniam et ultra iisdem paene laudibus effertur, quibus Zeppelini nostri nomen recte atque merito celebratur. Haec navis mercede conducta in campo haud procul ab urbe sito in ancoris tenetur et cotidie cum quaternis quinisve hominibus — gubernatore, fabris, aliis itineris sociis — in auras sublata supra urbem et »pratum festivum« volat, mirum sane aspectum praebens spectatoribus. Figuram navis comparare licet cum pisce permagno fulvi coloris.

Quanta laetitia exsultent quantoque gaudio triumphent homines humi euntes et videntes navem tranquille et secure per aera navigantem, vix dici potest, sed non incredibile videtur iis, qui memoria tenent, quanto iubilo plausuque Zeppelinum senem anno priore a lacu Brigantino navi aeria Berolinum profectum cives exceperint et salutaverint.

Haec de Parsevale. Equidem sicut Democritus philosophus »populum ludis attentius ipsis«*) spectare interdum amo; itaque facere non potui, quin insaniam spectantium et extra modum furentium indignarer, qui non curabant pedum meorum vesiculas, cubitis latera mea tundebant, vultibus ad caelum erectis nihil prorsus videbant nisi navem aeriam, non flocci faciebant homines quosdam data occasione digitos alienis crumenis iniecturos — — —

Navis Parsevalis usque ad mensem Iulium exeuntem Vratislaviae permanebit itinera supra urbem vicinosque pagos factura.

Guil. Lhm., Vratisl., 27° d. m. Iun.

Libri libellique dono accepti:

Die drei ältesten Martyrologien, her. v. H. Lietzmann. (Seriei libellorum, cui titulus: ‚Kleine Texte für theologische und philologische Uebungen, herausg. v. Hans Lietzmann' fasc. 2.) Bonnae, ap. A. Marcus et E. Weber, 1903. Pgg. 16. Pr. 0.40 M.

Ausgewählte Predigten I: Origenes' Homilie X über den Propheten Jeremias, her. v. E. Klostermann. (Eiusd. seriei fasc. 4.) Ibid. 03. Pgg. 16. Pr. 0.30 M.

Babylonisch-Assyrische Texte, übers. v. C. Bezold. I. Die Schöpfungslegende. (Eiusd. ser. fasc. 7.) Ibidem 04. Pgg. 20. Pr. 0.30 M.

Ausgewählte Predigten II: Fünf Festpredigten Augustins in gereimter Prosa, her. v. H. Lietzmann. (Eiusd. ser. fasc. 13.) Ibidem 05. Pgg. 16. Pr. 0.30 M.

Lateinische christliche Inschriften mit einem Anhang jüdischer Inschriften, her. u. erkl. v. E. Diehl. (Eiusd. ser. fasc. 26—28.) Ibid. 08. Pgg. 48. Pr. 1.20 M.

Res Gestae Divi Augusti, her. u. erkl. v. E. Diehl. (Eiusd. ser. fasc. 29—30.) Ibid. 10. Ed. II. Pgg. 39. Pr. 1.20 M.

Altlateinische Inschriften, ausgew. v. E. Diehl. (Eiusd. ser. fasc. 38—40.) Ibid. 09. Pgg. 64. Pr. 1.80 M.

*) Hor. epist. II. 1, 197.

Lateinische altkirchliche Poesie, ausgew. v. H. Lietzmann. (Eiusd. ser. fasc. 47—49.) Ibid. 10. Pgg. 64. Pr. 1.50 M.

Pompeianische Wandinschriften und Verwandtes, ausgew. v. E. Diehl. (Eiusd. ser. fasc. 56.) Ibid. 10. Pgg. 60. Pr. 1.80 M.

A. Fetz, Die Elementier-Methode im Schreibunterrichte. Herausg. im Auftrage d. Lehrerver. f. Geestemünde, Lehe u. Umgeg. für Schul- und Selbstunterricht. Lehae, ap. F. Brüning, 1910. Pgg. 36. Pr.?

J. Tasset, Sermo est Animal. (La parole est un être vivant.) Oratio in Instituto Carthaginiensi habita et publicata in commentario »La Revue Tunisienne«. Tunete, 1910.

The Talking Machine: how to choose it and how to use it. (Seriei libellorum, cui titulus: »Sound Wave Series of Talking Machine Handbooks« fasc. 1.) Londini, Phono Trader Printing and Publishing Co. Pgg. 48. Pr. —/6.

The Talking Machine Encyclopaedia (Eisd. ser. fasc. 2.) Ibid. Pgg. 125. Pr. 1/6.

K. Irmer, Sammlung französischer und englischer Volkslieder für den Schulgebrauch. Marburgi, ap. N. G. Elwert, 1909. Pgg. 99. Pr. 1.25 M.

Annuaire de la Comité Régionale de la France-Est de l' Alliance Scientifique Universelle (Mundanum Scientiae Sodalitium) 1909. Turnoduri, 1909. Pgg. 8.

G. Thiele, Die Kunst der Jugend, dem Volke! Argentorati, ap. Jos. Singer, 1910. Pgg. 105. Pr. 1.50 M.

J. Hense, Griechisch-römische Altertumskunde. Paderbornae, ap. Theod. Hense, 1905. Pgg. XIX + 295. Pr.?

A. Damaschke, Zum Kampfe um die Reichs-Zuwachssteuer (Seriei libellorum, cui titulus: »Soziale Zeitfragen« fasc. XLIV) Berolini, ex bibliopolio »Bodenreform«, 1910. Pgg. 36. Pr. 0,50 M.

L. Friedlaender, Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms in der Zeit von August bis zum Ausgang der Antonine. Lipsiae, ap. S. Hirzel, 1910. Ed. VIII. Vol. I: Pgg. XXIII + 593, vol. II: Pgg. XII + 665. Pr. libri cons. 12 M., comp. 14.50 M.

Catalogi antiquarii:

Ern. Geibel Hannoveranus — Katal. f. Bibliophilen 1: 500 Seltene Drucke, num. 1—500 (Aldina, Curiosa, Elzeviriana, Manuscripta etc.)

Mayer et Müller Berolinenses — Cat. 251: Class. Philol., pgg. 66 (Auct. lat. 1—41, Neolat., Opuscula etc. 48—56)

Bernh. Liebisch Lipsiensis — Cat. 185: Klass. Phil. u. Altertumsk., pgg. 181 (Lat. Gramm., Lexikogr. etc. 120—134)

Nuntii Menstrui

Mensis Martius

12. **Germanorum** concilium novam cum Italis et Helvetiis de via ferrata Gotthardensi pactionem accipit.

14. In delectorum **Germanicorum** sessione, qua annui civitatis sumptus decernuntur,

cancellarius notum facit legem scriptam esse, ut Alsatiae Lotharingiaeque populus maiore quam ante donetur libertate.

Apud **Borussorum** delectos altera finitur recitatio novae de suffragiis rogationis, in qua ex conservativorum et centricorum conventu pro tacitis et directis aperta et indirecta suffragia substituuntur.

15. Ex **Mauretania** nuntii afferuntur regulum gentis Zaorum suos ad bellum contra Europaeos provocare.

16. In concilio **Borussorum** tertia lectione finita lex de suffragiis ducentis duodetriginta contra centum duodeseptuaginta sententiis accipitur.

17. In academia artium **Berolinensi** coram principe herede ostentus Americanorum operum aperitur.

18. **Iaponiense** concilium legem accepit, in qua scriptum est iis tantum imposterum datum iri possidendi agri potestatem, quorum in patria idem ius Iaponiis sit concessum.

20. **Athenis** telegraphice nuntiatur variis locis Thessaliae rusticos cum militibus conflixisse.

21. Sonnino minister eiusque in regenda civitate **Italica** collegae munere se abdicant.

22. Rex **Serborum** Nicolai Caesaris conveniendi causa Petropolim advenit.

23. **Berolinense** urbanarum rerum concilium a senatu petere constituit, ut intercedat publicis magistratibus, ne contiones sub divo habitae et pompae per vias procedentes ex lege de sodalitiis data intra regionem urbanam prohibeantur.

25. Rex **Italiae** Luzzati ministrum, qui agrarias ante res curarat, socios sibi administrandae civitatis sufficere iubet.

26. Rex **Serborum** Petropoli Moscovam proficiscitur.

29. **Monte Carlo** in urbe praesente Guilelmi Caesaris legato museum oceanographicum a Carolo principe conditum magna sollemnitate dedicatur.

31. Concilium **Gallorum** omnibus fere sententiis legem accipit de operis in senectute sustentandis.

Ex **America** septentrionali affertur trecenta milia in fodinis carbonariis opus facientium ex condicto cessare coepisse.

Mensis Aprilis

1. Novus exterarum rerum apud Italos minister **Florentiam** advenit, ut cum cancellario germanico colloquatur.

Gallo novam inducunt exigendi portoria formulam, quae haud parvo momento est ad merces ex Germania importandas.

Nuntiant ex **Austria** multum ibi nocuisse nives assidue cadentes.

2. **Sancti Sebastiani** in urbe Leblon, aeronautes Gallicus, qui machinae suae spectaculum offerebat populo, infelici ex altitudine centum metrorum casu vitam amittit.

3. Follis aerius, cui »Pomerania« nomen, prope **Sassnitium** in mare decidit. Dux ipse, Dr. Delbrueck, duoque eius comites aquis hauriuntur, quartus, quamvis graviter vulneratus, nando in tutum pervenit.

Rex **Serborum** Philippopoli cum Ferdinando, Bulgariae principe, collocutus Constantinopolim advenit magnaque ibi pompa a Sultano excipitur.

Dr. Abbegg, academiae technicae professor, **Vratislavia** folli aereo profectus, dum in Pomerania descendere studet, infelici casu laeditur et in nosocomium portatus ex vulneribus obit.

8. **Germanicis** qui praesunt operum redemptoribus, postquam a ministro frustra coeptum est intercedere, constituunt, quinto decimo die Aprilis omnes operas exceptis, qui Hammoniae sunt et Berolini, dimittere.

9. In monte olivarum prope **Hierosolyma** sito ecclesia, cui ab ascensione Christi nomen, coram principe Eitel Friderico, Guilelmi Caesaris filio, eiusque uxore sollemniter inauguratur.

10. Et **Berolini** et in aliis Borussiae urbibus contiones sub divo fiunt civium novam suffragiorum rationem expostulantium.

Hierosolymis Zionis quae vocatur ecclesia a catholicis aedificata magna cum sollemnitate consecratur.

11. Senatus **Germanorum** legem de tributis immerito ex fundis reditui imponendis, quam aerarii praefectus conscripserat, accipiendam censet.

Responsorium

R. P.: Ago ingentes gratias pro censura, quam multos allexisse lectores gaudeo. Accipies S. L. gratis per annum ab editore, ut mutuum tibi praestemus officium. Vale quam optime!

W. S.: Poema a te latine redditum admodum placet et hodie publicatur. Tu mirum in modum scis et sensum et sonum accommodare exemplo. Nonne vis te narrationibus quoque experiri? His enim vehementer caremus. Valeas

A. R.: Popularem variarum vectigalia ceterosque fructus publicos administrandi rationum historiam i. e. eam, quae etiam ab imperitis intellegatur, scripsit Adolphus Damaschke, quem scis praeesse societati legibus agrariis emendandis. In hoc libro maxime commendabili, cui inscribitur »Geschichte der Nationalökonomie« cuiusque quarta iam prodiit editio, non solum ea invenies, quae liberales qui dicuntur politici, sed etiam quae communistae et anarchistae de illa re gravissima iudicaverunt. Venit liber apud Gustavum Fischer Jenensem modico pretio 4 marcarum. Ceteris de rebus per litteras tibi respondebo. Vale.

D. S.: Carmina lyrica a viris doctis recentiorum temporum composita scitissime collegit Joannes Draheim, cuius libellus ‚Lyra Doctorum' inscriptus anno 1886 prodiit apud Teubnerum. (2.40 M.) Manuscriptum, de quo censura fiat, mittetur. Valete.

G. H.: Omnesne prioris anni numeri ad te pervenerunt? Qui si deficiant, libenter mittam. Vale.

Tassetio: Nomina latine scientium gratissimo animo accepi nec minus gavisus sum, quod tuis nos colloquiis perges oblectare. Accipe gratias a nobis quam plurimas! Vale.

V. S.: Donec gratus eram tibi
Nec quisquam potior res tibi [menstruas,
Lector care, liber dabat:
Persarum vigui rege beatior!

Censura Librorum

Karl Ritter von Landmann, Napoleon I. Die Vollendung der Revolution. (E serie librorum, cui titulus: „Weltgeschichte in Karakterbildern") Monaci, ap. Franc. Kirchheim, 1906. Pgg. 116, cum 119 imagg. Pr. 4 M.

Hoc libro Carolus de Landmann, qui antea praeerat regiae Bavarorum academiae militari, quas res gesserit Napoleo quamque secutus sit in bellis administrandis rationem, tam dilucide exponit, ut plurimos illius lectione delectatum iri non dubitemus. Allicit enim descriptio lectores non solum militari quadam simplicitate, apta tamen, ubi opus est, ad animum commovendum, sed mira etiam sua perspicuitate et planitate sententiarum. Ita vel imperito rei bellicae voluptati est, dum clarissimum sequitur Napoleonis exemplum, usum atque moderationem exercituum hodiernorum cognoscere. Quae autem fundamentum est omnis, qua nunc utimur, civilis et publicae conditionis, occidentalis Europae per novos Francogallos, ut ita dicam, expugnatio, ea breviter, sed tamen aptissime narratur. Ut demonstret porro, quanta prudentia Napoleo regnarit, auctor quasi ante oculos nostros magnum illum Corsicanum omnia facit peragentem, quae populares eius res novas molientes nonnisi instituerant, et super ruinas eam rem publicam exstruentem, cuius unitas et perspicuitas sane sunt admirandae. Quae omnia quamvis angusto sint spatio exposita, multa insunt ad cultum humanitatemque imperatoriae aetatis pertinentia. Plura de hac re inveniuntur in eo collectionis volumine, quod inscribitur: Blennerhassett, Chateaubriand, de quo opere doctissimae illius feminae omnes historiae periti optime iudicaverunt. S.

Die Stimme. Centralblatt für Stimm- und Tonbildung, Gesangunterricht und Stimmhygiene. Herausgegeben von San.-Rat Dr. Th. S. Flatau, Rektor K. Gast und Rektor A. Gusinde. Berolini, apud Trowitzsch et fil. Pret. trimestre 1.25 M.

Menstruus hic commentarius, qui iam quartum annum ingressus est, omnem meretur laudem ac commendationem. Nam ut ex tertii voluminis indice apparet, quam multa quamque egregia illo contineantur scripta, ita novus annus non minore digna attentione pollicetur. Huius generis commentationes omnes in arte cantandi aliove, quod huc pertineat, scientiae genere versantes multum olim diuque desideraverant. Ac tamen, quanta hic multitudo quaestionum persolvenda sit, quam variis rebus studendum, ne peritissimi quidem, priusquam haec cognorint folia, suspicati sunt. Tractant enim, qui communi opera edunt commentarium, iucunda simul atque idonea ad docendum ratione non solum cuncta ad ipsum vel artificum vel discipulorum cantum referenda, sed demonstrant quoque, quomodo voci humanae parcendum sit, quomodo morbis eius aut vitiis medendum. Sic »Vox«, quae optimo iure dicitur, quasi organum est, ut aiunt nostrates, omnium, quae ars vocalis complectitur, studiorum, dignum utique, quod subscriptione, cooperatione, commendatione alioque quovis modo adiuvetur, praesertim, cum pretium eius tam parvum est, ut cuique pateat vel modice locupleti. L.

Corrigendum:

In aenigmate num. II[i] altero legendum est: armariolum, non »armoriolum«.

Menda typographica

In num. II[i] pag. 29 lege: Heinii pro: Heinié — relinquat pro: velinquat — homines pro: hemines, in pag. 31: **ludicrae** pro: ludricae

Sententiarum Numero I° Propositarum

ex quattuor versionibus

optima visa est haec:

Qui ea, quae rebus naturalibus diligentius exploratis sunt comperta, ita contempletur, ut non, quantum ea conferant ad unumquodque eruditionis genus vel ad singulorum hominum vitam, sed ad universi generis humani condicionem, quaerat, nulla re magis delectetur, quam quod illo investigandi studio effectum est, ut rerum naturae causas ac rationes mente perspiciendo majorem et praestantiorem inde fructum et voluptatem percipiamus: talis autem fructus ut nobis contingat, impetratum est et observandi diligentia et judicii subtilitate et saeculi indole nulla non mentis studia complectentis.

Auctor igitur eius,
Professor Roesch Heilbronnensis,
Scriptorem Latinum gratis accipiet per tres menses.

Aenigmata num. I soluta:

1.

			s			
		a	c	e		
	v	a	r	u	s	
l	a	t	i	n	u	s
	s	o	p	o	r	
		i	t	a		
			o			
	h	e	r	b	a	

2. se — nec — tus
3. foramen, fossa, fovea, cavea, caverna vel similia
4. favus — avus

Omnia aenigmata nemo lectorum solvit.

Solverunt tria: Feit, Jellinek, Jilke, Jaeger, Hertel, Draheim, Peltenburg, Gustafsson, e quibus praemium sortitus est

F. Gustafsson Helsingforsiensis.

Aliae solutiones attentione dignae missae sunt haec:
3) ullus, nullus; oenum, noenum; viginti, undeviginti; vas, vasculum; dies, meridies etc.
4) cera, era

Aenigmata

a variis composita:

1

Sunt tria membra mihi; me circum fluctuat aequor,
In me natus homo grandis et armipotens.
Divide me: vivent animi vivente priore;
Quod si confodiant altera, vita fugit.

2

Me non dura fames, me non amor urget edendi;
Sed ferri et chalybis fit mihi lamna cibus.
Me vesci prohibent oleum, tunc crebrior usus:
Haec duo me vires non diu habere sinunt.

3

Sum bifrons: caput orbis eram, deus omnia vici;
Si me transpones, erit in me saepe periclum.

Horum aenigmatum qui duo solverit intra triginta dies, unius sortis particeps erit in urna, qui cuncta, duarum. Duo sortiti accipient libellum:

H. Lamer, Römische Kultur im Bilde. Lipsiae, ap. Quelle et Meyer. Pgg. IV+56, cum 175 imagg. Pr. 1,25 M.

Sententiae latine vertendae:

Als ich vor einigen Tagen in Hamburg war, da trat ich an einen grossen Buchladen heran, um zu sehen, was es an Büchern Neues gäbe. Und siehe, da fand sich, dass von einigen zwanzig ausliegenden, neu erschienenen Büchern fünf oder sechs sich mit den Rätseln des Todes befassten. Ich weiss nicht mehr genau die Titel; aber es war da eins, das über den Akt des Sterbens selbst berichtete, ein anderes, das die Beweise für und gegen ein ewiges Leben gesammelt hatte; das dritte brachte sehr genaue Nachrichten aus der seligen Ewigkeit. Ähnlich die anderen. Ich habe auch von den Leuten, die diesen Gegenstand studieren, erfahren, dass jährlich zahlreiche Bücher und Artikel über Tod und Leben nach dem Tode erscheinen. Erscheinen aber diese Bücher in grosser Zahl, so erkennt man daraus, wie gross in der Welt das Interesse an diesem Gegenstand ist; denn diese Bücher haben nicht allein ihre Verfasser gefunden, sondern auch ihre Leser. Das ist das Interesse: wir Menschen haben Angst vor dem Tod. Und wir haben das deutliche Gefühl: „Der Schöpfer hat uns da ein Rätsel vor die Füsse gelegt und hebt den Finger, wer kann es raten?" Und es steckt tief in uns das Bewusstsein von einem Leben nach dem Tod, von grossen Wundern, die wir noch sehen sollen.

G. Frenssen
(Dorfpredigten I, pg. 181 sq.)

Huic penso qui satisfecerit optime, Scriptorem Latinum gratis accipiet per VI menses. Versiones intra sexaginta dies huc pervenire debebunt.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis

SCRIPTOR LATINUS

prodit circa idus cuiusque mensis mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M.

Scriptorum merces est 36 M pro 16 paginis: iidem solvunt pro subscriptione sua minutum bibliopolarum pretium, i. e. 3.00 M annue, et accipiunt eius numeri, in quo inest commentatio, 5 exempla.

Epistulae, manuscripta aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur:

Ad Voldemarum Lommatzsch,
Bremiportu (Bremerhaven),

pecuniae vero, libri et libelli, de quibus censurae fiant, epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,

Bibliopolam Hans Lüstenöder,
Francofurti a. M.,
Eschersheimer Landstraße 112.

Nomina et domicilia
eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., .	*Glendale*
J. J. Hartman, Prof. Univers., . . .	*Leiden*
V. Hertel, Parochus, ...	*Grossneundorf*
J. E. Kenny, Prof. Gymn., ...	*St. Paul*
W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em.,	*Breslau*
Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn.	*Stuttgart*
F. Palata, „ „	*Prossnitz*
Dr. G. Pitacco, „ „	*Görz*
L.L.Podobinski, „ „	*Krakow*
J. Roberti, Rect. Gymn., ...	*Cesena*
W. Rösch, Prof. Gymn. em., ...	*Heilbronn a. N.*
Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., . .	*Giessen*
Dr. P. Schmid, a cons. stud., ...	*Dresden*
J. Tasset, ...	*Tonnerre*
C. Thieme, Parochus, ...	*Marienstatt*
P. Worms, Prof. Gymn., ...	*Meldorf*

Typographus: Carolus Wiechert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

(NOVA »CIVIS ROMANI« SERIES)

Menstruus Ad Linguam Latinam Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII: Numerus IV

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguam Latinam
Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII Francofurti a. M., Mense Augusto MCMX Numerus IV

De Epistula Horatii Ad Pisones quae vulgo De Arte Poëtica Liber inscribitur.

— Prof. Dr. Carolus Pekár —

Liber ultimus idemque decimus operum omnium Horatii Liber De Arte Poëtica dicitur, neque vero aliud est, quam epistula ad Pisones scripta. Nam non est dubium Horatium hoc carmen ad Pisones scripsisse. Patet res ex allocutionibus, quae in ipso libro reperiuntur: Pisones (6., 235.), aut vos, o Pompilius sanguis (291.), aut pater et iuvenes patre digni (24.), aut tu (128., 153., 385.), aut maior iuvenum (366.).

Sed perpauci sunt in eadem longa epistula loci ad ipsas personas pertinentes, etiam salutatio, quae epistulae praefici solebat, deficit, quod lectorem statim in medias res rapere videtur. Evidenter res in epistula tractata secum tulit necessitatem augmentandae simplicis epistulae in modum libri peculiaris, cui posterius de materia pertractata nomen De Arte Poëtica impositum est. Ab origine tamen epistulam esse elucet etiam ex re acta, simul ex modo. agendi, ex genere scribendi. Propter eam ipsam materiam pertractatam et praesertim quidem, propter id ipsum genus scribendi, quod ridendo docere conabatur, — genus mixtum ridendi et docendi bene notum, quod Horatius ipse his verbis exprimit: ridentem dicere verum (Sat. I. 1.), — genus scribendi a veteribus Romanis sermo vocatum, quod genus leve significabat, ut ipse Horatius dicit, sermones... repentes per humum (Ep. II. 1.), sermonem simplicem definiens, ut veteres Romani Satirarum et Epistularum libros sermones vocabant, — propter hoc genus scribendi leve etiam hoc carmen de arte et ratione carminum faciendorum inter epistulas numerari optimo jure potest.

Hic liber libro secundo epistularum, qui epistulas litterarias continet, successit, cum ipse etiam epistula litteraria esset. Quae cum ita sint, haec epistula sola integrum librum, id est tertium epistularum, efficere intelligitur, quare credibile est vocabulum epistulam omissum et pro illo vocabulum librum inscriptum esse.

Deinde credibile est iam Horatio vivo materiae breviter designandae causa hunc tertium librum epistularum simpliciter De Arte Poëtica librum, ut fieri potest, denominatum esse. Sic commemorat iam anno p. Chr. n. nonagesimo Quintilianus hunc librum (VIII. III. 60.) [1]. Eadem mentio fit postea apud Symmachum et Priscia-

[1] Σωρισμὸς quoque appellatur quaedam mixta ex varia ratione linguarum oratio, ut si Atticis Dorica, Ionica, Aeolica etiam dicta confundas. Cui simile vitium est apud nos, si quis sublimia humilibus, vetera novis, poëtica vulgaribus misceat. Id enim tale monstrum, quale Horatius in prima parte libri de arte poëtica fingit:

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit,

et cetera ex diversis naturis subiiciat.

M. F. Quintiliani Inst. Orat. I. VIII. c. III. 60.

num. Charisius grammaticus saeculo IV° post Chr. n. tantum epistulam dicit.

Semper igitur in mente habendum est hoc carmen, licet longum sit, tamen simplicem epistulam esse, neque vero quaestionem vel dissertationem de pulchri praeceptis, aut commentationem ad artem pertinentem, minime autem librum de Arte Poëtica inscriptum, qualis est, non solum ut exempli causa sed etiam propter materiam pertractatam utrimque communem commemorem, aureus ille libellus Aristotelis de arte poëtica. Hic igitur non de dissertatione ad artem pertinente, sed de epistula simplici, de sermone agitur, ut hoc genus scribendi leve iusto nomine apud veteres Romanos usitato designavimus. Quare secundum leges sermonis, veteris generis scribendi, iudicandum est de compositione et dispositione materiae pertractatae. Multis verbis diligenter exposuit propriam naturam huius libri O. Weissenfels commentatione,[1]) qua eminenter contribuit ad explicandum hoc opus, »opus« — ut Goethe dixit — »problematicum«.

Horatius quidem ipse dicit (306 vv.) nonnullas leges artis carminum faciendorum exponere se in animo habere:

. . . docebo,
Unde parentur opes, quid alat formetque poëtam,
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.

Huc spectat ideo sermo. Sed sermo manet tamen sermo et leges hoc libro expositae solum abruptae, ut sermo profertur, undique raptim collectae, non in plenum dissertae, nec inter se in rationem perfectam coniunctae sunt. Clarissimus poëta Romanorum in hoc libro tamquam in epistula ad amicos scripta de materia instituta sermonem producit — modo gravem, modo iocosum de arte carminum faciendorum, de carminibus ipsis, de dispositione materiae, de numeris variis, de lingua, de fabula ludis acta, de poëta, de munere et officio poëtae, de critico, de poëta indocto.

Ex quo intelligi potest, cur Goethe hanc epistulam »opus problematicum« dixerit, »de quo alii alio modo iudicant, idemque homo decem annis elapsis aliter«. Non est haec epistula doctrina ad rationem perfecta, sed sermo liber, levis de variis rebus ad artem carminum componendorum pertinentibus.

Etsi sermo leve genus scribendi sit, tamen haec epistula ad Pisones plena est sententiarum insignium ad artem carminum faciendorum pertinentium. Quibus in sententiis reperiri potest, cur multi hanc epistulam ex multis partibus compositam esse posterius dixerint. A. D. Heinsio multi proferebant hanc opinionem. Inter Hungaros Zoltanus Beöthy exposuit eandem opinionem. Beöthy dicit totam epistulam, quae principio solum singularia epigrammata contineret, posterius in unum carmen coagmentatam esse. Cui sententiae autem consentiri non posse intelligimus etiam ipsa ex natura propria generis scribendi, quod sermo vocabatur a veteribus Romanis. Nihil nisi haec natura sermonis propria, ut generis scribendi, potuit occasionem dare opinionibus talibus concipiendis.

Sermo manet sermo, etsi plenus sententiarum ad artem carminum componendorum pertinentium, qui autem non est dissertatio absoluta omnia artis poëticae praecepta complectens, non solum docere vult, tamquam quidam ipse liber de Arte Poëtica pertractans. Hoc opus non solum docere vult, sed etiam ridere, ridendo dicere verum — est proprium sermonis, quippe cum non docere, sed sermonem suavem, iocosum producere velit poëta Satirarum et Epistularum. Quod bene distinguendum esse et in quo insistendum esse non possumus satis efficaciter commonere.

Quam distantiam inter sermonem et dissertationem in conspectu habentes optime censebimus de hoc carmine ex vero merito. Nam poëta

[1]) O. Weissenfels: Ästhetisch-kritische Analyse des Briefes Horatius' Ad Pisones. Neues Lausitzisches Magazin 56, 118 pp.

noster sermonem voluit componere, sermonem, qualis vulgo etiam in vita quotidiana auditur, cum non semper gravia dicuntur, non solum necessaria exprimuntur, sed etiam simplicia, etiam iocosa, etiam varia mixta proferuntur. Eum ipsum quotidianae vitae sermonem ille numquam moriens poëta Romae antiquae repraesentare suo sibi carmine proposuerat, quo in incepto tanto quidem artificio usus est, ut recte suaserit Kiessling[1]) hoc opus carmen perfectissimum esse Horatii, neque recte agere eos, qui id defectuosum librum de Arte Poëtica aut simplicem modo epistulam existimarent.

Ex quibus intelligi potest multo superius opus esse hanc epistulam vel potius sermonem, quam quemvis librum de Arte Poëtica, qui solum docere velit.

Horatius iam dudum in mente agitabat propriam naturam diversorum generum scribendi. Nam iam in Satira quarta primi libri quaestionem proponit, utrum comoedia Menandri et satira Lucilii iusta sint poëmata necne, et in prima Epistula libri secundi ad Augustum scripta iam de poëtis Romanorum agit, vitia priscorum poëtarum Latinitatis exponit explicatque, qualis esse poëta Romanus debeat. Credibile est Horatium multa cum animo suo cogitavisse de his quaestionibus, multos scriptores legisse, multa disseruisse cum amicis aliisque, quorum multa interdum litteris mandavisse. Interea, ut Kiessling commemorat, plures poëtae Romanorum, sodales aequalesque Horatii, obierunt et iuvenes successerunt, quibus Horatius fructus meditationum de munere et officio poëtae et poëseos colligendos putabat, eosque sermone conceptos, quod genus scribendi maxime idoneum censebat. Hoc vero in animo habuisse Horatium patet e versu:

Munus et officium ... ipse docebo.

Ut de arte poëtica in carmine scriberet, exempla fuerunt Lucilius (Liber IX Satirarum), Lucius Accius (Didascalion libri. Pragmaticon libri) et praecipue poëta Graecus Neoptolemos Pariomensis, peripateticus, qui tertio a. Chr. n. saeculo doctrinas Aristotelis et Theophrasti versibus divulgare conabatur de arte poëtica scribens, nam Porphyrio, qui commentarios in Horatium scripsit saeculo III° p. Chr. n., dicit:

»in quem librum congessit (Horatius) praecepta Neoptolemi τοῦ Παριανοῦ de arte poëtica, non quidem omnia, sed eminentissima«.

Ex quibus patet Horatium non solum impulsum accepisse a Neoptolemo, sed etiam praecepta, neque tamen omnia, sed eminentissima artis poëticae inde hausisse. Cum vero hoc Graecum opus non ad nos pervenerit, non possumus iudicare, quomodo Horatius illum secutus sit.

Videamus nunc, quomodo vita Horatii secum tulerit studium conatumque talis operis scribendi. Primum quidem Horatius minus erat poeta natus quam homo doctus atque eruditus. Ideo persuasum erat ei poëtae summam rem eruditionem esse, quae eum aptum reddat ad talia opera componenda.

Anno a. Chr. n. XX° primo libro Epistularum iam emisso Horatius carminibus componendis defatigatus erat et iam in animo habebat, carmina scribere desinere et se consolari sapientia rationeque recte vivendi, ut ipse dicit in epistula ad Maecenatem scripta:

Non eademst aetas, non mens.

Epist. lib. I. I. v. 4.

Deinde exponit, quid in animo habuerit:

[1]) Alle diese Eigenschaften des frischen, ursprünglichen Gesprächs sucht der horazische sermo in kunstgerecht stilisierter Weise wiederzugeben. Wer dies im Auge behält, wird wenig Neigung verspüren, durch Zurechtrenken der einzelnen Gedankenglieder den geschmeidigen Wuchs dieses reifsten Gebildes der horazischen Muse zu einem verkrüppelten Lehrgedicht zurechtzustutzen, oder statt den Aufbau eines eigenartigen, aus klarklingender Wurzel erwachsenen Organismus zu begreifen zu suchen, es vorzuziehen, in einem Konvolut unvollständiger und unverständlicher Briefe zu blättern. Q. Horatius Flaccus erklärt von Adolf Kiessling. III. Vol. 239. p. 2. ed.

Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono;
Quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis in hoc sum.
Ibidem, v. 10. 11.

Nunc agilis fio et mersor civilibus undis.
Ibidem, v. 16.

Simili modo in epistula ad Iulium Florum scripta:

Nimirum sapere est abiectis utile nugis,
Et tempestivum pueris concedere ludum,
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed verae numerosque modosque ediscere vitae.
Epist. lib. II. II. v. 141.

Quamobrem Horatius tempus adesse putabat, quo iam non carmina faceret, sed sententias ad carmina componenda pertinentes in usum iuvenum colligeret. Materia abundabat. Multa legerat, multa in animo agitaverat, de quibus etiam disserebat cum amicis, multa iam in versibus posuerat. Quae omnia in longa epistula ad Pisones scripta collegit, sed ex sententia sua ipse nunc non carmen componit, sed docet alios, quomodo opera componantur:

nil scribens ipse, docebo,
Unde parentur opes, quid alat formetque poëtam.
De Arte Poëtica v. 306.

Si conditiones, inter quas hoc opus est ortum, originem huius libri in vita Horatii sic bene deliberamus, eo magis intelligimus id genus scribendi, quod sermo vocatur, aptissimum esse ad tales sententias exponendas et elucidandas, eoque magis elucet multum discrepare eos a vero, qui in hoc libri De Arte Poëtica fragmenta differentia, vel incohaerentia epigrammata sententiosa quaerant, neque minus falsum esse rationem et disciplinam plenam artis poëticae quaerere in hoc libro, et ideo librum De Arte Poëtica defectuosum putare. Si conditiones veraque incitamenta novimus, quae ingenium Horatii hunc librum proferre coëgerunt, si hunc librum non alium quam sermonem iudicamus, si perspicimus dicta quam dulcia sint huius sermonis, non possumus librum defectuosum de arte poëtica videre, sed opus summae maturitatis, accuratissime perfectum Musae Horatianae.

Hunc sermonem, hanc epistulam Horatius secundum Porphyrionem, qui ante finem saeculi IV[i] post Chr. n. Commentarios in Horatium composuit, »ad L. Pisonem, qui postea urbis custos fuit, eiusque liberos«[1]) scripsit. Hic ille L. Calpurnius Piso fuit, qui consul erat anno ante Chr. n. quinto decimo. De quo apud Tacitum legimus: »Per idem tempus L. Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit, nullius servilis sententiae sponte auctor, et quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans. Patrem ei censorium fuisse memoravi; aetas ad octogesimum annum processit; decus triumphale in Thracia meruerat. Sed praecipua ex eo gloria, quod praefectus urbi recens continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire temperavit.«[2]) Apud Suetonium invenitur in vita Tiberii: »Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco et L. Pisone noctem continuumque biduum epulando potandoque consumpsit, quorum alteri Syriam provinciam, alteri praefecturam urbis confestim detulit, codicillis quoque iucundissimos et omnium horarum amicos professus.«[3]) Ex quibus apparet eum compotorem Tiberii fuisse. Si autem octoginta annos natus anno post Chr. n. tricesimo secundo obiit, ut Tacitus commemorat, sequitur eum anno ante Chr. n. quadragesimo nono natum esse et si iam filios adulescentes habebat, ad quos Horatius hanc epistulam scripsit, patet Horatium postremum hunc librum omnium suorum scripsisse iam defatigatum carminibus scriptis, iam

[1]) Pomponii Porphyrionis Commentarii in Q. Horatium Flaccum. Recensuit Gulielmus Meyer, Lipsiae MDCCCLXXIV, p. 344.

[2]) P. Corn. Tacitus: Annalium liber VI. cap. 10.

[3]) C. Suetonius Tranquillus: De Vita Caesarum. Liber III. Tiberius. 42. Ed. Roth, Lipsiae, MCMIV. pp. 103—104.

sapientiae vitae plenum, ex quo denuo intelligimus hunc librum opus vere maturum Musae Horatianae esse.

Ut Porphyrio commemorat, Piso ipse »poëta fuit et studiorum liberalium antistes«.[1]) Immo ex epistula ipsa etiam filium maiorem natu se Musis dare temptavisse cognoscimus:

O maior iuvenum, quamvîs et voce paterna
Fingeris ad rectum et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor...

v. 366 et sequ.

Sed cur tantum studet noster poësi adiuvandae? Ipse dicit his verbis: Mediocribus esse poëtis non concedunt dei. Invita Minerva nihil fieri vult et ludere qui nescit, ei ut abstineat suadet.

Evidenter igitur eo tota epistula tendit, ut deterreat omnes, qui invita Minerva temptant cithara sonare. Praecipua itaque sententia omnibus ceteris praestat etiam in arte poëseos per aspera, id est per sedula studia, iri ad astra, sententia valde accommodata ingenio Horatiî, in quo semper plus fuit artis quam divinae venae.

* * *

Videamus nunc summas sententias, quas haec epistula continet. Quodvis carmen debet esse simplex et unum, id est, partes convenientes reddantur toti, et pes et caput conveniens. Exempli gratia pictorem commemorat Horatius libro ineunte, qui humano capiti cervicem equinam iungere velit et inducere plumas corpori, quod in piscem desinit.

Spectatum admissi risum teneatis, amici.

v. 5.

Isti tabulae erit liber persimilis, si non est unus et simplex. Horatius vere dicit:

Pictoribus atque poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.
Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim.

v. 9. et sequ.

Sed immitia placidis, gravibus levia miscere non conceditur. Aliud est genus grande, aliud genus leve. Partes convenientes debent etiam in unum coïre.

Et fortasse cupressum
Scis simulare...

v. 19. et sequ.

exclamans Horatius commemorat malum pictorem, qui cupressi simulandi peritus semper cupressum pingere volebat, etiam si tabula naufragiaria poscebatur. Multum facit nota Porphyrionis ad hunc locum: »Hoc proverbium est in malum pictorem, qui nesciebat aliud bene pingere quam cupressum. Ab hoc naufragus quidam petiit, ut periculum suum exprimeret. Ille interrogavit, num ex cupresso vellet aliquid adiicere. Quod proverbium Graecis in usu est μή τι ἐκ κυπαρίσσου θέλεις.«[1]) Sic partes in unum coïre nequeunt. Talis est figulus, de arte cuius Horatius dicit:

Amphora coepit
Institui: currente rota cur urceus exit?

v. 21. et sequ.

Quare valet sententia:

Denique sit quidvis simplex dumtaxat et unum.

v. 23.

Sed saepe decipitur poëta specie recti et dum vult evitare culpam, incidit in alteram, incidit in Scyllam, dum vult evitare Charybdim. Exempli gratia:

Brevis esse laboro,
Obscurus fio.

v. 25. et sequ.

Sic oritur obscura brevitas. Alterum exemplum:

Sectantem lenia nervi
Deficiunt animique.

v. 26. et sequ.

(Absolvetur proximo numero)

[1]) Pomponii Porphyrionis Commentarii in Q. Horatium Flaccum. Recensuit Gulielmus Meyer, Lipsiae MDCCCLXXIV, p. 344.

[1]) Pomponii Porphyrionis Commentarii in Q. Horatium Flaccum. Recensuit Gulielmus Meyer, Lipsiae MDCCCLXXIV, p. 345.

Quando senescimus[1]

— J. J. Hartman, Lugduni Bat.[2]) —

Ardentem manibus porrectis ante caminum
Anna sedet vetula et conatur membra fovere
Frigore brumali torpentia, nec minus aevo.

Praebeat haec species pictori forsitan amplam
Materiem. Quid enim? Nonne haec antiqua supellex
Cernitur in tabulis, decorant quas nomina clara?
Nonne trabes quernae testantur tempora prisca?
Non proavi nostri sellis residere solebant
Altis et rigidis, qualique haec stramine tectis?
Fascia praeterea rugosam candida frontem
Cingit, et incurvas circumdat lanea palla
Multicolor scapulas; tantum non flamma corusca
Per digitos graciles lucens illuminat ora.
Accipit hinc paries albatus mille colores
Et formas, paries ad quem pendentia cernis
Ornamenta patrum quondam gratissima plebi:
Aereus, en, index horarum, fictilis atque
Hic illic, olim vilis, nunc cara patella;
Denique per totum „variant" conclave, quod aiunt,
„Lumen et umbra" tenentque sui confinia regni.

En accinge operi quicunque insignis in arte
Zeuxidis, utque decet dispone haec omnia rite;
Exemplo similis cura sit quaeque figura
Et color antiquus; „quando" que „senescimus" isti
Da nomen tabulae: nomen tibi crescet et inde.

Sicine nos igitur censes in limine mortis
Nil aliud nisi picturae praebere figuras
His similes, quibus est totum conclave decorum?
Nilne senex aliud? Vox ipsa „senescere" nilne
Contractas praeter scapulas et frigore curvos
Subiicit articulos, quandoque senescimus, apta
„Luminis atque umbrae" fimus ludibria vestrae
Praetereaque nihil? Nihil estne senescere praeter
Frigus et obtusos oculos et cetera, corpus
Quae vexant, rapiuntque simul sua gaudia menti?

Nil opus arte tua quae nil nisi corpora praebet
Mortua, quaeque oculos aliqua dulcedine nostros
Forsitan afficiat, mentem sed linquit inanem.
Mente mea memori muliercula picta resurgat
Tam bene nota mihi quondam: iam pleraque cerno,
In tabula, fateor, modo quae conspeximus illa.
Dêrat at hinc, mirum, quidquid spirare videtur,
Quodque ego nunc solum contemplor, cetera mitto.
Pluris enim quam quae pretiosus gestiat emptor

---

[1]) Respicitur hoc carmine Josephi Jsraëlsii, pictoris Hollandici, tabula quaedam celeberrima, cuius exemplaria in aes incisa sic sunt inscripta, sed Belgice.

[2]) Carmen permissu auctoris exscriptum ex diario quodam studiosorum Neerlandicorum.

Auferre atque sui thesauri reddere partem
Eximiam mihi sunt quaedam qua praeterit ille,
Et quae non ullo pictor dignavit honore.

Vilis enim tabula est hic quam pendere videmus,
Exiguo pretio quoniam nunc prostat, at illa
Alloquitur vetulam vultuque arridet amico:
Consolator enim *divinus*[3]) convocat illic
Ad sese, quos paupertas morbusve dolorve
Degravat, aut hominum linquunt oblivia solos.

(Continuabitur.)

Oratiunculae Latinae,

quas variis olim occasionibus habuit
Guilelmus Roscius Heilbronnensis.

6

Sermo apud Primanos in excursione annua habitus

Quod ex tanta tot tantarumque rerum examinalium occupatione ausi estis vos urgentibus jamjam fatis expedire, mihi ac vobis gratulari juvat. Hic est ille vigor et ardor juvenilis, hoc est adulescentium proprium, ut procul a tristitia et morositate senum laeto in praesens animo, ut ait Venusinus, oderint curare et amara lento temperent usu. Non frustra mehercule, ut virium et membrorum contentione firmetis corpus et dulci utile misceatis, quotidie admonemini, et nos quoque, viribus jamjam decrepituros, accenditis ad aemulationem quandam, ut subinde recordemur etiam a nobis nihil humani alienum esse. Macte igitur estote ista non magis ad laborem quam ad jucunditatem vitae alacritate! Mihi quidem hoc anno iniquitas fati invidit, ita, ut decet classis praefectum, totum me vobis dare et dicare atque cum singulorum diligentius animum atque ingenium noscere tum ipsum vobis pernosci: tamen hoc me consolor, quod nonnulli — invita quidem illi Minerva — supersunt, qui diutius usu mecum conjuncti sibi persuaserunt nihil mihi antiquius esse, quam ut studia vestra et progressum in literis ac moribus pro virili parte adjuvem atque augeam. Agite igitur, quod reliquum nobis est communis laboris et usus, nolite neque desperare de mea benevolentia aut constantia officii, neque deficere a vestra diligentia et industria studii. Denique finis coronet opus, ut votorum damnati feliciter peracta militia scholari inter nos congratulemur. Proinde concrepantes poculis conclamemus: vivant crescant floreant optimarum artium studia et dedita illis juventus!

Ex Epistulario Redactoris

Viro meritissimo
Redactori „Scriptoris Latini" S. Pl.

Quod mihi nuper per Editorem transmittendum curaveras primum „Scriptoris Latini" exemplar, grato animo ac laeto accepi. Putaveram enim „Civem Romanum" jamdudum senio esse confectum, quem tamen nunc novis viribus revixisse video. Jam quae mea sit de primo numero sententia, tibi, strenue Redactor, paucis exponam; sed

Parce, pater, rigidi partes si tracto Catonis;
Non Pharisaeus ero, lapidem qui offendit ad omnem,
Sed judex, animo qui res librabit amico.

Ac primum quidem valde mihi arridet tua ipsius promissio, quae ut finem Commentarii proponit: *serium linguae latinae studium conjunctum cum honesta jucundaque voluptate*; quem finem quaeso totis viribus prosequere!

Placet praeterea doctissima „de docendi hilaritate" dissertatio, tum ob

---

[3]) Respicitur Arii Schefferi, pictoris Neerlandici, habula, quae vulgo nomine *Christo Consolatore* ornatur.

stili laevitatem auctorumque notitiam, cum maxime ob rei veritatem, quae fervide propugnatur.

Sequuntur „oratiunculae" Roscii cujusdam, quae sale non carent; sed nobilem virum modeste commonitum velim, ne invitus parentis Horatii aures offendat adhibendo Jambo pro Spondeo („rar-ĭōr-a" et „nostratium-quĕ tri-ste") Ceterum censeo carmen esse laudandum.

Insuper in Prologo et Epilogo Comoediae Plautinae nonnulla mihi manserunt occulta, quod tamen, ut opinor, minime ex auctoris culpa accidit sed legentis inscitia rerum; alia non pauca sagaciter proferuntur.

Porro carmen „Lacrima Matris" summam laudem meretur ob metrum purissimum Virgilianamque gravitatem ac robur. Hoc tamen meum judicium solummodo pronuntiatum volo de forma exteriore, minime vero de ipsa carminis mente ac ratione, quae toto caelo aberrat a sensu ac fide christiana. Quare hanc nactus occasionem omnibus, quorum interest, scriptoribus atque poëtis consilium dederim, ut suo quisque sibi dignam eligat labore materiam.

— Denique de Colloquio VII (Candida Lusio) dicturus timeo, ne laedam tuam patientiam; nihilominus aperte loquar. Quae enim ibidem parum facete docentur sive verbis sive ludis, liberiora mihi videntur — ne dicam indecora; nec talis loquendi agendique ratio excusatur simplici phrasi: „Major conceditur licentia modestis!" Licentia apparet sat crassa, sed modestiam ubi quaeram? Quid demum talis proficiat conversatio juvenibus honestis? — Ergo, ut concludam, si „Scriptor Latinus" meus multorumque vult esse amicus, lubricam istam quam indicavi semitam in posterum ne prosequatur.

Spero, diligentissime Redactor, fore ut vocem meam non contemnas inauditam, sed quae bono pollicitus es animo, firma exequaris voluntate.

Vive, vale, Custos! et vos „Scriptoris" amici,
Ingenuo ingenii vires impendite fini!

Saravinus.

P. S. Epistulam eo fine conscripsi, ut et scriptorum et fautorum conducat utilitati. Quare si tibi, prudentissime Redactor, visum fuerit, eam typis poteris mandare; neque omiseris, oro, ad me transferre numerum II et sequentes „Script. Lat." pro hujus praestiti laboris pretio laborumque praestandorum.

Iterum vale!

S.

C . . ., C . . ., XII. d. mensis Julii.

Viro clarissimo humanissimo
V. Lommatzsch, Doctori.

Charta Tua Phocionis imagine ornata Bremiportu longiore circuitu ad me peruenit haud procul, nimirum Cuxhauniae, agitantem. Gratias Tibi ago! Vocabulo illo Sphingis usus cram, quia oportere putabam incognitum de praemio certare. Gratum ergo mihi feceris, si non illo, sed meo nomine me nominaveris. Ceterum quoniam nec videtur necesse esse nomina celare nec ficto nomine appellari volo, aperte addo versionem istius de Callicle Platonis sententiae, quam latine vertendam nuper proposueras. Fave mihi! Fortasse aliquando ex hoc portu ad istum Tuum transvehar. Salutem Tibi mittit

J . . . D . . .

V . . ., a. d. IV. Non. Jun. MCMX.

Vir doctissime et humanissime!

Hodie primum Scriptoris Latini numerum a bibliopola Frankofurtensi ad me missum magno cum gaudio accepi. Quae lego in hoc libello, tantopere me delectant, ut quam celerrime tibi mittere movear nova manuscripta: huic epistulae addo narratiunculam nuperrime a me conscriptam et duo carmina modo a me versa, quas res tibi gratas optatasque fore spero.

Incepto autem recenti acclamare liceat: „quod bonum, felix, faustum fortunatumque sit!"

Salve valeque!

G. . . L . . .

V . . ., a. d. VII. Cal. Jun. MCMX.

Vir doctissime atque humanissime!

Abhinc VI diebus officium tabellarium me fecit certiorem desiisse in publicum prodire Civem Romanum meque frustra illum mandavisse. Facere non possum quin hoc nuntio magna aegritudine me affectum fuisse fatear, donec nudius tertius acceperam chartulam tuam, qua mihi scripsisti carmina a me Latine versa tibi non displicuisse atque ephemeridem tuam in posterum „Scriptorem Latinum" nominatum iri. Neque dubito dicere hunc titulum multo magis quam priorem mihi arridere. Itaque vivat, crescat, floreat „Scriptor Latinus!"

Praeferendum mihi videtur Scriptorem non per officium tabellarium, sed apud te ipsum mandare. Quam ob rem peto abs te, vir humanissime, ut mihi scribas, quanto pretio trimestri vel annuo praebeas libellum nec non quo die primum edere numerum in animo habeas; peto etiam, ut singulorum deinceps numerorum, simulatque prodierint, fideliter me facias participem.

Narratiunculas quoque conscribere tibique publici iuris faciendas mittere non abhorrebo; iam enim hac in re occupatus sum. Huic epistulae addidi III carmina a me versa, quae tibi non iniucunda fore spero.

Responsi tui cupidus te saluto. Fac ut semper valeas!

G . . . L . . .

J . . . T . . . Voldemaro
Lommatio S. D. P.

Si uales, bene est, ego quidem ualeo. Monitoris nostri perlegi libentissime censuram, quam de summa rectam existimo. De ludis enim, nomine non re, candidis sentit, quod non refellam. Non tamen ea in meis colloquiis d o c e n t u r, quae tantummodo dicuntur; neque sunt ad imitationem, quae ad iudicium sunt proposita. **Licentia apparet?** ut solet: est enim gloriosa, petulans et proterua. **Modestiam** — latet, ut decet ipsam — **ubi quaeras?** illarum, inquam, in animis personarum. Nam modesti profecto habentur, qui, data largiter potestate peccandi, parce et quasi pudenter peccant. Q u i d d e n i q u e t a l i s p r o f i c i a t s e r m o c i n a t i o i u u e n i b u s m o d e s t i s? Ut minimo dispendio et in praesepibus seminarii sui audiant, quae in diuerticulis interdum fiunt.

Quem tamen finem in eiusmodi colloquiis persequar? Sermonem Latinum — quem multi non nisi tumidum simul et seuerum in magnis disciplinis, paruis autem in rebus uitiatum uident, — integrum seruare, moribus nostris accommodare, et in habitum quotidianum figurare. Ad haec ueros multorum hominum mores oculis legentium subiiciendos puto. Sed bono animo sit noster censor! Non cadet in semita lubrica Scriptor Latinus, cuius pes caligatus multorum est itinerum exercitatione firmus.

Dabam die II quintilis, Turnoduri.

Vir humanissime! Num aegrotas? Num Civis Romanus prodire desiit? Quae tandem (bombax!) est molestissimae morae causa? Hoc causarum inscientia adductus in novum annum subscriptionem non renovavi. Mitte — quaeso, peto, obsecro! — quam primum eos, quibus egeo, numeros! quos ubi primum miseris, extemplo subscriptionem renovabo. Curo, ut valeas!

V . . . s . . . Prof. Dr. V. R . . .

R . . . Scriptori Lat. S. D.

Ut tibi succenseam tantum abest, ut nihil aliud voluerim nisi prohibere, ne commentarii vestri mearum nugarum causa capitis diminutionem subeant. Sed de errato quod in oratiuncula invenisse tibi visus es, ita me defendam. Sententia haec est: fatum mihi non permisit me vobis — dare ita, ut decet classis praefectum. Comma autem posui post ita, cum quia verba „ut — praef." parentheseos vice fungi videntur, tum ne quis in errorem inducatur, ut putet „ita ut" interpretandum esse „sodass".

Ceterum arbitrio Tuo remitto utrum ponas an deleas comma post „ita", sed

perspicuitatis causa inter „praefectum" et „totum" omitti non posse mihi videtur. De versu 3. alcaeo sic habeto: longe maxima pars versuum Horatianorum habet spondeum in 3. pede, sed ter iambum inveni, ut od. II 14, 11 ena / vigan / da, si / ve re/ges.

Vale. a. d. VII Id. Jul.

Lommatzschio s. p. d. I. I. H.

Certiorem me facis, vir praestantissime, doctum quendam Theologum e Societate Jesu meam Lacrimam Matris gravissime reprehendere utpote quae „toto coelo aberret a sensu ac fide Christiana". Cui quid respondeam? Disputationes dogmaticas vito reformidoque, et sentio me in illas delapsurum simulatque cur aliter mihi videatur demonstrare coepero. Sed fortasse nulla hic defensione opus; omnem defugio auctoritatem culpamque peccati — si tamen peccavi — in Folia reiicio Volantia, unde argumentum sumpsi, cuius vestitum mutavi sed mentem reliqui intactam. Quodsi Theologus ille, qui quin sit vir aequi bonique studiosissimus minime dubito, de me ipso iudicium ferre voluerit, carmen, quod simul cum hac chartula ad Te mitto, ei subiicito. Fortasse per leges licebit ad eam rem Scriptoris Latini uti opera. Insertum fuit ante mensem diario cuidam studiosorum Neerlandicorum. Mihi autem gratissimum erit si quam plurimis innotuerit. Vale.

L. B. die XXII m. Julii a. MCMX

Verborum probatorum novas novis in rebus iuncturas

quaerebat

Jacobus Tassetius.

X. Ex Institutione Peregrina

Promus. — Dominae ad iussum caena praesto est. —

Johannes. — Longum est tempus, filia, ex quo te in hac vidimus domina maris insula, ad hanc mensam patri matrique assidentem. —

Catharina. — Sic, mi pater, mihi videor. Et hoc parentum convivio demum certa vix omnino fio, me esse domui ac penatibus patriis redditam. —

Johannes. — Adeone peregrinata es a nobis transmarina illa mansione atque disciplina? —

Catharina. — Nequaquam oblita meorum tamen in tam diversa usque ad hesternum diem versabar causa! date mihi tempora usus patrii recipiendi. —

Maria. — Multum dolui mater, quum filiam meam ablegári externas ad magistras iussi, quo melius et plures artes ratione illa addisceret, quibus doctae politaeque efformari puellae solent. —

Catharina. — Quam grata sim erga vos, optimi et carissimi parentes, vellem ostendere. Sed qui nunc possim, haud scio, nisi hilaritate mea simpliciter et gaudio. —

Johannes. — Potes alacritatem quamdam modicam in hasce plenas tacita cogitatione nebulas ex meridiana mobilitate transferre. —

Maria. — (Secum) Miror quamobrem filia nostra fuscinulam manu dextra teneat? (Palam) Cum honestis puto te condiscipulis tantum esse conversatam, a quibus etiam mores poteras sumere. Memini autem te mihi quaerenti de eis nominatim rescripsisse. Genus profecto noveras et sortem earum. —

Catharina. — Ludovicam clarus genuit medicus, loricatae praeest navi Susannae pater, AEmiliae autem populi legatus sedet in contione de legibus ferendis. —

Johannes. — Homines aio liberales, et paene quam pro civitate populari putaverim: honestiores. Non tamen plebem effrenatam eorum magis cum nostra optime temperata re publica conferam, quam classem aliquantulam cum nostro maris universi navali imperio. —

Maria. — Nulla lex apud eos temperat medicorum immanem in bestiis crudelitatem. Nunquamne saevitiae edidit exempla eius medici filia? —

Catharina. — Mitis admodum ingenii

virgo, et cuius pater vir est summae humanitatis. —

Johannes. — Quoties is praefectus impegit navem suam? —

Catharina. — Nunquam, pater, pro eo ut audivi. Aiunt eum sollerter navigare. —

Johannes. — Verum tamen eam classem multas noxas ferre machinarum male se habentium et erumpentium sua sponte nitratorum hisce temporibus commentarii diurni renuntiant. —

Catharina. — Ut omnes, prout intelligo, praeter hanc firmissimam omnium atque tutissimam nostratem solam. —

Johannes. — Minime erras in nostratum aestimatione. Sed is cuius factionis est, quem aiebas, condiscipulae tuae pater... conscriptus? —

Catharina. — Sedet in sinistris partibus. —

Johannes. — Homo laevus. —

Catharina. — In eorum numero, qui exaequare ordines enituntur et in publica priva convertere. —

Johannes. — Vir bonus dotem tuam vellet publicare. —

Maria. — Multum panem esitabas? —

Catharina. — Sic ut omnes in illa terra. —

Johannes. — Gens fera pane vescitur, nos humaniores carne. —

Maria. — Ego vero olere uti vellem, si sequi saporem deceret, non ad convictum aliorum semet accommodare. Ah! mea filia tingit iure panem! —

Johannes. — Ad convictum alienum se accommodavit: nunc non se accommodat. Sciebam profecto peregrinos omnes oris collutionem bibere, et dentes sibi scalpere furcinula solere. —

Maria. — Johannes! desine immunda, aut te quoque putem peregre institutum! —

Carmina Heiniana (I)

Convertit F. P.

1. Was will die einsame Träne?

Quid meum turbas oculum, superstes
quae manes prisci mihi testis aevi,
sola quid nostro tibi vis relicta,
lacrima, vultu?

Quae tibi quondam fuerant sorores,
iam diu cessere meosque luctus
gaudiis mixtos simul abstulere
noctis in umbras.

Ut levis nubes procul hinc ocelli
caeruli cessere, procace lusu
gaudiis mixtos mihi qui dolores
corde ciebant.

Flaminis venti meus instar ardor
atque amor fluxit: procul ipsa tandem,
quae meo vultu remanes relicta,
lacrima, cede!

---

2. Du schönes Fischermädchen

Huc-precor-cymbae moderare cursum,
bella piscatrix! Prope me recumbe
et tuam dextram mihi porge! Nobis
fas sit amare!

Parce formidare caputque cordi
admove nostro: pelagi furori
in dies committis enim salutem
absque timore!

En — meum pectus maris instar alti
aestuat rursusque silet quietum
et latet fundo pretiosa multa
abdita gemma.

3. Dämmernd liegt der Sommerabend

Vesper aestivus nemus atque pratum
occupat: lunae facies coruscat
caerulo caelo recreatque rerum
cuncta vigore.

Herbida ripa strepitat cicada.
Unda quid rivi subito cietur?
Halitus quis nocte silente surgit
lenis ad auras?

Vitreis formosa lavatur artus
fluctibus Nais: nivei lacerti
albicant tergumque renidet almae
luce Dianae.

---

4. Das ist ein Brausen und Heulen

Horrido stridet Boreas fremore
et tonant nimbi reboante caelo:
in tuo quid sola facis, puella,
nocte cubiclo?

Ad fenestram mi videor videre
assidentem te teneros ocellos
lacrimis sparsam tenebrasque noctis
prospicientem.

Exempla Versionum

1. Anglice et Latine

(R. Shilleto, Greek and Latin Compositions. Cantabrigiae 1901.)

Nor need we fear that men, by losing their ferocity, will lose their martial spirit, or become less undaunted and vigorous in defence of their country or their liberty. The arts have no such effect in enervating either the mind or the body. On the contrary, industry, their inseparable attendant, adds new force to both. And if anger, which is said to be the whetstone of courage, loses somewhat of its asperity by politeness and refinement; a sense of honour, which is a stronger, more constant, and more governable principle, acquires fresh vigour by that elevation of genius which arises from knowledge and a good education. Add to this, that courage can neither have any duration, nor be of any use, when not accompanied with discipline and martial skill, which are seldom found among a barbarous people. The ancients remarked that Datames was the only barbarian that ever knew the art of war. And Pyrrhus, seeing the Romans marshal their army with some art and skill, said with surprise, 'These barbarians have nothing barbarous in their discipline!' It is observable that, as the old Romans, by applying themselves solely to war, were almost the only civilized people that ever possessed military discipline, so the modern Italians are the only civilized people, among Europeans, that ever wanted courage and a martial spirit.

Hume.

Neque vero est cur vereamur ne exuta feritate bellicum itidem homines animum exuant, neve in propugnando pro salute patriae aut libertatis minus impavidi constantesque evadant. neque enim ullam vim tantam habent artes egregiae ut aut corpus aut animum effeminent. quod contra, industria, quae artissime eas subsequitur, utrique novas vires solet adicere. quod si iracundiae, quam quasi cotem esse fortitudinis volunt, per humanitatem cultumque aliquid asperitatis deteritur, at appetitui famae, quod cum fortius ac constantius tum idem docilius est agendi principium, novus quidam vigor adcrescit, auctis nimirum per disciplinas et liberalem institutionem ingeniis. huc accedit ut neque durare neque prodesse quicquam possit virtus, quae non disciplina quadam ac scientia militari commendetur. id autem barbaris in civitatibus perraro invenimus. veteres quidem aiebant Datamen solum inter barbaros rei militaris peritum exstitisse. Pyrrhus quoque, cum Romanos arte quadam et scientia videret aciem instruere, fertur mirabundus exclamasse: ‚at istis quidem barbaris nihil sane barbari in disciplina inest.' libet porro illud animadvertere, sicut antiquos Romanos, qui rei bellicae toti incumberent, solos fere inter incultas nationes disciplinam militarem attigisse; ita ex populis qui quidem hodie in Europa exstent humanissimis, nullis virtutem et bellicosum ingenium defuisse nisi Italis.

Sh.

2. Germanice et Latine

(F. Scholl, Lateinische Übersetzungsproben. Progr. Landaviense 1884/5.)

Der ältere Pitt war Englands grösster Staatsmann, ja es scheint aus der ganzen Weltgeschichte keiner mit ihm verglichen werden zu können. Er hatte sich selbst gebildet und sank nie zur Nachahmung auch der grössten Männer herab. Er verachtete das, was man Politik nennt; ihre Ränke waren ihm entbehrlich. Er riss ein und baute, herrschte und überwältigte. Englands Grösse war sein Ziel und sein Ehrgeiz Unsterblichkeit. Nie hatte sich in seinem Vaterland ein Mann ohne Partei erhoben, er allein verachtete alle Parteien. Unter einem käuflichen Volk hat er nie eine Stimme gekauft. Alle Britten waren mit ihm einig, wenn es die Ehre des Vaterlandes galt, und er konnte die Wogen der Demokratie treiben, wohin er nur wollte. Er sah ins Unendliche, die ganze Zukunft lag vor seinen Blicken. Seine Massregeln wurden immer durch unerwartete Mittel ausgeführt, die sich den Umständen anschmiegten und in die Minute trafen, wo sie gelingen mussten. Hindernisse und Hilfsmittel traten seinem Geiste zugleich entgegen, der gleichsam eine Gabe der Weissagung besass. Seine Beredsamkeit war leicht und helle und drückte die erhabensten Gedanken und Empfindungen durch gewöhnliche Redensarten aus. Sie war weder dem reissenden Strome des Demosthenes, noch der verzehrenden Flamme des Cicero ähnlich, sondern sie glich zuweilen dem Rollen des Donners, zuweilen der Musik der Sphären. Er hätte ein wildes Volk unter Ordnung und Gesetz gezwungen, er verstand es, ein freies Volk wie Sklaven zu beherrschen. Die Verdienste eines guten, freundlichen Mannes besass er nicht; diese sind nur für Menschen von minderer Grösse. Unempfindlich gegen die Freuden des häuslichen Glückes, sah er unverwandten Blickes auf Britanniens Schicksal, trat unter seine Helden und Gesetzgeber und entschied's.

(Nägelsbachs Stilübungen)

Pittus major inter Britannicos publici consilii auctores summum obtinebat locum nec ex omni memoria quisquam cum eo videtur comparari posse. Ipse sibi fuerat magister neque ad imitationem vel summorum ingeniorum descenderat. Contemnebat eam, quam vulgo vocant, calliditatem civilem, cujus artibus facile carebat. Diruebat, aedificabat, imperabat, superabat omnes adversarios. Nihil spectabat praeter Britanniae gloriam, sibi nominis immortalitatem paraturus. Ante eum nemo Britannorum, qui rempublicam administrabant, magnus factus erat, nisi per factionem, ille solus omnes factiones spernebat. In illo venali populo nullum unquam suffragium mercatus est. Ubi enim de salute patriae agebatur, omnes Britanni cum eo conspirabant, ut fluctus populares impellere posset, quocunque vellet. Quum in omnem infinitatem animo peregrinaretur, omnem aevi consequentis statum complectebatur. In rebus gerendis iis artibus praeter omnium opinionem utebatur, quae cum ad temporum casus applicarentur, eventu non carerent. Impedimenta et praesidia rerum gerendarum animo ejus simul occurrebant, qui quadam quasi divinatione valeret. Dicebat solute et plane et divinae mentis cogitata et sensa quotidianis verbis explicabat. Oratio ejus nec Demosthenis quasi torrenti, nec flammae (igni) Ciceronis similis erat, sed modo grandis et robusta erat, sicut tonitrua, modo dulcis, ut sonus orbium caelestium motu confectus. Qui ferum populum juris legumque societate devinxisset, idem liberis civibus tamquam servis uti poterat. Bonitatis vero laude et comitatis carebat; tenuiorum hominum sunt illae virtutes. Neglecta familiaris vitae jucunditate totum animum intendebat in Britanniae salutem; itaque cum viri de summa rerum deliberabant, Pittus surgebat et sententiam dicebat, in quam omnes irent (in medios progrediebatur viros, domi militiaeque principes, et res dubias decidebat). Sch.

Singulares grates existimavimus hoc loco agendas his viris ac feminis, qui indicatis latine scientium nominibus mirum nos in modum adiuverunt.

A. Berger (Klosterneuburg) — Boehmer (Fürstenfelde) — Bertha W. Ferguson (Alton) — F. Gustafsson (Helsingfors) — Bruno Peperle (Trieste) — W. Roesch (Heilbronn) — J. J. Schlicher (Terre Haute) — J. Tasset (Tonnerre) — H. Weller (Spaichingen).

Speramus alios quoque publice nominandi nobis datum iri occasionem omnesque salutamus lectores

Ed. et Red. S. L.

Carmina locosa

(A. J. Liszt, Pereat Tristitia! Vindobonae 1894.)

Kalendis

O crux, spes mea unica,
O mea grata domina,
Non habeo pecuniam,
Egeno redde veniam!

Kalendas esse hodie,
Dixisti tu jam pridie.
Kalendas! Horror stringit me,
O, vocem diram opprime!

Iam absit tristis gemitus,
Libenter solvam Idibus,
Quid aspicis me, nimis trux?
Sis mihi lenis, grata crux!

Si solvero non Idibus,
Sit tibi aequus animus,
Et ad Kalendas Graecas jam,
Per Stygem juro! differam.

Poena Temperantiae

Frates temperantiae
Peregrinaverunt
Et ubique Graeciae
Palam cecinerunt:
„Pereant vinaria,
Aqua, aqua, aqua, qua!"

Sicci domum splendidam
Quondam adierunt,
Hospites ad tabulam
Fessi consederunt:
„Hospes, praebe pocula,
Aqua, aqua, aqua, qua!"

Pater Liber dominus
Vinum adportavit;
At recusans protinus
Chorus exclamavit:
„Vivat temperantia!
Aqua, aqua, aqua, qua!

Quos ego! Dionysos
Rabie flagravit,
Heu! in aquam sobrios
Iam praecipitavit.
„Esto vobis lurida
Aqua, aqua, aqua, qua!"

Et in ranas virides
Versi saluerunt,
Ranae, aquae hospites
Rauca sonuerunt.
Sonant, vae! per saecula:
„Aqua, quaqua, quaqua, qua!"

Confessio

Hem! Philosophiam
Diu tractavi,
Iurisprudentiam
Siccam curavi;
Heu! Theologiam
Fovi divinam,
Colui etiam
Proh! medicinam.

Vitae dimidium
Iam sepelivi,
Futile studium
Nihil finivi.
Codices vendidi
Duro Hebraeo,
Servum me credidi
Dulci Lyaeo.

Caelo jam arduo
Renuntiavi,
Nunc me diabolo
Oppigneravi.
Solvat diabolus
Aes alienum,
Saccum det largius
Assium plenum.

Procul! Ad cuculum
Canae doctrinae!
Sinite liberum
Me, disciplinae!
Multo plus praefero
Hilarem sortem,
Vagus permaneo
Usque ad mortem.

Libri libellique dono accepti:

Prof. Dr. H. Geist, Übungsstücke zum Übersetzen ins Lateinische für Oberklassen. I: Deutscher Teil. Gissae, ap. Em. Roth, 1910. Pgg. VIII + 189. Pr. 2 M. II: Lateinischer Teil. Pgg. VIII + 142. Pr. 2 M.

Catalogus Dissertationum Philologicarum Classicarum. Verzeichn. v. etwa 27400 Abhandl. aus d. Gesamtgebiete d. Klass. Phil. u. Altertumsk., zusammengest. v. d. Zentralstelle f. Dissert. u. Programme d. Buchhdlg. Gustav Fock. Lipsiae 1910. Pgg. 652. Ed. II. Pr. 6 M.

Notandum!

De num. II. sententiis latine vertendis et aenigmatis tum primum referam, si pluria ad me missa erunt responsa.

Red.

Catalogi antiquarii:

J. J. Lentner Monacensis — Cat. III: Theologie, num. 1—2230, cum vita G. Mariae Dreves († 1. 6. 09)

Alafr. Lorentz Lipsiensis — Cat. 180: Klass. Phil., Altertumsk. u. Gesch. d. Philosophie, num. 1—4451.

Alafr. Lorentz Lipsiensis — Cat. 200: Philosophie, num. 1—8632.

Cum recentissimi soleant ad me pervenire catalogi, possum facillime quemlibet librum desideranti, ubi et quanto constet, indicare. Peto igitur, ut lectores, si quid iis opus sit, ad me scribant.

Libri a lectoribus desiderati:

Gedicke Fr., Liber latinus juventuti regni Hungariae accommodatus. Pressburg, Weber, 1825.
Erasmus Rot., Colloquia ed. Stallbaum. 2 voll. Lipsiae, Hinrich, 1828.
Seyffert, M., Aretalogus sive epigrammata. Brandenburg, Ad. Mueller, 1841.
Schmid, Vademecum classicum: Axiomata, proverbia etc. Augsburg, Wolff, 1857.
Lallier, Homeri Ilias latino carmine reddita. Paris, Lecoffre, 1868.
Marinelli P., Homeri Ilias et Odyssea latinis versibus redditae. 2 voll. Ancona (ca.1870)
Hettlingen, Mors Christi nach Klopstok ins Lateinische übersetzt. Solothurn 1884.
Philippi Fr., Carmina nonnulla Schilleri latine reddita. Venezia 1840.
Schultess Fr., Schiller's Spaziergang lateinisch. Hamburg 1898.
Philippi, Der erzählende Lateiner. Dresden 1829.
Welcker Ph. H., Selecta Schilleri carmina latine reddita. Gotha, 1840.
Wölfflin Ed., Carmina latina. Ubi? Quando?
Homeri Ilias graeco-latina
„ Odyssea graeco-latina
[illegible] Dialogi latine
Heerwagen, Deutsche Lesestücke mit lateinischer Übersetzung.
Philippi, Kleines lateinisches Conservationslexikon. 1825.

Offerantur velim libri pretiis indicatis Bibliopolae H. Lüstenöder Francofurtensi.

Versionum Latinarum Amatores

iuvabit audire se per bibliopolam Lüstenöder Francofurtensem accipere posse, quamdiu suppeditabit copia exemplorum, libellos hos minus notos:

Crain, Metrische Übersetzungen ins Griechische und Lateinische aus Schiller und Goethe, nebst einem Anhange aus der Bibel. Progr. 1858. Pgg. 23. 4°. . . M. 1.—
Taubert, Goethii Elegiae Romanae latine. Pr. 1872. Pgg. 19. 4°. . . . M. 1.20
Osterwald, Lateinische Übersetzungsproben. Pr. 1858. Pgg. 48. 4°. . . . M. 1.—
Kretschmann, Lateinische Musteraufsätze. Pr. 1891. Pgg. 32. 4°. . . . M. 1.—
Scholl, Lateinische Übersetzungsproben. Pr. 1885. Pgg. 33. . . . . . . M. —.75

Responsorium

Chalybaeo: Sept. ann. te accepisse spero. Solvisti 25. 7. 06: 4.60 M. et 28. 4. 09: 6.40 M. = 11 M. pro tribus (V, VI, VII) annis, quamobrem debes adhuc 1 M., quam cum novae subscriptionis pretio mittas velim ad redemptorem. Constatne ratio? Valeas.

R. J.: In nuntiis meis politicis ‚concilium' distinguere soleo a ‚senatu'. Illud procerum consilium intelligi volo, hunc delectorum popularium. Nam quamquam, ut optime noster et docet et demonstrat Tassetius, aptis verborum iuncturis omnia nova dici posse arbitror, tamen id quoque specto, ut c e r t a quibusdam rebus nomina quasi affigantur, id quod multum confert ad perspicuitatem augendam. Valeas.

I. P.: Ex iis, qui quasi collegae nostri sunt in peregrinis linguis per commentaria periodica docendis, ego prae aliis tibi nomino illorum, quae »Traducteur« et »Translator« inscribuntur, foliorum editores. Hi enim fasciculi semimenstrui, quorum priores decimum iam et quintum, alteri quartum sunt ingressi annum, auxilia praebent linguarum studiosis, cuiuscunque sunt nationis, praestantissima. Differunt tamen eo a Scriptore nostro, quod praeter textus omnino francogallicos vel anglicos lectiones et exercitia insunt seu versionibus seu notis germanicis instructa. Ceterum duos fere ante annos italica quoque editio publicari coepit. Prodeunt commentarii in oppido helvetico La Chaux-de-Fonds, unde specimina numerorum gratis ad te mittentur, si petiveris. Valeas.

Corrigenda

In num. III. pag. 36 supra lege: **deesse** pro: deese, pag. 37 infra: hae **formae** pro: formas, pag. 46 infra: **Galli** novam . . . pro: Gallo.

Aenigmata

composuit

Saravinus.

1

Ridiculos hominum mores et tristia mundi
Demonstrans moveo gaudia vel stomachum;
Principe latrantem stomachum **spoliata** juvabo,
Olim Romanis luxuriosa nimis.

2

Pectoris angores monstrans et gaudia mentis,
Quae te cunque movent, nuntiat ore silens;
Fine alio volucres venatur in aethere gyrans,
Principioque novo divus habetur honos.

3

Agricolae me fruge gravi laetantur, at **unum**
Principium indurans militis orno caput.

Ex solutoribus duo sortiti gratis accipient libellum:

Birt, Zur Kulturgeschichte Roms. (Collectionis: ‚Wissenschaft und Bildung' vol. 53) Lipsiae, ap. Quelle et Mayer, 1909. Pr. 1.25 M.

Sententiae latine vertendae:

Es ist unmöglich, Frauen zu zivilisieren, denn die Grundlagen ihrer Natur sind barbarisch, und die Fortdauer der Rasse hängt von der Feststellung dieses Unterschiedes zwischen Mann und Frau ab. Ich fordere jedermann auf, mir eine einzige grosse, überragende Leistung der Frau nachzuweisen, sei es in der Wissenschaft, in der Literatur oder Kunst. Ihre Religion zeigt ebenfalls alle Merkmale niederer Kultur. Überall sieht sie Zeichen und Wunder. Sie ist die erste Anhängerin spiritistischer Medien. Sie begründet neue Sekten, in denen dem Religionssinn der Wilden neue Namen beigelegt werden. Die Frau des zwanzigsten Jahrhunderts zeigt sich auf derselben Kulturstufe wie ihre Schwester in der Wildnis und im Urwald; sie liebt leuchtende Farben, schmückt sich mit Vögeln, mit den Pelzen von Tieren und liebt leidenschaftlich Juwelen und Parfüms. Die Grundprinzipien ihres Charakters und ihrer Instinkte haben im Laufe der Jahrhunderte nicht den geringsten Wandel erfahren. Die barbarische Schlauheit, mit der sie ihren Zielen zustrebt, die Mittel, die sie dabei verwendet, Täuschungen und Verrat, sind sprichwörtlich geworden. Auch wenn es ihr möglich wäre, ihr Ziel auf geradem Wege zu erlangen, so würde sie doch zu Zweideutigkeiten und zweifelhaften Mitteln ihre Zuflucht nehmen. Die Frau lebt in einer uralten Welt, sie denkt alte Gedanken, fühlt alte Empfindungen, wird von alten Impulsen getrieben, schmückt sich mit altem Tand und wird bewegt von alten Hoffnungen und alten Befürchtungen. Ihre Neigung, Blutvergiessen und Schlächtereien mit anzusehen, ist ein deutliches Zeichen für ihre Wildheit. Die Frau ist eine ewige Wilde, deren einzige Rettung in der Tatsache liegt, dass sie stets Barbarin war und stets Barbarin bleiben wird . . .

Prof. Starr Chicaginensis*)

*) Quamquam huius aetatis feminae maximam partem ita sunt eruditae, ut, quem paulo acerbius de ipsarum sexu audiant iudicantem, animo haud minus aequo ferre quam viri consuerint, tamen, ne in invidiam cadant Scriptoris Latini editores, fortasse non supervacaneum videatur monere nos longe aliis de causis has sententias seligere, quam ut, quid ipsi sentiamus de qualibet re, manifestemus. Red.

Huic penso qui satisfecerit optime, Civem Romanum gratis accipiet per X menses. Versiones intra sexaginta dies huc pervenire debebunt.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

prodit circa idus cuiusque mensis mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M.

Scriptorum merces est 36 M pro 16 paginis: iidem solvunt pro subscriptione sua minutum bibliopolarum pretium, i. e. 3.00 M annue, et accipiunt eius numeri, in quo inest commentatio, 5 exempla.

Epistulae, manuscripta aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur:

Ad Voldemarum Lommatzsch,
Bremiportu (Bremerhaven),

pecuniae vero, libri et libelli, de quibus censurae fiant, epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,

Bibliopolam Hans Lüstenöder,
Francofurti a. M.,
Eschersheimer Landstraße 112.

Nomina et domicilia
eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professisunt:

T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Glendale — Dr. H. Geist, Prof. Gymn., Darmstadt — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — W. Lehmann, Rei Vehic. P. aep. em., Breslau Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn. Stuttgart — F. Palata, P of. Gymn., Prossnitz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Krakow — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — J. Tasset, Tonnerre — C. Thieme, Parochus, Marienstatt — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Typographus: Carolus Wiechert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

(NOVA »CIVIS ROMANI« SERIES)

Menstruus Ad Linguam Latinam Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII: Numerus V

— Procurant negotia —

In Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C, 57 59 Long Acre,
In Italia: Succ B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: Belinfante Frères, den Haag.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguam Latinam
Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII Francofurti a. M., Mense Septembri MCMX Num. V

Omnibus Gymnasii Veteres Linguas Colentis Amicis, Cunctis ac Singulis,

s.

Quod vobis potissimum, spectatissimi viri, hunc dedicari voluimus commentarii nostri numerum, nemo, qui attento animo, quam secuti simus viam per hos septem annos, observarit, mirabitur. Etenim hoc semper professi sumus Graecam nobis Latinamque linguam praeter ceteras videri idoneas, quibus ingenia adolescentium acuantur, ideoque gymnasii quae propriae sunt virtutes servari nec amplius illud tanquam theatrum esse debere, in quo omne genus hominum natos sese ad reformandas scholarum rationes arbitrantium artes proferre suas sibi putent licere. Hanc nos defendentes sententiam crevimus, haec vires nostras firmavit, hac denique factum est, ut iam in plurimis orbis terrarum partibus habeamus, qui nobiscum consentiant nosque in conatu nostro, quem communem omnibus antiquitatis amatoribus esse existimamus, adiuvent. Assentimur igitur prorsus iis, qui paucos ante menses in memorabili illo conventu Monacensi, quid censerent de gymnasio instituendo, his exposuerunt verbis:

Gymnasii disciplina tota, ut ante, versetur in literarum studiis antiquarum ideoque firmius in linguarum historiaeque fundamentis statuatur, ita tamen, ut discipuli primis medicisque scholae classibus perfuncti ea imbuti sint grammaticarum rerum scientia, qua, etiamsi negliguntur ejusmodi exercitia ultimos per annos, fructum tamen ex hummnitatis doctrina percipiant multo, quam adhuc potuerint, uberiorem. Accedat illi tamquam complementum mathematica naturalisque scientiae instutio, qua omnibus discipulis sit utendum.

Haec habui, quae dicerem de communi nostro studio atque contentione. Vos autem, viri spectatissimi, agite, quotquot nondum estis nobiscum sociati, facite fortes nobis, inter vos exsistant commilitones, quos si multos habebimus, et plura poterimus praestare lectoribus et meliora.

Ed. et Red. S. L.

Quando senescimus

— J. J. Hartman, Lugduni Bat. —

(Absolvitur)

Vilia sunt illic quae stant simulacra, camini
Ornamenta, sed haec longum quoscunque per aevum
Praecipue caros habuit post fata reponunt.
Frigida nunc, verum est, conatur membra fovere
Anna, sed haud illi nempe est haec unica cura;
Quodque foco palmas admovit, credere noli
Corpore brumales illam sentire dolores,
Mente nihil. Pictor dum „lumina“ quaeris et „umbras“
Quoque modo possint lepidum componere totum
Res variae, maius quiddam te praeterit: illud
In gremio vetulae iacet, hinc tua mortis imago
Egregie tristis poterat sibi sumere vitam.

Aspice debilibus quod sustentacula praebet
Instrumentum oculis et quem tegit aspice librum
Indicium hoc, sed praecipue quae legit in illo:

„Cor vestrum ne turbetur, sed credite Patri,
Atque mihi vestrae curas comittite mentis:
Nempe benigna Patris domus est, promittit et illa
Hospitium multis; dixissem, ni foret istud.
Huc ego discedam, vobis sedesque parabo.
Atque, ubi discessi vobis sedesque paravi,
Huc redeo et vos excipio, vos sitis ut illic
Ipse ubi sim: nostis quo vadam nostis iterque.“

Deposuit librum, flammas prospectat et ecce
Labra movet; tremulo secum quid murmurat ore?
Ausculta: „nostis quo vadam nostis iterque“.
Nullum etenim verbum fuit illi carius unquam.
Quod nunc secum agitat, nam se reminiscitur olim
Hoc recitare patri, longi post tempora morbi
Cum tandem placido gressu vultuque benigno
Ille Dei famulus, mentis qui vincula solvit,
Accedens relevare senem cruciatibus aegris
Coeperat atque mali finem venisse docebat.
En, iterum claro splendebat lumine vultus
Antehac contractus saevo plerumque dolore.
Quin etiam risus tunc pristinus ille redibat
Et vox muta diu; quae cum „carissima“ dixit
Obticuit, clausitque oculos nox nuntia lucis.

At dum verba refert Domini, CARISSIMA saepe
Vox redit in mentem vetulae, materque resurgit
Ante oculos: illi num vox consuetior ulla
Aut sua ridenti puerilia gaudia parvae,
Alloquio aut grandis praebenti virginis aurem?
At tum praecipue veluti iam sponte redibat

Ille sonus dulcis, lecto cum debilis illa
Affixa haud aliud morbi lenimen haberet
Quam quod cura suae praebebat sedula natae.
Haec agitat iungitque manus et lumina claudit
Anna, pias fundens memori de pectore grates
Munere pro tanto: matrisque patrisque senectam
Quod sibi contigerit tam longo tempore laetam
Reddere, quodque tenens dextram utriusque suprema
Verba salutantum tam certa acceperit aure,
Verba quibus fiat SUA NUNC TAM LAETA SENECTA.

QUAM FUERIT FELIX reminiscitur Anna videtque
Se parvam, modo gaudentem, modo parva dolentem
Infortunia; nunc voces audire videtur
Ridentum placide, nunc asperiora loquentum;
At plerumque tamen vultus iam cernit amicos,
Miraturque sibi fuerint cur usque benigni
Ille puer petulans, paucis haec grata puella,
Haec anus haud facilis morosusque ille magister.

Cuncta sed haec pellit species praestantior: ecce
Non indigna choro caelesti surgit imago
Virginis; huic velant pudibundam flammea frontem,
Caesariem gemmae floresque aurumque coronant
Artifici dextra comptam, gracilesque per artus
Candida palla fluens sequiturque augetque figuram,
Donec humum verrens nebulam simulare videtur:
Hanc iuveni sponsam sua gens gaudebat honesto
Tota, sed ante alios maior soror Anna, velutque
Si decoranda foret fani sibi tempore sacro
Regina ipsa, sagax nunc ingeniumque manusque
Exercebat ut haec, quondam quae, parva, fuisset
Maxima cura sibi, nunc gloria maxima, festa
Luce foret sponsis formosior omnibus una.

Sorte sed humana sunt quaedam gaudia nempe
Maiora: hanc certe nimiam sunt dura secuta
Tempora laetitiam: pepulerunt gaudia curae
Usque gravescentes: abiit vix tertius annus,
Perque fores illas, festa tunc fronde decoras,
Per quas, gentis ovans fortuna, laeta caterva
Exierat, tacito gressu lugubris et atra
Pompa redit: mulier veteris vestigia formae
Certa quidem servans, sed luctu debilis — anni
Sic alias curvant — gemina cum prole petebat
Omine non fausto quae liquit tecta paterna.

Tempore ab hoc series annorum coepit abundans
Sollicitudinibus variis varioque labore:
Consolanda soror, sustentandique parentes,
Parvaque progenies tenerae ducenda per omne
Aetatis stadium; requiem levis arca negabat
Saepe sono tenui terrens; super omnia voce
Et vultu celandus erat dolor anxius omnis.

O bene quod munus tunc sufficiebat ad omne
Anna soror! vegetum corpus natura sagaxque
Ingenium dederat: sed non leviora parentes
Addiderant: artes varias et cetera, mentem
Utiliter lepideque ornant quaecunque puellae.
Quapropter meminit quantum matrique patrique
Debeat et quantum totus grex debeat illis:
Nempe sui recolit successum laeta laboris
Assidui quamvis, grati tamen, utpote carae
Viveret unde casae soli sibi dedita turba.
O qui plausus erat, resonabant gaudia quanta,
Post varios cursus cum tandem fessa redibat
Doctrinae referens fructus artisque lucellum!
Dulcis at ille sonus sensim labentibus annis
Obticuit; tandem restabat sola, sorori
Reddere quae posset non firma voce salutem,
Aegra soror; tamen, o, tacito splendebat in illo
Quantus amor vultu!
Dudum nunc undique cingit
Muta quies vetulam, requiescunt pesque manusque;
Mens tamen usque agilis praesentia pervolat atque
Praeteritum quidquid . . . mens non ignara futuri.

„Haec tibi debemus, matertera!" murmurat, atque
E gremio profert acceptam mane tabellam
Exiguam quamvis, iam terque quaterque relectam,
Utpote narrantem quae gaudia pectus anile
Vix capit. Hinc surgit contemplaturque caminum
Quae decorant iuvenum reddentia signa duorum
Ingenuos vultus; sed quos vulgaris amictus
Cingit ibi, nunc magnificos amplosque revisit:
Ecce paludatus fratrum minor, „aerea" pectus
„Crux" [8]) decorat loquiturque insignia praemia Martis
Hostibus Eois devictis; proximus illi
Germanus, quem nunc — eadem illud epistola narrat —
Dependens humeris toga summi monstrat honore
Consilii clarum, mox ad maiora vocandum!

Hinc repetit sellam, dextraque premente sinistram
Luminibus clausis recolit felicia vitae
Tempora . . . seque vocat nimium nimiumque beatam.
In somnumque preces abeunt; nunc denique surgunt
Omnia quae superant spectacula, visaque quamvis
Nunquam, non ignota tamen . . . sic Anna senescit.

Professoris Pekár de Epistula Horatii ad Pisones dissertatio deficiente spatio proximo numero absolvetur.

[8]) Significatur ornamentum militare quo decoratur miles qui in **Indio Neerlandica** egregie rem gessit.

Mea philosophica confessio sive biologica ad amicos

Cum aetas devexa ad exitum vergere incipit, tum mortales facile adducuntur, ut eorum, quae in decurso vitae spatio vel ab aliis accepta vel ipsi experti senserint, summam quasi votivam quandam tabulam proponant, unde tum ipsi tum alii, suam experientiam cum illorum fatis comparantes, ad iustiorem vitae humanae aestimationem perveniant. Nam ingens vis errorum viventibus nobis undique subnascitur suggeriturque, a quorum laqueis se liberare difficillimum est. Quo nomine imprimis poetae cum recentiores tum qui antiquitus fuerunt culpandi sunt, qui commentis suis vitam nobis, qualis nec est nec unquam fuit neque esse potest, praestigiatorum modo ob oculos ponentes religionum mysteria et perversam quandam philosophiae rationem pepererunt, ex qua tanta mentibus hominum offusa caligo est, ut vix et aegre ex tantis tenebris lucem dispicere queant. Nos vero spretis istiusmodi ineptiis praevertamur ad illa, quae nostram naturam proxime attingunt, sobrioque iudicio, quale humanae vitae pretium statuendum sit, consideremus.

Ac statim a limine haec se nobis ingerit dubitatio, quinam ipsi simus et quid sibi velint ea, in quibus versamur. Duplex autem est haec quaestio, una ad ultimam rerum universitatis causam intenta, quam ne summa quidem voluntas nostra unquam poterit consopire, altera, quaenam sit nostrae exsistentiae ratio et consilium, quis mundi, in quo vivimus et cuius pars sumus, finis extremus. Et in priore quaestione enodanda, ex quo philosophiae studium mentes hominum incendit, ingens praeclarissimorum ingeniorum multitudo elaboravit; dum omnes quaestionem illam expediri posse rati alii aliam materiam, cuius tamen ipsius originem nullo modo explicare possent, infinitae rerum varietati subesse autumant, alii unum aut plures deos tamquam fabros et conditores huius mundi constituunt. Abhorret animus ab enumeratione hariolationum, quae aliae aliis absurdiores de rerum primordiis prolatae sunt, et libens evolat ad illum divino virum ingenio, qui quaestionem istam dissolvi posse invictis rationibus fultus pernegavit, supranaturalem scientiam omnem explosit et ne pedem quidem ultra experientiae fines proferendum esse demonstravit, Kantium dico, qui tandem vir id, quod antiquitus, quamquam valde rudi initio, inchoaverat Epicurus, ad umbilicum adducens genus hominum a superstitione et vanis numinum spectris liberavit. Hac Kantii doctrina, quae non in mentem venerat superioribus, sed a noviciis philosophis plerisque omnibus adoptata est, metaphysica h. e. omnis de ultima origine et causa rerum inquisitio e conspectu pervestigationis relegata obmutuit. Etenim cum pateret nos quidem non posse ab ultimae cuiuspiam causae cogitatione ullo modo divelli, sed demonstratum esset istam causam nec ratiocinando nec experientia indagari posse, relinquebatur, ut ipsa nostrae mentis fabrica, quae non posset quin omnia ad suam quidque causam referret, etiam ultimae causae effectrix esset. Inde non sequitur etiam res extra nos sitas causarum inter se nexu copulatas teneri, quo concesso ne ultimae quidem causae statuendae ulla apparet necessitas. Ita intellectus quidem omnis generationis sublatus est, sed simul certi fines constituti sunt, ad quos usque vera scientia progredi possit et a quibus fidei et opinationis vis et regnum incipiat. Hinc effectum est, ut homini naturae, quae eum circumdat, campus assignatus sit, in quo pervestigando vires suas exerceat et inventorum usu fruatur, incuriosus ultimae causae, quam quoniam nullo modo a cogitatione sua arcere potest, sive deum sive vim quandam naturae appellet licebit, modo persuasum habeat, quidquid de prima origine sub scientiae specie venditatur, aut fabulas stupidorum esse aut veteratorum fallacias.

Hac igitur de rerum primordiis quaestione e codice philosophiae expuncta restat altera illa de consilio

et ratione, cur homines simus in mediis huius mundi turbis et fluctibus collocati. Quamquam vanum est, ne dicam ridiculum, quando de ipso ortu rerum nihil constat, de consilio, quod in isto ortu conspicuum sit, disputare velle. Itaque ad hanc quaestionem neque potuit adhuc quisquam nec unquam poterit, quod quidem operae pretium sit et vel aliquam probabilitatis speciem habeat, respondere, nisi si quis forte ad dogma et fabellam sacrificulorum confugere malet, qui puerulis vetulisque inculcant hominem ideo creatum esse, ut deum agnoscat, amet, colat et postremo in insulas beatorum migret. Quae commenta dum eis, quibus destinata et accommodata sunt, relinquimus, necesse est nobismet ipsi aliquam metam praefigamus, in quam intuentes quantulum vitae spatium nobis concessum est decurramus. Haec autem meta quae tandem alia esse potest nisi ea, quam Epicurus, vir sapientissimus, nobis ut ultimum et extremum bonorum proposuit, voluptatem scilicet, non eam, quam Epicuri posteri et asseclae de libidinibus explendis interpretati sunt, sed illam, quam venerabilis magister ipse omnium animantium naturam secutus in indolentia corporis et animi securitate ponendam censuit? Hanc Epicuri rationem, qua nulla est humanae naturae accommodatior, altius persequi non huius loci esse arbitror, sed eis, qui eam penitius cognoscere cupiunt, auctor sum, ut primum Ciceronis librum »de finibus« evolvant. Est autem haec disciplina etiam propterea magni momenti, quia haec una nobis palam facit, quid sibi velit illa tantopere decantata virtutis notio. Etenim cum inde ab Socrate diversae philosophorum sectae virtutem per se ipsam expetendam esse asseverassent idque decretum subtilissimis argumentis firmassent, Epicurus primus ostendit virtutem nihil aliud esse nisi instrumentum et praesidium, quo via ad beatam vitam i. e. ad summum bonum vel voluptatem pararetur. Neque vero quin id vere dictum sit, dubitari potest. Nam fingamus hominem solitarium et ab omni hominum commercio segregatum. Quid huic opus est virtute? quae quidem non potest nisi in hominum consortio exerceri et quidem eo fine, ut vitam nostram quam iucundissimam efficiamus. Haec omnia Epicurus per singulas virtutes ita persequitur, ut doceat, quantum unaquaeque virtus ad consummandam beatam i. e. voluptatis plenam vitam valeat. Ac sapientia quidem vel prudentia secernere docet innocuas voluptates a noxiis. Moderatio autem, quae Graecorum σωφροσύνη est, confirmat animum ad fugiendas noxias voluptates adeoque nonnunquam ad suscipiendum aliquem dolorem, quem pone sequatur voluptas omninoque nos eo adducit, ut quam diutissime voluptatum capaces maneamus. Fortitudo vero doloris mortisque contemptum inspirat. Iustitia denique nos monet, ne laedendis aliis nos eorum ultioni exponamus, sed potius benigne tractandis hominibus nostram vitam ab insidiis tutam reddamus. Ad summam, omnes deinceps virtutes ad vitam voluptariam conspirant.

Haec igitur decreta sequentes etsi non poterimus illo a Stoicis aliisque philosophis ultra modum celebrato »summo bono« potiri, hoc tamen lucrabimur, ut ne cum ratione, qua nihil in homine sublimius est, bellum geramus neve contra nostram persuasionem fabulis anilibus decipiamur.

Verum enim vero nolim hunc meum sermonem ita accipi ac si eam doctrinam, cuius summa capita strictim percurri, etiam vulgo plebique obtrudendam esse putem, immo sicut libri sacri negant subus margaritas proiciendas esse, sic nos illam philosophiae rationem liberalium et ingenuorum hominum propriam a faece humani generis utique procul habendam arbitramur. Aliter enim, id quod sane dolendum est, societas humana, ut quae nequeat fraudulento fundamento carere, constare non posset, sed exardesceret bellum omnium contra omnes, ut sine dubio necesse sit incultiorem eamque longe maximam nostrae societatis partem in stupore et fatuitate detineri. Idcirco prudenter ab antiquis illa numinis scelerum vin-

dicis species excogitata est, quae indoctae plebi perpetuo ante oculos versetur, effictaque illa improborum vindictae et bonorum remunerationis loca. Quae qui frivola iactatione vulgo eripere student, ipsi sibi inscii exitium parant.

Iam si quis quaerat, quid prodesse philosophiae studium ingenuis hominibus et quatenus illud omnino commendabile putem, ita respondebo: Cum tres sint philosophiae partes iam a veteribus constitutae, una, qua de origine mundi et ultima causa quaeritur, altera, qua agitur de norma et lege cogitandi, tertia, quae est de moribus et convictu civili: quod attinet ad primam, quam posui, partem, quam metaphysicam esse volunt, hoc efficit philosophia, ut nos a credulitate et superstitione liberet, ut ne, quae alii proloquuntur, temere pro veris accipientes psittacorum more repetamus, sed ut ex persuasione et sententia animi profiteamur omnem scientiam experientiae finibus terminari, ultra quos opinionum aut piae vel, si diis placet, impiae fidei dicio et regnum incipiat; altera pars, quae logice sive dialectica vocatur, homini sana mente nato vix necessaria est, ut qui omnibus cogitandi muneribus naturali rationis instinctu sine ullo adiumento recte fungatur, male sano autem logica seu subtilis notionum earumque nexuum disquisitio adeo non prodest, ut eum potius confusum reddat; tertia denique pars, quae moralis doctrina vel ethica nominatur, prorsus vulgarem ortum habet, hominum videlicet consuetudines et opiniones fluctuantes, quae cum aliae aliis hominibus adesque eisdem diversis temporibus diversae probentur, facile intelligitur, quanti sint aestimandae. Atque istae opiniones et consuetudines pro loco et tempore variantes quid aliud propositum habent quam ut indomitae alioquin hominum catervae in obsequio contineantur, genus hominum propagetur, societas civilis conservetur? His opinionibus stabiliendis inserviunt leges, eo scilicet consilio inventae, ut imbecilliorem a robustiore tutentur. Sed si verum quaerimus, istae humanae leges multo potentiori legi naturae repugnant, quae nullum aliud nisi superioris in inferiorem ius agnoscit, id quod iam veteres sophistas non latuit. Hinc hominum leges cotidie infringi et perrumpi videmus, ex quo fit, ut tota societatis humanae vita in perpetuis bellis, caedibus, conflictationibus, iudiciis, reorum condemnationibus versetur.

In hanc tristem et flagitiosam nec ullo modo mutabilem hominum condicionem intuenti non potest non ipsius vitae taedium subrepere et exoptatissimum videri, ut quantocius vasis collectis illuc abeat, unde venerit. Nam vanae sunt omnes de istis quidem miseriis, quas postremo commemoravi, philosophiae consolationes nec aliud quidquam praeter inanem verborum strepitum.

»Verbum non amplius addam«, etsi scio multa hic omissa esse, quibus demonstrari posset homines ipsos inter se alios aliis citra necessitatem et quasi dedita opera vitam amaram, spinosam, intolerabilem efficere — idque propter innatarum cupiditatum effrenationem et immodestiam. Dixi.

Goritiae. Od. Utis.

De Itinere Comitis de Zeppelin in Regiones Arctoas Studiorum Causa Inito

Navi vaporaria nomine „Mainz“, quae est Lloydii Germanici-septemtrionalis, societatis naviculariae, socii itineris a comite de Zeppelin in regiones arctoas studiorum causa initi die mensis Julii secundo e Kiliae portu profecti biduo post Bergam sospites pervenerunt.

Expeditionis huius privatis tantum impendiis adiutae comparataeque participes hi erant viri praeclarissimi: Henricus princeps Borussiae, qui expeditioni protector praeerat, cum adiutore suo von dem Knesebeck nauarcho vicario, comes de Zeppelin, de Friedlaender-Fuld et Dr. Lewald arcano consilio regio ascripti, quorum hic est e ministerio rerum internarum, Hilmers nauarchus, qui

munere negotiorum expeditionis dispensandorum fungebatur, complures viri summae in variis studiorum generibus auctoritatis. Primo quidem hoc itinere praeparari putabatur posterior expeditio navibus aeriis Zeppelinianis ad explorandas regiones arcticas suscipienda; qua re iter, de quo agimus, vulgo exploratorium nominabatur. Sed in consilio pridie diem discessus navis vaporariae in insulas quae Spitzbergen nominantur in arce Kiliana habito socii itineris incepto suo significationem sane aptiorem „itineris studiorum causa ineundi" dedisse dicuntur, quia hoc iter non solum quaestionibus specialibus, e quarum eventu consilii Zeppeliniani persequendi facultas pendebit, sed etiam aliis doctrinis quaestiones illas non tangentibus usui fore speratur. Ut nonnulla proferamus: professor de Drygalski, clarus ille dux expeditionis Germanicae antarcticae in navi vaporaria nomine „Gauss" habitae, quaestiones oceanographicas agitabat, quae cum pertinebant ad temperiem, salis copiam, rationes fluctuum circa polum exsistentes, tum multum conferebant ad quaestionem quae sint causae mirabilium copiarum piscium in aequoribus septemtrionalibus viventium accuratius persolvendam. Professor Dr. Reich medici munere fungens expeditioni intererat et operas Drygalskii adiuvabat. Idem abhinc complures annos, postquam officio classiario se abdicavit, oceanographiae, quo maxime delectatur studio, totum se dedit. Professor Dr. Adolfus Miethe arcano consilio regio ascriptus, laboratorii photochemici in academia technica Carlottoburgensi rector, cuius auctoritas in arte photographica coloribus exercenda plurimum valet, expeditionis socius erat studiis photochemicis incubiturus, quibus in operibus a Dre Seegerto, amanuensi suo, adiuvabatur. Comes de Zedlitz-Truetzschler, Musei Berolinensis collaborator, ornithologus intererat expeditioni studiis avium quadrupedumque arcticorum se daturus praeparatore quodam comitante. Aetheris rationibus quae in regionibus arcticis reperiantur definiendis professor Dr. Hergesell eiusque amanuensis Leiber incumbebat. Denique comes de Zeppelin una cum Lavio, claro illo navium aeriarum gubernatore, in iis praecipue rebus agendis erat occupatus, quae ad artem per aera navigandi nec non ad efficiendum conatum in regiones arcticas navi aeria progrediendi magni sunt momenti ac ponderis. Imprimis cogitabat Zeppelinus rationes aeris caelique explorare, quaerere possintne deligari ad ancoras naves aeriae in axis septemtrionalis glacie, indagare locum in insulis Spitzbergen situm atque ad aedificandum tugurium, quod navibus aereis hospitium praeberet, idoneum.

In glaciei perpetuae fines navi Norvegiensi parva et ad hanc navigationem potissimum exornata, quae „Foenix" vocatur et in urbe Tromsiis mercede conducta erat, procedebant itineris socii.

Hi, ut fluentes aeris undas definirent, secum ducebant follem aerium funibus retinendum, qui continebat 500 metra cubica, et 1500 metra cubica hydrogeni lagoenis inclusi, quo repleretur follis. In ponticulo navis „Mainz", supra tectum supinum, trochlea erat posita, qua uterentur ad follem sublime ferendum. Nec deerant aliquot folles minores bina metra cubica continentes, quibus in perscrutandis aeris undis exploratorum vel ducum partes tribuebantur.

Ut statueretur, num in plagis arcticis ars telegraphica sine filis aeneis exercenda turbationibus atmosphaericis, ut credunt, obnoxia sit, „Societas Berolinensis ad exercendam sine filis telegraphiam (systema Telefunken)" in navem delegaverat virum huius rei peritum, qui observationibus dabat operam. Nec deerat illi explorandi ac definiendi copia, quippe cum et navis „Mainz" et celox „Carmen" appellatus e classe Caesarea, qui navem vaporariam inter insulas Spitzbergen et portum Tromsiorum navigantem ut navigium commerciale sequebatur, et „Foenix", navis vaporaria itineribus in regiones glaciales faciendis adaptata, stationibus ad exercendam

illius generis telegraphiam instructae essent.

Denique opera agebantur chartographica, quae quidem non pertinebant ad ipsam expeditionem, immo vero auctore Lloydio per praefectos navis „Mainz“ ac virum in operis mensuralibus eruditum, qui antea in classe Caesarea stipendia fecit, conficiebantur. Quod fiebat in sinibus quibusdam prope insulas Spitzbergen sitis, praecipue in iis aquis, quae ad appellendas naves oblectationis causa navigantes magni sunt momenti.

Navis vaporaria „Mainz“, qua itineris socii ad illas insulas vehebantur, una est ex iis navibus Lloydianis, quae aliis temporibus in Brasiliam commeare solent. Habet magnitudinem 3200 amphorum, longitudinem 97,8 metrorum, latitudinem 12,8 metrorum, altitudinem 7,58 metrorum. Insunt duae machinae triplici, ut aiunt technici, expansione, quae indicant plus minusve 1400 vires, quas vocant, equinas navique suppeditant celeritatem, qua singulis horis 10 milliaria permetiri potest. Habet duo tecta continuata cum prora 14 metra longa et cum casa pontili 61 metra longa; collustratur luce electrica. Ad iter studiorum causa faciendum maxime est idonea. Nam in primae classis diaetis collocari possunt 20 vectores, qui exedrae simplicis quidem, sed iucundissimae communiter utendae sunt participes. Praeterea tectum ambulatorium satis amplum praebet locum cum sub divo large commorandi tum ad observationes instituendas et efficienda varia opera naturae itineris convenientia. Navis nuperrime a Lloydio ad iter Spitzbergeniense eximie exornata multisque rebus, quae ad usum expeditionis necessariae videbantur, instructa est. Imprimis multa laboratoria, quibus socii artibus scientiisque exculti utantur, duo cellariola obscurata, cellae praeparationibus aptae navi inaedificatae sunt. Etiam apparatus praesto sunt, quibus vectores altitudinem maris metiantur aquarumque specimina ex imi maris tenebris extollant. Diaetae sociorum in utroque mediae navis latere sitae sunt. Henricus princeps in latere dextro duo habitabat membra ex adverso sita, quorum alterum ut conclave, alterum ut cubiculum erat exornatum. Etiam commoditatibus oblectationibusque vectorum, quantum fieri potuit, provisum erat. Ut exempla afferamus: Otto Theinius Bremensis navigantibus permiserat unum ex instrumentis a Welte-Mignon appellatis, quae tam brevi tempore gratiam magnis navibus vaporariis vehentium sibi conciliarunt. Praeterea phonographus quoque ad relaxandos animos data occasione aliquid conferebat, et si quis tandem corporis agitationibus motibusque operam dare volebat, ne remigandi quidem facultate carebat.

Ex urbe Berga profecta navis „Mainz“ primum petivit Tromsios, ubi navem vaporariam Lloydianam, quae „Grosser Kurfuerst“ vocatur, oblectationis causa itinera facientem atque e plagis septemtrionalibus domum rursus redeuntem convenit. Tum celoce „Carmine“, qui eam quinto mensis Julii die matutino tempore Kilia Tromsios secutus erat, comitante recta via ad insulas Spitzbergen tendebat. Ibi primum ad sinum, qui ab Adventu nomen ducit, tum ad sinus a Crossio et a Moellero denominatos appellebatur. Deinde pars sociorum egressa est et navi „Foenice“, ut supra demonstravimus, in regiones arctoas progredi conabatur de rationibus glacialibus aliisque certiorum se factura. Interea „Carmen“ celox semel in hebdomade inter insulas Spitzbergen et urbem Tromsios commeabat, ut res tabellarias huc et illuc perferendas curaret. Omnino expeditionis socii, quemadmodum ex commentariis eorum apparet, unum fere mensem in arctois regionibus commorati sunt.

Guil. Lhm. Vratisl.
secund. „Der Leuchtturm, No. 202, Bremen, 6. Jul. 1910“.

Catalogi antiquarii:

B. H. Blackwell Oxoniensis — Cat. 136: Egyptian, Greek, and Roman Antiquities etc., num. 1—1041 (Pompeii 705—717, Rom. Antiqu. 788—845)

Verborum probatorum novas novis in rebus iuncturas

quaerebat

Jacobus Tassetius.

XI. Ferro vehentium consessus*)

Vir ingenuus qui primus vectoriam cellam ingreditur vacuam. — (Secum) Hem, vacat. Impigre occupemus locum. (Baiulo) Bene est. Depone. (Secum) Abiit. Maturandum est technis. Horsum agmen procurrit. Illinc sol. Noster ergo in hunc angulum collocandus est vidulus: legitimum praeceptae sedis indicium. Nunc leviores per tota sedilia sarcinulas dispertio, incerti iuris notas incertas: ut dubitent, an praeoccupata, necne, sint omnia loca. Quum tuos non eligas convectores, saltem licet ut arceas, si poteris, dubitantes. Alii imprudentes, alii verecundi praeteribunt. In marginem interea abibo, ne me interrogent; atque dum vicinam cellam custodire videar, hanc speculabor. Isti strata quum videant omnibus in sedibus impedimenta, sed non auctores, neque obnoxios, neque testes adspiciant; ne opportuna forsitan amittant, alio festinabunt. —

Secundus. — (Secum) Ecce vacua quidem cella, sed cuius notatae omnes sunt sedes. Fraude nota non decipior. Loca duorum una umbella obtinet! Totidem lacerna! Et vero simile est hunc pulvinum atque illud stragulum res unius esse. Vidulus quoque eiusdem est. Sparguntur praeterea tres ephemerides, commentarii duo: patent praestigiae. At vidulus optabilissimo in angulo est locatus. —

Primus. — (Secum) Mehercules, mea omnia conturbat homo omnium impudentissimus! Etiam meum vidulum contrectat! Non sinam! —

Secundus. — Num sedes omnes sunt praeceptae? —

Primus. — (Secum) Quid aget, si ita esse respondero? Nonne apud hanc administrationem inquiret, vacuum quae sicut natura abhorret? (Palam) Nescio. Praeceptae si sint, a me profecto non sunt. (Secum) Neque sic dixi, neque non. Id enim mea est ultima spes, ut ambiguo deludatur extraneus. Ita forsitan fatigabitur, et cum sarcinis victus malet abscedere, quam ulterius inquirens, contrascriptorem accire absentem. Quam indolem hominis fors nobis affert? Verecundumne an audacem? Dubium, timidum, mansuetum an petulantem? Quod verebar: pecudem! Huic satis est laboris. Decidunt in sedile vidulus, nocturnus saccus, cervical, stragulum et cetera supellex. Alea iacta est. Nulla res coget alienum, ut vasa colligat. Lacernam meam eius vidulus, agresti deiectu demissus, corrugat atrociter, et ingens saccus perverse mea in gracili nititur umbella. Surgendum, etsi detego fallaciam meam ... Perdidi. Nunc in rete super locum meum meas sarcinulas concinno. Perdidi.

* * *

Secundus. — (Secum) Stupeo ad huius dissimulantiam. Quippe qui primus huc non sum ingressus, ut partes agerem primo ingressi. At secundum ab optimo angulum iuvat eligere, et alterius commode spectare pudorem . . . Diductam praetendit ephemeridem, deliciis nimirum scatentem; nec vultum inde exserit... Verum tamen si tertius aut plures huc ingrediantur? . . Satius erit indutias cum hoc agitare, imo foedus atque consilium tacitum inire, quo commune spatium adversus ingruentem tutemur angustiarum stipationem. Agite actutum per subsellia sarcinae! . . Nunc ego, dum sto in ostii lumine, et exspectare, qui venirent, videor, comites, averto ipso corporis mei impedimento atque obiice accedentes. —

*) Dissertationem, quam Miguel Zamacoïs in ephemeride Figaro, die V sextilis, Lutetiae Parisiorum edidit, in hoc dialogo secutus, gratias huic viro de argumento quod sagaciter invenit atque tractavit, ob valide sublevatum laborem meum, maximas hic refero.
J. T.

Chorus viatorum in margine huc illuc cupidine sedis agitatorum. — Num quid hic vacat loci? —
Secundus. — Haec intus videte indicia. —
Chorus. — Sed si vacet hic unus aut alter locus? —
Secundus. — Illuc credo vacant. —
Chorus. — Eamus porro. —

* * *

Secundus. — (Secum) O tempus agminis provehendi quam serum est! Horae sistere videntur. Restat, ut partes quattuor fluant. Maximum nunc instat periculum. Tumultuaria commoratorum concurrit turba, quocumque ruentium, seque locantium. Qui dolus, quae astutia, vel cohortum ducendarum scientia perditam advenientium extremo tempore abhinc deterreret procellam? qui foros bolidum instar pervadunt impetu, sarcinis puerisque racemosi, anheli, delassati, vacuam quamcumque sedem supprimentes. Aspero, clamitanti concedendum est fluctui. Aestuantes irrumpunt huc coniuges. —
Uxor. — Ecce! occupemus properato hunc angulum. —
Secundus. — Locus, domina, meus est. —
Uxor. — Venia tua, domine, nesciebam. Nemo sedet in illis, ut mihi videtur. —
Maritus. — Duos etiamnunc habemus angulos. Tempus urgebat. —
Quidam. — Venite huc! Ipsae quattuor, quas desideramus, hic vacant sedes. —
Ingredientes. — Considamus. Nullus est irritus locus. —
Chorus angulo sedentium. — (Clam) O quam inimicus, aestivus est plenus in ferrea via consessus! —

Ex Epistulario Redactoris

Redactori Civ. Rom. S.

Libentissime equidem, vir doctissime, libellum tuum accepi: continuo duo exemplaria emenda curavi, quorum alterum ipse retineam, alterum discipulis proponam legendum inter cetera huiusmodi diaria. Ubi sunt ei qui mortuam esse autumant linguam Latinam! Ecce vivit: vivetque ubi monstrum illud linguae, quod Esperanto vocant, omnino in oblivionem reciderit.

Spero ad te aliquando posse me mittere aut narratiunculas aut oratiunculas aut aliquas saltem quisquilias, quae si tibi placebunt, bene erit, sin minus, in ventos spargas. Vale.

Dr. W. H. D. R . . .
C . . .

Civis Romani editori S. P.

Magnam atque singularem quandam, vir humanissime, mihi attulisti laetitiam festis gymnasii nostri diebus et verbis luculenter descriptis et imaginibus venuste illustratis, mirorque equidem miram tuam linguam latinam elegantem istam quidem facilemque atque expeditum cursum orationis. Civem, quem plurimi facio, non praetermisi discipulis nostris libellum commendare cum fructu haud minore legendum, quam delectatione, unde exemplar suae sumant rationis scribendi. Avide et curioso quodam cum studio, quae sequentur, exspecto neque tu abs te me petere aegre feres, ut ceterorum quoque, quae pergis enarrare, bina mihi condonare velis exemplaria, e quibus unum gymnasii tabulario, ubi chartae publicae asservantur, iniungere mihi est in animo. Quina praeterea exemplaria, quorum pretium cursu publico tibi reddendum persolvi, quorumque amicos faciam participes meos, rogo ut mittas mihi. Nec vero possum abstinere, quin vehementer tibi suadeam, ut Civis numerum recentissimum una cum charta ea, qua iudicia de C. R. typis impressa continentur, hisce viris aut familiaribus meis aut bene notis cures deferendum . . .

Me munere tuo obstrictum teneri gratiamque tibi habere debitam, non est quod affirmem. Vale!

Scripsi O . . . Non. Nov. 04.
Prof. Dr. R . . ., G. D.

Corrigendum:

Pg. 63: Pretium Catal. Dissert. Philol. Class. est 7.20 Mk. pro libro consuto et 8 Mk. pro compacto.

Libri libellique dono accepti:

Prof. Dr. G. Thiele, Lateinkursus für Juristen. Ein Hilfsbuch z. sprachl. Einführung in d Quell. d. Röm. Rechts. I: Institutionen. Berlin, Franz Vahlen, 1910. VI 103. 2.60 Mk.

Lacinula, Palaestra Patriotica. Carmina latina in us. juvent. humanit. studios. Germaniae imprimis. I. Leutkirch (Virtenb.), Jos. Bernklau. Pgg. 98. Pr. ?

Vorträge und Aufsätze aus der Comenius-Gesellschaft (Jena, Eugen Diederichs):

XVII. Jahrgang, 2: Dr. L. Keller, Die geistigen Strömungen der Gegenwart und das öffentliche Leben. 14 S.

XVIII, 1: K. Hesse, Nationale staatsbürgerliche Erziehung. 31 S. 0.75 Mk.

XVIII, 2: Dr. L. Keller, Die sozialpädagogischen Erfolge der Comenius-Gesellschaft 13 S.

Comenius, Orbis Sensualium Pictus. Her. v J. Kühnel, Leipzig, L. Klinkhardt, 1910. VI + 435 6 Mk.

Davidis Ruhnkenii Oratio de Doctore Umbratico. E. Reichardt.

Libri a lectoribus desiderati:

Cicero, De Officiis, her. v. O. Heine. 6. Aufl. Berlin, Weidmann.

Fidelis, Nuntius adest! Carmina latina. Ernst u. Scherz a. d. polit. Leb. d. Gegenwart. Berlin 1880.

H. Stadelmann, Zeitklänge. Gaben der deutsch. u. röm. Muse. Memmingen 1872.

J. K. W. Niemeyer, Geistliche Lieder u vermischte Poesien in latein. treuen Nachbildungen. Halle 1833.

G. Stier, Seria mixta iocis. 1884.

Berger, Lateinische Phraseologie.

Wagner, Lateinische Phraseologie.

Offerantur velim libri pretiis indicatis Bibliopolae H. Lüstenöder Francofurtensi.

Nuntii Menstrui

Mensis Aprilis

14. **Monaci** porticus, quae sit futurum volabuli Parsevalis receptaculum, dum aedificatur, cedentibus subito statuminibus corruit ruinaque sua unum ex opificibus opprimit, alios sex graviter laedit.

Hispanici popularis concilii sessiones, quae post Mauram principatu deiectum ad tempus intermissae erant, iussu regis omnino dissolvuntur, novis comitiis in mensem Maium confirmatis.

15. Rooseveltius, Americanorum ante praeses, **Vindobonam** adveniens ab imperatore Austriae ad colloquium admittitur.

Consociati operum redemptores nuntiant numerum fabrorum cessantium Germanicorum ad ducenta milia crevisse.

17. Navis aeria nomine Delitzsch appellata, dum tempestas cooritur, fulminis ictu deflagratur ac prope **Reichensachsen,** pagum in regione Casselana situm, magna ex altitudine decidit cum quattuor, qui inerant, hominum iactura.

18. **Parisios** multorum populorum legati conveniunt, ut consilium habeant de puellarum pudendorumque librorum negotiatione impugnanda.

20. **Turcae** apud gubernium Parisiense conqueruntur, quod centurio quidam Gallicus Sudanensium mercatorum commeatum detinuisset ac plus viginti camelorum magistros occidi iussisset.

21. Rooseveltius **Parisios** advenit ad praesidem Gallorum exterarumque rerum ministrum salutandos.

In villa sua **Reddingensi** quinque natus et septuaginta annos vita decedit Marcus Tuanius, scriptor Americanarum facetiarum suarum lepore per orbem notissimus.

22. Ex quibusdam **Sinensis** imperii provinciis de novis in peregrinos tumultibus affertur.

Tres Germanorum naves aeriae militares sine ullo infortunio **Colonia** Homburgum transvectae a Guilelmo Caesare inspiciuntur.

Universalis operum artificiorumque ostentus **Bruxellis** in urbe a rege et regina Belgarum magna cum sollemnitate aperitur.

25. Machina volans ex Zeppelini nomine Z. II signata, dum inter Homburgum et Coloniam descendere cogitur, vehementi procella ex ancoris erepta prope **Weilburgum** omnino deletur. Idem Anglorum machinae militari accidisse fatum eodem die nuntiatur.

26. **Björnson,** maximus Norvegorum poeta, septimum obit et septuagesimum agens annum.

Germanorum cum Suecis de mutuo commercio pactum concilii Germanici consulto prorogatur.

28. Senatus **Britannorum** legem de reditibus publicis, quae cum superiore anno esset antiquata, nova fieri comitia oportuit, omnibus tribus lectionibus accipit.

29. Hofrichter, **austriacus** ille succenturio in vincula coniectus, confessionem facit se ad summos quosdam duces pilulas venenatas misisse.

30. **Germanicarum** urbium legati auctore Kirschnero Berolinensi a concilio populari petere constituunt, ne, quod redeat ex auctis fundorum pretiis, in commune imperii aerarium referatur, sed convertatur in singularum civitatum urbanarum usum.

Mensis Maius

1. In comitiis **hispanicis** 69 liberales, 34 conservativi, 3 republicani, 3 Carlistae et 5 nullam professi factionem deliguntur.

2. Ex **Gallia** septentrionali de cruentis inter cessantes fabros et milites concursibus affertur.

5. **Isvolscius**, exteras apud Russos res curans minister, **Berolini** convenit baronem de Schoen, eodem munere in Germania fungentem.

6. Ex **Alabama** nuntii advenerunt plus quadraginta Europaeos et centum fere nigritas in quadam fodina carbonaria opus facientes inflammatis gasibus interiisse.

Londini diem supremum obit Eduardus rex, duodeseptuagesimum agens aetatis annum.

Cartago, Costaricae caput, terrae motu deletur, qua calamitate 2500 homines vita privantur.

7. Acta diurna **Pekiniensia** nuntiant Tibetanos repente seditionem facientes prope Lhassam mille Sinenses occidisse.

8. Copiae **Turcarum** Albanis ex superioribus provinciae partibus fugatis iuga montium apud Cranatjewo sita occupaverunt.

9. Georgius V. rex **Britanniae** imperatorque Indiae proclamatur.

10. Rooseveltius via ferrata **Berolinum** adveniens in statione ab exterarum rerum ministro recipitur et Potestampium se confert a Guilelmo Caesare ad prandium in Novam quae vocatur Regiam rogatus.

11. Albani apud Prescovam a **Turcis** devicti octingentos amisisse suorum feruntur.

12. In universitate **Berolinensi** Rooseveltius, postquam academico more de progrediente inter gentes cultu atque humanitate dixit, honoris causa insignibus doctoris ornatur.

Ex nautis **Germanicis** navi iaculatoria, quae signo ‚S 33' notata erat, profectis, ut minas explorarent in mari natantes, quinque displosorii fulmine emboli necantur.

Nova nuntiatur hominum operariorum strages. Apud **Whitehaven** in Britannia, ubi carbones effodiuntur, vitiato aëre rupes displodente ex centum triginta quatuor viris quatuor tantum incolumes evadunt.

13 Populares **Norvegorum** legati, ne amplius feminis suffragii in urbibus pagisque latio denegetur, omnibus fere sententiis poscunt.

15. Rooseveltius cum familia sua **Berolino** Londinium proficiscitur.

Americani Britannis proponunt, ut quam primum commerciale foedus concilient inter ipsos et Canadenses.

16. Ludimagistri Germanici **Argentoratum** conveniunt.

17. Imperator **Germaniae** Londinium proficiscitur funeris regis Britannici exsequias prosecuturus.

19. Terra crines cometae Halleyani transit sine ullis, quae astronomi exspectarant, incommodis.

20. **Londini** ossa Eduardi VII apparatissimo funere efferuntur.

21. Nautae **Massilienses** intermissum opus resumere constituunt.

Lessepius aeronautes **Caleto** machina volante profectus felici cursu fretum Galliam inter Britanniamque situm supervolat incolumisque apud Dubrim descendit.

Senatus **Borussorum** novam de suffragiis legem omnibus contra octoginta duas sententiis accipit.

22. **Brunsvigiae** magni concursus fiunt plebis nova suffragia conclamantis.

23. Rex **Graecorum** in Britannia peregrinans a ministris suis ob severam exterarum rerum conditionem rogatur, ut reditionem maturet.

25. **Turcae** a civitatibus Europae petunt, ut res Creticas sine mora ordinent atque componant.

26. **Moscoviae** Muratovius, secretorum custodum publicorum inspector, ab anarchista telo occiditur.

27. Submarina navis **Gallica,** cui nomen „Pluviose" datum erat, navi vectores portante apud Caletum offensa mergitur, quo infortunio duodeviginti nautae ab omni hominum commercio seclusi miserrime vitam amittunt.

28. In quibusdam **Russiae** provinciis Cholera morbus ortus esse fertur.

Robertus Koch, praeclarissimus bacteriologus, post brevem morbum in urbe **Baden-Baden** vita decedit

30. Rex et regina **Belgarum** Guilelmi Caesaris conveniendi causa Berolinum adveniunt.

31. In unitis **Africae** septentrionalis civitatibus primum collegium constituitur legibus ferendis praeside Botha, Burorum ante duce clarissimo.

Zeppelinus summo Borussorum insigni, quod viris de litteris artibusque meritissimis tribui solet, exornatur.

Responsorium

A. U.: Chartula illa tabellario usui accommodata, quae variis coloribus demonstrat, quibus olim in terris Latina, quibus Graeca gentes lingua locutae sint, emi potest a Dre Winterstein Casselano, qui libenter te de pretio faciet certiorem. Vale.

Z. D.: Ex solutionibus tuis tertia non respondet aenigmati; alterum igitur facito periculum. De commentario nostro itineris comite quod dicis, meminisse me iussit illud Ciceronis: ‚At haec studia ... non impediunt foris', quibus verbis nemo potest melius ac iucundius, quantum nobis valeat humanitatis doctrina, illustrare. De Morawskii opere conscripta avidissime exspecto. Valeas.

Lindach: Multas gratias pro epistula et versione! In num. III. responsorio pro tuo nomine litterae W. S. positae sunt, quas si correxeris, verbis te designari intelleges. Vale.

B. R.: Professoris Ludwig phraseologia Latina (M. 3.60) tibi ut aliis diligentissime commendo. Praestat enim ceteris et copia

rerum et quod praeter novissima verba peregrina quoque continet et proverbialia. Quo cum utor opere, cogitare soleo, quanto usui Scriptor noster lectoribus suis esse posset, si egregii illi, quos tam multos habemus, sermonis Romani existimatores eiusmodi versiones, quae vulgo additamenta lexicorum vocantur, commentariis nostris publicarentur. De te quoque fabula narratur, amicissime. Vale.

Longino: ... Scriptor si, quamvis est monitus, idem peccat, venia caret. Tune idem sentis, quod Horatius? Vale.

T. C.: Numeros desideratos ad te pervenisse existimo. Sed quando illas, de quibus scribis, tres marcas persolvisti? Fac hoc sciam. De censura libelli tui, qui inscribitur: „Scribisne Litterulas Latinas?", scito me ideo nihil de eo dixisse, quod excerptae inde litterulae cum et ipsae commendant te auctorem tum multo magis alliciunt ad emendum quam opusculi laudatio. Valeas.

A. M.: Licet blandiaris, tamquam ipse sim optimus puri sermonis existimator, tamen ego, longe aliter cum sentiam, omnes certaminis nostri versiones pluribus proponere iudicibus soleo. Hanc demum aequabilem censeo diiudicandi legem. De narrationibus latine reddendis quod suasisti, multam meretur attentionem. Vale!

R. O.: Multos ex illo virorum ordine non probare istam omnis liberioris studii invidiam ego ex multorum annorum usu atque familiaritate satis cognovi. Neque igitur putaverim quemquam lectorum, modo aliud sentientis ferre didicerit opinionem, tali dissertatione posse offendi. Hoc quidem a quovis posco antiquitatis perito. Nam si nullius esse factionis volumus, libertatem ante omnia et sentiendi, quae velis, et, quae sentias, dicendi stabilire debemus. Valete.

B. C.: Te quoque inter nostros fore scriptores olim Tassetius nuntiavit. Qui fit, ut nihil amplius de vobis conatibusque vestris audiamus? Num aberrarunt itinere res ad te datae? An quicquam sit, quo contraxerimus offensam? Quidquid est, desine tacere, ne longius isto scrupulo angamur. Vale.

S. A.: Illam ad rem enixe tibi commendari volo Dr[is] luxici libellum: „Der lustige Lateiner", qui magnum numerum continet iocorum, quibus folia ahademica exornari possint. Censuram illius leges in fasciculo I° huius anni, quem ad te misi. Vale.

Censura Librorum

Georg Hoffmann, Fort mit dem griechischen Sprachunterricht! Dresden, R. Kraut. 2. Aufl. 40 S. Pr. 0,75 M.

Auctor huius libelli, postquam aetatem nostram multis rebus notari obiter ostendit progressui et saluti civitatis obstantibus, id est: cultu rerum vanarum, ambitione, nimia sua cum damno alterius locupletandi cupiditate, superstitione, impudentia, quaerit, quomodo illa detrimenta sint sananda. Hic autem latet anguis in herba. Nam quid cogitet de ea re, hoc modo exponit: Plurima illa aetatis nostrae vitia et detrimenta ut nata sunt ex nimia veterum sermonum cultura, ita gymnasia, quae dicuntur humanistica, ipsa ne radicitus sanentur, impediunt. Nam omnes gymnasiis nostris usi, iurisconsulti, medici, theologi, paedagogi, quippe qui sint imperitissimi scientiae rerum naturalium (— imprimis agitur de scientia physico-chemica, in qua omnis vitae organicae cognitio nititur; mathematicam quam vocant »superiorem« auctor minoris aestimat —) quid postulet salus publica et singulorum probe cognoscere nequeunt; quid? quod hac ipsa rerum naturalium inscitia omni progressui multo magis auctori videntur obstare quam vulgus, ita, ut ne logicam quidem didicerint (id quod auctor a pagina 18[a] usque ad 37[am] demonstrare studet). Omnibus hisce causis Hoffmannius vehementissime flagitat, ut discipuli scholarum »superiorum« abolito sermonis Graeci studio scientia rerum naturalium magis quam adhuc instituantur; quod si factum erit, tum demum omnia huius aetatis detrimenta funditus sanatum et in omnibus civitatis nostrae rationibus plus logicae repertum iri auctor confidit. Quibus relatis quid ipse de libello sentiam? Auctorem procul dubio pauca quaedam consideratione etiam fautorum antiquitatis digna exposuisse, sed nimia cum rei tum orationis exaggeratione suae causae parum profuisse; plerumque enim, ut aiunt, »infantem cum labro effudit« neque semper — id quod in praefatione ipse pollicitu serat — res carpere satis habuit pro hominibus, veluti exemplo professoris cuiusdam linguae Graecae et accentibus Graecis ineptissime patrocinantis („den griechischen Akzent pflegen ja die Schüler durch Lufthiebe anzudeuten. Eifrige (!) Schüler begleiten den Unterricht der ganzen Stunde mit Lufthieben (!) . . . ich glaube nicht zu irren, wenn ich behaupte, dass eine Stunde Lufthiebe durch die Blutbewegung hygienisch förderlich auf die Kinder wirkt, was bei ihrer sitzenden Lebensweise nicht ohne Bedeutung ist") prorsus nihil demonstretur. R.

Sententiae

Quae vis est, quae magis arceat homines ab improbitate omni, quam si senserint nullum in delictis esse discrimen?

Cicero

Mors terribilis est iis, quorum cum vita omnia exstinguuntur, non iis, quorum laus emori non potest.

Cicero

Caritate benevolentiaque sublata omnis est e vita sublata iucunditas.

Cicero

Exempla Versionum

3. Francogallice et Latine

La bonne conversation

Le ton de la bonne conversation est coulant et naturel, il n'est ni pesant, ni frivole; il est savant sans pédanterie, gai sans tumulte, poli sans affectation, galant sans fadeur, badin sans équivoque. Ce ne sont ni des dissertations, ni des épigrammes; on y raisonne sans argumenter; on y plaisante sans jeux de mots; on y associe avec art l'esprit et la raison, les maximes et les saillies, l'ingénieuse raillerie et la morale austère. On y parle de tout pour que chacun ait quelque chose à dire; on n'approfondit point les questions de peur d'ennuyer: on les propose comme en passant, on les traite avec rapidité, la précision mène à l'élégance; chacun dit son avis, et l'appuie en peu de mots; nul n'attaque avec chaleur celui d'autrui; nul ne défend opiniâtrement le sien; on dispute pour s'éclairer, on s'arrête avant la dispute, chacun s'instruit, chacun s'amuse, tous s'en vont contents: et le sage même peut rapporter de ces entretiens des sujets dignes d'être médités en silence.

J. J. Rousseau.

De sermocinatione liberali

Bonae sermocinationis tenor fluens et naturalis est, neque ponderosus, nec frivolus; doctus sine arrogantia, sine tumultu hilaris, sine affectatione urbanus, blandus sine insulsitate, sine ambiguitate iocosus. In ea re dissertationes non sunt, neque dicteria; ratione utuntur, non ratiocinatione; verborum cavillatione vacant facetiae; at solerter sales et iudicium, instituta et subita, ioci callidi severique mores consociantur. De omni re loquuntur, ut habeat quisque, quod dicat; quaestiones non exhauriunt, fastidium ne afferant; quae tanquam obiter proponunt, tum celeriter, tum quia presse, etiam eleganter tractant. Dicit sententiam quisque suam, paucisque confirmat; alienam acriter nemo oppugnat, pertinaciter nemo defendit propriam. Disputant ut discant, cessant priusquam iurgent, et quum delectentur erudianturque singuli, laeti universi discedunt: dignaque ipse sapiens potest ex eis sermonibus referre, quae tacite reputentur.

J. Tasset.

Ad Lectores!

Ut amplior nobis pateat operae laborisque campus novosque simu acquiramus amicos ac socios, nos rebus diligentissime deliberatis constituimus, alterum commentarii nostri titulum ita mutare, ut designet **nos potissimum linguam Latinam studiaque quae vocant classica proposuisse nobis colenda.** Sit igitur Scriptor Latinus, quod **Germani** dicunt:

Zeitschrift (vel: Zeitschriftliche Beiträge) zur Pflege lateinischer Sprache und klassischer Bildung,

Britanni:

A Monthly (Paper) (vel: Monthly Contributions) for the Cultivation of the Latin Language and Classical Education,

Francogalli:

Journal (vel: Contributions Mensuelles) pour la Culture de la Langue Latine et de l'Education Classique.

Quamobrem ab omnibus nostris lectoribus petimus, ut, quod maxime sibi idoneum erit visum, ad nos scribant Latine expressum iisque, quos optime satisfecisse penso iudicaverimus, nos commentarium gratis unum per annum daturos esse pollicemur.

Ed. et Red. S. L.

Singulares grates existimavimus hoc loco agendas his viris ac feminis, qni indicatis latine scientium nominibus mirum nos in modum adiuverunt.

R. K. Hack (Williamstown) — V. Hertel (Großneundorf) — Ignotus (Maastricht) — A. Kiock (Breslau) — W. Lehmann (Breslau) — Müller (Styrum) — V. Riecke (Schöntal) — H. Weissenborn (Lampertswalde)

Speramus alios quoque publice nominandi nobis datum iri occasionem omnesque salutamus lectores

Ed. et Red. S. L.

Periodica:

Das humanistische Gymnasium. Organ des Gymnasialvereins. 21. Jhrg.: 1910, IV. S. 125—164. Heidelberg, Carl Winter.

ΑΡΜΟΝΙΑ. Καθολικὸν Ἰκονογραφημένον Περιοδικόν. Ἐτ. 7: 1910, 10 (Αὐγ.). Pgg. 145-160. Ἐν Ἀθήναις, Τυπογραφεῖον Ἑστία.

Bibliographischer Monatsbericht über neu erschienene Schul-, Universitäts- und Hochschulschriften. 21. Jhrg.: 1910, 12 (Sept.). S. 177—184. Gust. Fock, Leipzig.

Le Courrier des Bibliothèques et Bulletin Bibliographique International. H. Welter, Paris. Nonvelle Série: 1910, 4 (Iuillet). Pag. 81—112.

Aenigmata

composerunt **N. W. et G. L.**

1

Aëre sum gravior, jactatus in aëra scando,
Attamen ex aura decido mole mea.
Tolle caput: volito per campos pabula quaerens;
Ne mihi deme cibum, ne patiaris acum.

2

Quaere sagax tria verba, eadem sex literularum!
Altera mutatur, notio trina subit:
»a« cultri proprium, »o« morem dat muris edentis,
Insuper »i« vultus gaudia plena refert.

3

Me qui belligerant utuntur, ut occidat hostis,
Et lepori aut cervo qui struit insidias.
Tertia primaque si mutatur littera, cernis,
Quod caecis illos triste tulisse iuvat.

Horum aenigmatum qui duo solverit intra triginta dies, unius sortis particeps erit in urna, qui cuncta, duarum. Duo sortiti accipient libellum:

E. F. Haupt, Carmina X Goethii latine reddita. Lipsiae MDCCCLI.

Sententiarum Num. IIº Propositarum

ex quinque versionibus hae, quae sequuntur, duae et tantum praestabant ceteris et tam peculiaribus utraque insigniuntur virtutibus — differunt enim, ut videre licet, non qualitate, sed ratione vertendi —, ut iudices dubitantes, utri praemium tribuerent, ad sortem revocare certamen statuerunt, ita tamen, ut, quae non exiisset versio, commentario nostro honoris causa publicaretur. Facta igitur sortitione praemium tulit

Dr. E. Bruhn, Francofurti a. M.,

honorificam, ut aiunt hodie, commemorationem

Prof. Dr. Draheim Friedenauensis,

qui textum Germanicum his reddiderunt verbis:

Quae Callicles exponit, in iis primum inest aliquid, quod ad animorum naturam melius cognoscendam pertineat, illud dico, quo recte honesteque vivendi ratio unde orta sit explicat. Fungitur enim illa ratio quasi armorum vice, quibus tenues ad compensandam infirmitatem utuntur. Itaque reducimur ad naturam pugnamque vitae nostrique sustentandi causa susceptam. Spectant tenues non sine invidia fortes suam rem augentes, qua re se ut amplificent, fortes impediunt in expromendis indolis viribus, leges ad recte vivendum pertinentes instituunt. Idem autem novandum esse omnium rerum quasi modulum docet. Etenim non modo non teneri fortes illis legibus, sed gravissimum facere damnum, cum deleatur innata animi generositas, dometur bestia, cuius instar talis sit homo. Quo concesso veri heroes, qui suapte natura confisi contempta aequitate vi grassantur velut Xerxes, imitandi atque aemulandi nobis proponuntur. Ad hoc apte convenit, quod Calliclis ratione fortitudo prae ignavia inprimis magni habetur; ad voluptatem autem, quae oritur explendis omnibus cupiditatibus a ratione alienis, postrema accedit admiratio eorum, qui cogitandi acumine ceteris praestant, qua duci nos Callicli consentaneum videtur. B.

In Calliclis oratione primum inest ratio quaedam ab animi natura petita, nimirum honestatis deductio. Honestate enim quasi praesidio infirmi utuntur ad exaequandam debilitatem. Honestas igitur ipsa quoque ad φύσιν referenda est, quae nihil aliud est nisi vitae contentio et defensio sui. Infirmi enim cum non sine invidia firmiores πλεονεκτοῦντας videant, ut et se ipsos elevent et firmiores suas vires promere prohibeant, νόμον qui dicitur, invenerunt. Deinde inest in illa oratione etiam commutatio quaedam aestimandi, ut νόμῳ non modo non teneri videantur firmiores sed potius maximo damno affici, quippe quo innata homini nobilitas extinguatur ferocitasque dometur. Sic homines vere divini ac violenti, qui φύσει sua confidunt et illud ἴσον contemnunt, ut Xerxes, imagines fiunt ad imitandum propositae. Cui rei apte illud adiungitur, quod in Calliclis ratiocinatione virtus ignaviae anteponitur; denique cum delectatione explendae voluntatis, quae ratione caret, coniungitur ingenii ac rationis admiratio, quam Callicles quasi necessariam et consentaneam proponit. D.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis

SCRIPTOR LATINUS

prodit circa idus cuiusque mensis mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M.

Scriptorum merces est 36 M pro 16 paginis: iidem solvunt pro subscriptione sua minutum bibliopolarum pretium, i. e. 3.00 M annue, et accipiunt eius numeri, in quo inest commentatio, 5 exempla.

Epistulae, manuscripta aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur:

Ad Voldemarum Lommatzsch,
Bremiportu (Bremerhaven),

pecuniae vero, libri et libelli, de quibus censurae fiant, epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,

Bibliopolam Hans Lüstenöder,
Francofurti a. M.,
Eschersheimer Landstraße 112.

Nomina et domicilia
eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Glendale — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Krakow — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn. Stuttgart — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Krakow — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — J. Tasset, Tonnerre — C. Thieme, Parochus, Calbeck — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Typographus: Carolus Wiechert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

(NOVA ›CIVIS ROMANI‹ SERIES)

Menstruus Ad Linguam Latinam Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII Mens. Oct. et Nov. **Numerus VI**

— **Procurant negotia** —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C, 57—59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: Belinfante Frères, den Haag,
in Russia: W. Bock, St. Petersburg

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguam Latinam
Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII Francofurti a. M., Mense Octobri MCMX Num. VI

De Societate Kepleriana

scripsit
Hermannus Geist
Darmstadtiensis.

Keplerianae, quae dicitur, societatis, quam non omnibus huiusce commentarii lectoribus cognitam eandemque omnium notitia dignissimam equidem iudicem, quae sit origo, quod propositum, quibus id modis assequi conetur, quibuscum adversariis conflixerit, nunc breviter exponere studebo.

Ac primum naturae investigationem et scientiam mirum in modum his temporibus et auctam esse et in dies singulos augeri, cum inter omnes satis constet, docere et disserere non necessarium videtur. Sed ea ipsa physicorum cognitio accuratior, ut iis, qui nunc sunt, usui est magno et rerum egregiarum effectrix maxime laudanda, ita non paucos inventorum admiratione captos et superbia quadam altius elatos ad tantam sui fiduciam adduxit, ut disciplinae suae fines transeuntes et humanae rationis terminos obliti sagacitate sua se omnia, quae ubique essent, perscrutari et perspicere et, quae illam effugerent, ea ne esse quidem sibi persuaderent. Quo modo sola intuentes corpora et esse animos, quos sensibus percipere non possent, audacissime negabant et Deum ipsum, cuius vim numenque non sentirent, de medio, ut ita dicam, tollere non verebantur et rerum omnium originem, naturam, principia ceteraque, quae quidem sunt occultissima, aperuisse sibi videbantur atque illustrasse. In eo est numero Ernestus Haeckel, qui vir doctissimus, ut in suo genere ζωολογίας, i. e. animalium descriptionis, familiam certe ducit, sic in aliis minus versatus non solum omnium naturalium quaestionum, sed etiam philosophiae, doctrinae minime sibi notae, se peritissimum et esse putat et haberi vult, et monistam se profitens, i. e. unius principii cultorem et praeconem, cum multos iam de iis rebus libros tum illum, qui inscribitur „Welträtsel", emittere non dubitarit cum magno stultae credulaeque multitudinis assensu, intellegentium hominum risu et reprehensione.

Quae cum ita essent, cum illos confidentes naturae investigatores veritati moderationique repugnare et dignitati disciplinae suae ipsos obsistere et adversari crederent, alii viri docti, qui quaestionum naturalium item studiosi peritique erant, sed consideratiores atque aequiores, ad illam temeritatem infelicem coercendam reprimendamque societatem inierunt Keplerianam, ad quam se multi brevi aggregarunt tempore. Kepleri autem ei nomen propterea dederunt, quod caeli siderumque spectatorem illum eundem constat et moderatum et religiosum piumque hominem fuisse. Eius vestigia sequentes, qui ab eo nomen duxerunt, naturalium rerum scientiam accuratiorem a Dei opinione cultuque nullo modo abhorrere atque ne pertinere quidem ad eam, quam sibi quisque divinarum humanarumque

rerum animo fingeret, imaginem et ipsi pro certo habebant atque habent et aliis persuadere conabantur et conantur.

Hoc autem illorum est consilium, ut quam plurimos rerum naturam diligentius contemplari et cognoscere et usque ad eos fines, quos attingere hominum liceat acumini, fortiter progredi quocunque modo doceant. Qua recta rerum scientia instructos et de rationis humanae terminis edoctos non in aliena regna ferocius quam prudentius irrupturos esse sperant et confidunt. Nec dubium est sociis Keplerianis, quin ita et naturae cognitionem utilissimam longius latiusque diffusuri et insolentiam perniciosam et doctis hominibus indignam sedaturi sint.

Quoniam de huius societatis origine propositoque diximus, nunc, quibus ea rebus propositum assequi posse sibi videatur, quaerendum atque explicandum erit. Earum quattuor potissimum videntur commemoranda esse genera: et libelli commentariolaque, quibus lectis ad studium naturae diligentius rectiusque cognoscendae hominum animi alliciantur atque adducantur; et orationes scholaeque variis locis habitae habendaeque, quae, cum eodem spectent, tamen vivae, ut aiunt, vocis blandimentis haud scio an plus delectationis habeant et utilitatis; et praemia diligentiae et acuminis eorum, qui naturae investigandae non frustra dederunt operam; et opes subsidiaque varia, quibus haec studia adiuvantur et aluntur, bibliothecas dico satis amplas, thesauros rebus naturalibus repletos omnemque, quibus illa carere sane non possunt, apparatum.

Ac primi quae sunt illius generis, ea vel separatim conscribuntur et eduntur, ut aut in tabernis proponantur veneantque aut gratiis mittantur sociis maius stipendium annuum solventibus vel commentariis diurnis menstruisve adduntur atque inseruntur, qua re maioris numeri legentium utilitati commodisque serviant. Et emittuntur singulis mensibus acta societatis, quae inscribuntur „Unsere Welt“. Eorum autem librorum et disputationum pars ad adversariorum opiniones argumentaque infirmanda et refellenda pertinet, in sola naturae contemplatione et rerum naturalium explicatione pars versatur atque collocata est. Contiones vero scholaeque, quod genus erat alterum, multorum iam multis in oppidis aures mentesque ad se converterunt et multum profuerunt et Keplerianae societati et iis ipsis, qui benigne attenteque audiebant. Accedunt ad eas orationes singulas et segregatas series scholarum, quae in regione Bonnensi — Godesberga vico nomen est — quotannis de variis quaestionibus habentur, atque conventus exercitationesque hominum naturalium rerum studiosorum, qui constitutis diebus multi eo se conferre solent. Nam ibi societas, quae Francofurti ad Moeni ripas nata est, castris paulo post motis sedem suam collocavit ibique habitant, qui ei praesunt magistri sive, ut vocabulo ad hodiernum dicendi modum accommodatiore utar, directores, Eberhardus Dennert, vir doctissimus et rerum naturalium peritissimus, et Vilhelmus Teudt, negotiorum administrator prudentissimus.

De tertio autem quartoque auxiliorum, quibus societas nititur confiditque, generibus non habeo, quod dicam. Nam illa praemia saepius iam proposita dataque aut multam lautamque rerum naturalium supellectilem coacervatam esse adhuc non audivi. Quae omnia, etiamsi desiderari magnam partem hodie videntur, brevi certe parabuntur atque conficientur, cum maiores suppeditabunt facultates. Nam qui, quantum brevi paucorum annorum spatio Kepleriani iam profecerint, meminerit atque considerabit, is dubitare nullo modo poterit, quin laeta haec primordia incrementum laetius secuturum sit.

Restat, ut pauca de illorum adversariis pugnisque adiciantur, quae sane multae magnaeque erant. Nam ex quo tempore societatem Keplerianam constitutam esse et incohasse opus propositum nuntiatum erat, nunquam defuerunt, atque in dies plures exstiterunt, qui eam insectarentur et contumeliose carperent, falsum illud

et saepe refutatum etiam atque etiam dictitantes, religionis vinculis ita constrictam eam esse, ut veritati litterisque integre dare operam non posset. Quos aut errore falli aut invidia odioque duci satis videtur elucere ex iis, quae supra disputata sunt. Sed ea plus quam semel exprobrata etiam magis in illam conferebantur atque conferuntur, postquam inter Arnoldum Brass, qui eius est curator, et Haeckelium, monistarum principem et signiferum, bellum exarsit grave et acerbum. Nam ille, cum ἐμβρύων formas quasdam in huius libris falso et descriptas et nominatas esse dicere non dubitasset dictumque exemplis luculentis probavisset, non argumentis, quibus adversarii carerent, sed, id quod facilius esse videbatur, conviciis et contumeliis oppugnatus est et ipse iis iniuriis acrius acerbiusque quam lenius molliusque respondere maluit. Qua in concertatione Haeckeliani non solum in Brassium, sed etiam in societatem Keplerianam gravissime invecti sunt. Etenim quamquam constabat illum suopte Marte rem gessisse, non eius iussu aut admonitu, tamen in culpa esse putabantur Kepleriani, cum praesertim Haeckelio repugnare et reclamare ausi essent, qui in mutandis formis consuetudinem virorum doctorum σχηματίζειν non dubitantium servasse se dicere non vereretur. Sed eam controversiam totam explicare et accuratius persequi longum videtur esse et inutile. Itaque hoc unum commemorabo, illam non obfuisse, sed profuisse societati Keplerianae, cui adiungi et ascribi sese multi proximis annis voluerunt.

Habetis, horum commentariorum lectores humanissimi, quae mihi de Kepleriana societate dicenda esse videbantur. Quam si quis vestrum dignam iudicabit, cuius in tabulas ipse quoque referatur, nomen is sine mora profitens stipendium annuum maius quinque vel minus trium marcarum Godesbergam mittat, in illud societatis quasi praetorium et aerarium (Geschäftsstelle des Keplerbundes Godesberg-Bonn). Id faciens causam sequetur optimam.

De Epistula Horatii Ad Pisones quae vulgo De Arte Poëtica Liber inscribitur.

— Prof. Dr. Carolus Pekár —

(Absolvitur)

Nam est difficile artem adipisci convenientem, quae perspectum habeat medium vitiorum i. e. virtutem:

In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.

v. 31.

Sed quamvis scite exprimantur partes, nihil tamen valent, si summa operis non videtur perfecta. Totum componere posse poetae officium est.

Quam ad rem multum refert, materiam sumere viribus parem, in qua sitae sunt et bona elocutio et perspicuitas dispositionis, quod optime exponitur notis his verbis:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant umeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.

v. 38. et sequ.

Lucidi autem ordinis »virtus et venus« est, ut poëta apta semper et quovis loco idonea dicat,

Pleraque differat et praesens in tempus omittat.

v. 44.

Quod ad elocutionem attinet, cautus esse poëta debet etiam in verbis conserendis. Nam saepe nova eorum iunctura ipsum verbum reddit novum et mire auribus blanditur.

Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura novum.

v. 47. et sequ.

Si tamen necesse erit, dabitur etiam licentia nova verba fingendi, modo modeste sumpta. Secundum Horatium praeferantur verba e Graeco derivata. Ea poëta potest transferre »parce detorta.« Ipse enim ille sic faciebat, ut dicit:

Licuit semperque licebit
Signatum praesente nota procudere nummum.

v. 58. et sequ.

Nam verba quoque mutantur temporibus mutatis. Habent sua fata et florent vigentque »iuvenum ritu« et venere senescente viribusque deficientibus cadunt.

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et iuvenum ritu florent modo nata vigentque.
Debemur morti nos nostraque.

v. 60. et sequ.

Ideo non voluntate, non lege, non νόμῳ, sed natura, φύσει mutantur verba temporibus, ut silvae mutantur in »pronos annos«. Omne humanum mutatur et denique mortis erit. Illud debemur morti nos nostraque comparari potest cum sententia Graeca θανάτῳ πάντες ὀφειλόμεθα. Quae cogitata porro tractantur versibus his:

Mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos et gratia vivax.
Multa renascentur, quae iam cecidere, cadentque,
Quae nunc sunt in honore, vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitriumst et ius et norma loquendi.

v. 68. et sequ.

Usus est ideo dominus vitae verborum, summus ille sermonis arbiter atque iudex.

Nunc a singulis vocabulis transiens ad orationem ipsam, Horatius pro genere materiae versus docet esse variandos. Suum enim quisque habet modum ac numerum.

Res gestae regumque ducumque et tristia bella
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.

v. 73. et sequ.

Versus igitur, quo res gestae regum et ducum traduntur, hexameter dactylicus est. Versus inpariter iuncti, hexameter cum pentametro dactylico querimonias, elegos exprimere solent, unde distichon tale Graece ἐλεγεῖον vocatur. Quae quis emiserit primus,

Grammatici certant et adhuc sub iudice lis est.

v. 78.

Aliter rursus sonant iambi, aliter ceteri numeri lyrici.

In describendo poëta colores, ut ait Horatius, servare debet, i. e. rem comicam voce iocosa, iucunda, socco digna exponere, tragicam voce tristi, cothurno digna, gravia graviter, levia leviter, nec ampullis et sesquipedalibus verbis.

Versibus exponi tragicis res comica non vult.

v. 89.

Omnino voce rei congruente utatur poëta, ut

Singula quaeque locum teneant sortita decentem.

v. 92.

Sed non solum pulchrum sit poëma, sit quoque aptum ad animos commovendos, cuius rei certissimam habeas rationem, si ipse, dum scribis, animo movearis, ut haec sententia dicit notissima:

Non satis est pulchra esse poëmata; dulcia sunto
Et quocumque volent animum auditoris agunto.
Ut ridentibus adrident, ita flentibus adflent
Humani voltus. Si vis me flere, dolendumst
Primum ipsi tibi.

v. 99. et sequ.

Si non decenter poëta proferet res suas, poëma non erit dulce, non poterit auditores commovere.

Male si mandata loqueris,
Aut dormitabo aut ridebo.

v. 104. et sequ.

His variis animi motibus lingua quam accuratissime accommodetur: maestitiam verba tristia decent, iram minacia, immo etiam diversi hominum ordines, aetates, genera verba habeant ipsis convenientia.

Intererit multum, divusne loquatur an heros.

v. 114.

In depingendis personis aut famam sequatur poëta et pingat Achillem iracundum, inexorabilem, aut — si ipse formet novam personam — eius sibi mores constare faciat usque ad finem.

Aut famam sequere aut sibi convenientia finge...
Si quid inexpertum scaenae committis et audes
Personam formare novam, servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.

v. 119. 125. et sequ.

Difficile est sane res vitae quotidianae proprio unicuique personae modo reddere, quare, si experiri te velis in aperienda indole humana, exempli gratia Iliada praestat in tragoediam producere, quam a te ipso proferre ficta.

Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
»Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.«

v. 136. et sequ.

Nam:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

v. 139.

Homerum sequatur poëta, qui

Semper ad eventum festinat et in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit...

v. 148. et sequ.

et reliquit, quaecumque tractata »nitescere« nequeunt.

Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

v. 151. et sequ.

In prima igitur, quae hic exit, parte de compositione operis, de unitate eius, de lingua, de verborum vita usuque, de numeris, de voce conveniente, de personis, de materia eligenda, de elocutione tractatur.

In parte secunda tota de fabula disseritur. In qua plurimum interest, proprias cuique voces reddere et verisimiles personas pingere.

Aetatis cuiusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus et annis.

v. 156. et sequ.

Aliam vocem habet puer, qui iam certo gradu incedit, iram colligit et ponit; aliam inberbus iuvenis, qui remoto custode

Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,

v. 162.

qui cerae similis — in vitium flecti potest, nec providens, immo prodigus et instabilis est; aliamque aetas virilis, quae

Quaerit opes et amicitias, inservit honori,
Conmisisse cavet, quod mox mutare laboret;

v. 167. et sequ.

aliamque vocem habet senex, quia

Multa senem circum veniunt incommoda,

v. 169.

quorum causam in se ipso habet:

quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners pavidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, castigator, censorque minorum.

v. 171. et sequ.

Tam egregie describit Horatius variantia quatuor aetatum humanarum studia. Tempus enim non manet, fugiunt anni et

Multa ferunt . . . venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt.

v. 175. et sequ.

Cavendum ergo est, ne forte seniles partes mandentur iuveni aut viriles puero.

Res in scaenis aut agitur, aut acta refertur. Si res oculis subiecta agitur, plus irritat animos quam relata per aures, tamen sunt quae tolli debeant ex oculis et reserventur facundiae, velut trucidationes, quas spectator incredulus odit.

Quam longa esse debeat fabula, Horatius expresse dicit his verbis:

Neve minor neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci volt et spectata reponi.
v. 189. et sequ.

Deus ne inducatur, si non alio modo nodus solvi nequit, nec loquantur plures quam tres personae in eadem scaena. Chorus sustineat officium actoris, nec vero quidquam proferat quod alienum sit, adsit bonis, det consilia, coërceat iracundos, pacet superbos, laudet frugalitatem, iustitiam, leges, otia pacis, peccata tegat deosque oret, ut attollant miseros, reprimant superbos. Iungitur vocibus apte ac decenter tibiae sonus, non maioris illius tubaeque similis, sed simplicis, antiquae.

In carmine tragico vitandi sunt versus leves. In satyro medium illi teneant inter tragoediam et comoediam, inter gravia et levia.

Deinde de metris agitur, tamquam re diligentissime observanda:

Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus,
Pes citus . . .
v. 251. et sequ.

Docet Horatius iambos etiam spondeis mutari posse commendandosque dicit ob egregiam numerorum curam poetas Graecos:

Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.
v. 268. et sequ.

Plautinos numeros et sales Horatius improbandos censet. Graeci dicuntur invenisse et tragicae genus fabulae et veterem comoediam; vestigia Graeca sequebantur poëtae Romani,

Nec minimum meruere decus vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas vel qui docuere togatas.
v. 286. et sequ.

Tamen cum expolitionis studium deesset Latinis, hi in arte poetica a Graecis victi sunt. Nam utique opus est »limae labor et mora«.

In tertia parte epistulae »munus et officium poëtae« tractatur, quae pars initium capit ab hac poetarum in Democriti verba iurantium illusione:

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit et excludit sanos Helicone poëtas
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
v. 295. et sequ.

Quod longe aliter sentit Horatius: vice, ut ipse dicit, cotis fungitur, quae, quamquam ipsa non secans, tamen acuere ferrum potest. Sic intelligi debent hi versus:

Munus et officium, nil scribens ipse, docebo.
v. 306.

Ac primum quidem recte sapere opus est poëtam:

Scribendi recte saperest et principium et fons.
v. 309.

Hoc sane Democriti opinioni contrarium est, qui insaniam tamquam proprium quiddam ingenii poëtici putat, ut apud Graecos μανία non solum insaniam, sed etiam facultatem vaticinandi significabat, veluti verbum ipsum vates »oracula canentem«, »praesagientem« simul ac »poëtam« denotat itemque vaticinari »oracula canere«, »praesagire«, »carmina recitare«. Etiam Aristoteles dicit μανίαν non raro facultati carminum componendorum conjunctam esse.[1]) At vero Horatius non insaniam ac furorem putat facere poëtam, sed sapientiam. Ac profecto ipse poëta erat arte et recte sapiendo egregius, sed non poëta, qui tamquam vates nascitur, divino instinctu inflammatus. Ex quo, quae Horatius dicit de summa artis poeticae, facile intelligimus. Sanum esse, id principium est et fons omnis scriptionis

Verbaque provisam rem non invita sequentur.
v. 311.

[1]) De pronost. I. — Problemata, Sect. XXX.

Observare debet poëta vitam moresque humanos, tunc optime sciet reddere personis partes convenientes, vitam imitari, ex eadem »vivas voces« ducere. Sit insuper fabula »speciosa locis«, quae populum magis oblectent, quam versus, qui nihil aliud sunt quam soni rerum expertes.

Itaque Graecis Musa dedit ingenium vere poëticum, Romanos impedit lucri cupiditas, nimium utilitatis studium.

Animos aerugo et cura peculi
Cum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro et levi servanda cupresso?

v. 330. et sequ.

Poëtam et prodesse et simul delectare debere legentes alterum Horatii praeceptum est.

Quidquid praecipies, esto brevis.

v. 335.

Ut oblectent scripta, verisimilia sunto. Credi debet posse fabula:

Ficta voluptatis causa sint proxima veris.

v. 338.

Optimum est carmen, quod miscet ambo, praecepta et voluptates. Sic intelligenda est sententia persaepe prolata:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo.

v. 343. et sequ.

Parvis maculis ignoscendum in carmine, dummodo ne nimis sint frequentia, nam

Quandoque bonus dormitat Homerus.

v. 359.

Carmina haud minus varia sunt quam picturae:

Ut pictura, poësis: erit quae, si propius stes,
Te capiat magis, et quae, iam si longius abstes.

v. 361. et sequ.

Deinde Pisonis filius maior monetur, ne mediocritatem teneat in carminibus componendis. Nam quamquam illa quibusdam in rebus tolerari potest,

mediocribus esse poëtis
Non homines, non di, non concessere columnae.

v. 372. et sequ.

Poëma natum veluti excogitatum est ad animos cum utilitate delectandos, quare,

si paulum summo decessit, vergit ad imum.

v. 378.

Carmina componere qui nescit, abstineat carminibus: neque divitiis neque honoribus Musae sunt venales.

Tu nihil invita dices faciesve Minerva.

v. 385.

Et si quid tamen se Musa favente scripsisse putaverit, saepius retractet et emendet nec iudices audire sinceros negligat,

nonumque prematur in annum
Membranis intus positis; delere licebit,
Quod non edideris; nescit vox missa reverti.

v. 388. et sequ.

Commemorans Orpheum et Amphionem Horatius exponit, unde »honor et nomen divinis vatibus atque carminibus« ortum sit, quomodo, »insignis Homerus Tyrtaeusque mares animos in Martia bella« versibus inflammaverint, quomodo animorum per comoedias et tragoedias reperta sit oblectatio requiesque post longos labores. Deinde de vetere controversia loquitur:

Natura fieret laudabile carmen an arte,
Quaesitumst: ego nec studium sine divite vena
Nec rude quid possit video ingenium.

v. 408. et sequ.

Et vena Pieria et studium necessaria sunt.

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
Abstinuit venere et vino.

v. 412. et sequ

Etiam poëta seriis se debet dedere studiis. Caveamus blandos adsentatores, qui omnia laudant.

Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic
Derisor vero plus laudatore movetur.

v. 431. et sequ.

Audias virum bonum et prudentem, qui tibi Aristarchus fiat neque dicat: »Cur ego amicum offendam in nugis?« Nam quae nugae videntur esse vitia, si non emendantur, in seriam te calamitatem ducent, ut semel derisus et male exceptus ab adulatore falso credas te esse bonum poëtam. Non deridetur autem homo modestus multaque sibi addiscendum esse confitens, sed vesanus, arrogans, inani superbia inflatus.

Libri commentariique ad rem tractatam pertinentes

1. *Arnold:* Das Leben des Horatius. Halle, 1860.
2. *Aristotelis* De Arte Poëtica liber. Recensuit Guilelmus Christ. Lipsiae, Teubner, 1882.
3. *Bartal* Antal és Malmosi Károly: Q. Horatii Flacci Opera. Vol. II. Satirae et Epistulae. Bevezetésekkel s magyarázatokkal. Második kiadás. Átdolgozta Dr. Csengeri János. Budapest, Eggenberger, 1893.
4. *Beöthy Zsolt:* Berzsenyi és Horatius. Vasárnapi Ujság. 1890 május. Horatius és Kazinczy. A. M. Tud. Akadémia kiadása.
5. *Bernhardy:* Grundriss der römischen Litteraturgeschichte, pp. 494-577.
6. *Czuczor Gergely:* A költészetről. Levél a Pisókhoz. Irta Quintus Horatius Flaccus. Olcsó Könyvtár, Budapest, Franklin, 1877.
7. *Édes Albert:* Horatius Ars poetikája. Ford. Budapest, 1876.
8. *Elischer:* Quintus Horatius Flaccus Satirái és Epistolái. Budapest, 1879.
9. *Fábián, Gábor:* Horatius Ars poetikája. Ford. Arad, 1876.
10. *Gulyás István:* A Pisói Levél magyar fordításairól. Budapest, Poldini Ede és társánál, 1892.
11. *Kazinczy Ferenc:* Horatius levelei. Pest, 1833.
12. *Kießling, Adolf:* Q. Horatius Flaccus erklärt. 2. Aufl. besorgt von Richard Heinze. III. Briefe. Berlin, Weidmannsche Buchhandlung, 1898.
13. *Kiss, János:* Az Ars Poëtika fordítása. Wieland magyarázataival.
14. *Krüger:* Satiren und Briefe des Horaz. Leipzig, 1879.
15. *Munk:* Satiren und Episteln des Quintus Horatius Flaccus. Berlin, 1867.
16. *Mészáros* Antal: Mikor kezdte irni és mily sorrendben írta Horatius leveleit. Nagy-Károlyi kath. gymn. ért. 1882. Különlenyomat „Horatius epistoláinak idő-és sorrendje."
17. *Müller, Lucian:* Q. Horatius Flaccus. Eine litterarhistorische Biographie. Leipzig, 1880.
18. *Nettleship:* The Roman Satura. Oxford, 1878.
19. *Popini, Albert:* Horatius. Horatius, Maecenas és Augustus arcképével. Tiburnak és Horatius villájáaak térképével. Budapest, Kilián, 1895.
20. *Porphyrio, Pomponius:* Commentarii in Q. Horatium Flaccum. Recensuit Gulielmus Meyer. Lipsiae, Teubner, MDCCCLXXIV.
21. *Simon Péter:* Horatius Ars poëticája. Franklin-társulat.
22. *Schanz, Martin:* Geschichte der römischen Litteratur bis zum Gesetzgebungswerk des Kaisers Justinian. Im Handbuch der klassischen Altertums-Wissenschaft von Dr. Iwan von Müller. VIII. I. II. München, C. H. Beck-sche Verlagsbuchhandlung, 1899.
23. *C. Suetonii Tranquilli:* De vita Caesarum et De grammaticis et rhetoribus. Recensuit Carolus Ludovicus Roth. Lipsiae, Teubner, MCMIV.
24. *Szász Károly:* Horatius. Irói élet és jellemrajz. Budapesti Szemle, 1862. 13. 14. Olcsó Könyvtár.
25. *J. Cornelius Tacitus:* Annales ab excessu divi Augusti.
26. *Teuffel:* Geschichte der römischen Litteratur, p. 494—577.
27. *Virág Benedek:* Horatius Poétikája. Pest, 1801.
28. *Zichy Antal:* Q. Horatius Flaccus Satirái. Ert. a nyelv. és szépt. kör. Kiadja a m. Akadémia II. 1869—72.

Singulares grates existimavimus hoc loco agendas his viris ac feminis, qni indicatis latine scientium nominibus mirum nos in modum adiuverunt.

Daeberitz (Oelsnitz, Vgtl.) — E. Kenny (St. Paul, Minn., U. S. A.) — A. Richter (Riga)

Speramus alios quoque publice nominandi nobis datum iri occasionem omnesque salutamus lectores

Ed. et Red. S. L.

Scholae Heilbronnensis Carolinae

quondam discipulorum conventum
salutat
Magister Emeritus.

Omnes qui quondam Carolini scamna premebant
Salvos esse jubet Roscius emeritus,
Cui fuit in fatis ut triginta amplius annis
Hic mentes puerorum artibus imbueret
Ingenuis quas, ut monuit didicisse poeta,
Emollit mores nec sinit esse feros.
Iam redit ille dies post tot discrimina rerum
Qui vos admoneat: nunc meminisse juvat!
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
Nec schola semper ei mater amata fuit.
Cui tamen interdum subeat non dulcis imago,
Ardor cum juvenis nil nisi summa petit?
Quam juvat alternis dextris foedus renovare
Quod juvenes olim junxit amicitia!
Ergo age, mente pia venerari pergite matrem
Classica quae juveni scripta legenda dedit,
Quodque novis inscriptum nostris aedibus exstat,
Hic quoque divinum, credite, numen adest!

Willkommen heisst euch alle, die wieder eingerückt,
Die ihr in dem Gymnasium die Schulbank einst gedrückt,
Der ausgediente Alte, der an die dreissig Jahr
An dieser selben Anstalt der Jugend Lehrer war
Und in den alten Sprachen sie fleissig unterwies,
Die er als feinstes Mittel zur Geistesbildung pries.

Jetzt ist der Tag gekommen, von dem der Dichter spricht —
Er heisst Vergilius Maro, wer kennt den Namen nicht? —
Es lebe die Erinnerung! Wer denkt nicht gern daran,
Was er auf dem Pennale gelitten und getan?
Wem schlägt das Herz nicht wärmer, wenn ihm das holde Bild
Von seiner Jugend Tagen der Seele Spiegel füllt?
Er sieht die Freunde wieder, mit denen Hand in Hand
Er schwärmte und sich träumte in goldener Zukunft Land.

Und zeigt ihr jetzt in Würden, was ihr geworden seid,
So denket ihr auch rückwärts der Vorbereitungszeit
Und bringet eure Grüsse der Stätte, wo euch hell
Und reichlich ist geflossen der klassischen Bildung Quell,
Und wie es in der Halle dort in der Inschrift heisst,
Bezeugt ihr in den Herzen: Auch hier weht Gottes Geist.

Adam a Sancto Victore:

In Ascensionem Mariae

(A. Baumgartner, Die lateinische und griechische Literatur der christlichen Völker. Freiburg i. Brsg., Herder, 1905.)

Ave virgo singularis,
Mater nostri salutaris,
Quae vocaris stella maris,
  Stella non erratica;
Nos in huius vitae mari
Non permitte naufragari,
Sed pro nobis salutari
  Tuo semper supplica.

Saevit mare, fremunt venti,
Fluctus surgunt turbulenti,
Navis currit, sed currenti
  Tot occurrunt obvia;
Hic sirenes voluptatis,
Draco, canes, cum piratis
Mortem paene desperatis
  Haec intentant omnia.

Post abyssos nunc ad caelum
Furens unda fert phaselum,
Nutat malus, fluit velum,
  Nautae cessat opera;
Contabescit in his malis
Homo noster animalis,
Tu nos, mater spiritalis,
  Pereuntes libera.

Tu, perfusa caeli rore,
Castitatis salvo flore,
Novum florem novo more
  Protulisti saeculo;
Verbum Patri coaequale
Corpus intrans virginale
Fit pro nobis corporale
  Sub ventris umbraculo.

Te praevidit et elegit,
Qui prudenter cuncta regit,
Nec pudoris claustra fregit,
  Sacra replens viscera,
Nec pressuram nec dolorem
Contra primae matris morem
Pariendo Salvatorem
  Sensisti, puerpera.

O Maria, pro tuorum
Dignitate meritorum
Supra choros angelorum
  Sublimaris unice:
Felix dies hodierna,
Qua conscendis ad superna!
Pietate tu materna
  Nos in imo respice.

Radix sancta, radix viva,
Flos et vitis et oliva,
Quam nulla vis insitiva
  Iuvit, ut fructificet,
Lampas soli, splendor poli,
Quae splendore praees soli,
Nos assigna tuae proli,
  Ne districte iudicet.

In conspectu summi regis
Sis pusilli memor gregis,
Qui transgressor datae legis
  Praesumit de venia:
Iudex mitis et benignus,
Iudex iugi laude dignus,
Reis spei dedit pignus,
  Crucis factus hostia.

Iesu, sacri ventris fructus,
Nobis inter mundi fluctus
Sis via, dux et conductus
  Liber ad caelestia.
Tene clavum, rege navem;
Tu, procellam sedans gravem;
Portum nobis da suavem
  Pro tua clementia.

Prima quaeque ad nos data epistula

praeter mittentis urbisque, unde scribit, nomen viae quoque significationem contineat velimus, quibus indiciis si caremus, aut nullum possumus aut tardum dare responsum.

Ed. et Red. S. L.

Ex Magistri Ludolfi Hildensis Summa Dictaminum *)

(L. Rockinger, Briefsteller und formelbücher d. elften bis vierzehnt. jahrhund. Quell. z. bayer. u. deutsch. geschichte: IX, 1. München, 1863.)

Filius patri

Dilecto patri suo C militi in tali loco H scolaris parysiensis licet minimus cum filiali dilectione debitam reuerenciam.

Cum propter locorum distanciam absentis filii memoria de pio patris pectore non tollatur, set per maturam procuracionis prouidenciam absenti tamquam presenti cottidie manum porrigat, hoc est uere dilectionis sicut wlgariter asseritur argumentum — super quo regracior quantum possum et sufficio paternitati vestre — quod mihi actenus commoranti in studio conpetenter prouidistis. set tamen non dubito quin solercia vestra melius et conpetencius me respiceret, si littere quas vobis de statu meo scripseram ad uos pervenissent, uel fuissent uobis expressius recitate.

Nouerit igitur prudencia uestra, quod pecunia quam mihi proxime transmisistis per dominum C sacerdotem talis loci nondum solui debita mea: immo X solidi et amplius sunt superstites quos adhuc debeo solvere: et insuper omnia que ad expensam mihi sunt necessaria, donec uester reuertatur nuncius, oportet ad iudeos accipere sub usura.

Unde, dilectissime, rogo dilectionem uestram, quatenus per primum nuncium quem habere potestis mittatis mihi pecuniam in aliqua quantitate, prout considerata necessitate mea uobis uidetur expedire, considerantes quod ex solicitudine obligacionis minuitur uigor ingenii mei, immo perditur tempus. nec est dubium quin res quas oportet me licet inutiliter expendere utilius et honestius expenderem, si non essem obligatus uinculo debitorum, nec tempus — quod maxime doleo — perderem indecenter.

Pater filio

Dilecto filio suo C scolari parisiensi H miles de tali loco paterne dilectionis affectum cum effectu.

Quoniam prime etatis adolescencia in plerisque ad leuitatis malum multo facilius quam ad uehementis studii laborem deflectitur, cautum est et utile ut iuniores in uoluntatis sue arbitrio positi siue per nuncios siue per litteras ne a uia discipline nimium exorbitent moneantur.

Propter quod, filiorum karissime, de studio tuo quam plurimum sollicitus, te moneo rogo et exhortor, quatinus tempus iuuenilis etatis in quo precipue adipiscitur uirtus inutiliter non transeas, set pocius des operam studio, ut ego de te tanquam de bone indolis adolescente famam audiens reficiar et gaudeam de mee laudabili baculo senectutis.

Ceterum dilectioni tue notum facio, quod ad presens tibi V marcas argenti per W exhibitorem presencium transmittere procuraui.

*) ‚Dictare', ut plurimis lectorum notum esse opinor, iam initio medii aevi idem valebat quod secundum praecepta vel solutae vel astrictae orationis scribere, id quod praecipue pertinebat ad litteras omnis generis, ut petitiones, syngraphas, testimonia aliaque in vita civili usitata, conscribendas. Hinc, qui huic rei operam dabat, dictator, opera ipsa et quod scribebat ille, dictamen, ars denique recte scribendi ars dictandi vel dictaminis appellabatur. Exemplum talium formularium duae hae sunt epistulae patrem inter et filium datae et acceptae, quarum orthographia omnibus locis est servata. Opus Ludolfianum, quod tanti aestimabatur ab aequalibus et posteris, ut partes eius in multa alia sint receptae, scriptum esse videtur, ut editor exponit in prooemio, circa sexagesimum saeculi duodecimi annum. Red.

Verborum probatorum novas novis in rebus iuncturas

quaerebat

Jacobus Tassetius.

XI. Obsessi Desperati

Pater. — Barbarorum impetum alium non valemus sustinere. —

Comes. — Oppugnatum iam esset castellum, nisi puellae fortiter tractavissent balistas. —

Pater. — Durum est quod superest agendum. —

Comes. — Uxorem feriundam? Verum ipsa se feriet. Liberos? En, ad-

sum adiutor tui. De comburendo etiam castello consuluimus, ne isti nostra cadavera foedent. —

Pater. — Vir colende, liberos et nosmet ipsi iam nunc occidemus, quos non licet, neque decorum est, immani gentis eius crudelitati subiicere. Utrum nobiscum in mortem evadere, an praedam mavis barbaris restare, elige. —

Sacerdos. — Electio non datur. Sponte sumptam lex divina damnat mortem. —

Pater. — Uxor, parata es? —

Mater. — Ad nutum praesto sum, mi vir. Paulisper, soror, moriundum. —

Virgo. — Scio. Sed et licita quam vetita caede cruentis prodire in iudicium esse optatius. —

Mater. — Non voluntaria mors est, ubi nulla datur vivendi facultas, sed nex per contumelias et cruciatus omnes sola obiicitur. —

Virgo. — Num vim aliquando licet suae vitae inferre?

Sacerdos. — Nunquam. Verum Deus illos cruciatus videt, quibus ipse solus modum et finem sapientia sua imponit. Ipse enim scit quod bonum est nobis. —

Virgo. — Animam usque ad Domini nutum retinebo. —

Mater. — Me fortior es. Ego paveo. Malo me deo omnipotenti credere sontem, quam insontem potentibus mala barbaris. —

Sacerdos. — Infinita est Dei misericordia. —

Mater. — Peccabo quia infirma sum. Ignoscet Deus optimus. —

Sacerdos. — Dum vivis, possum dimittere peccata tua; si moriendo peccaveris, non erit confessioni tempus. —

Mater. — Haec sunt theologica. At perfugio volens ad deum. —

Comes. — Suspicio barbaros movere aliquid. Maturandum est! —

Pater. — Tu parvulam, ego filium. Valete. —

Mater. — Factum est. Mi vir, vale! —

Virgo. — Ah! . . . ah! —

Sacerdos. — Oremus. —

Comes. — Malam rerum hominumque naturam a deo optimo omnipotente, cur crederem factam, nulla ratio bona unquam obvenit, aut data est mihi. Animam credo mortalem esse. Satis vidi. Vixi. —

Virgo. — O quae futura sunt illa post haec tormenta? Deus, non te miseret nostri. Ipse tamen Christus crucem non valuit portare . . . . Ecce eos! Superi! . . . . Adspiciunt nos . . Jubent foras egredi . . . Quorsum nos abducunt? . . Quo rapimur? . . . Tolerare hunc gradum diu non potero . . Consistunt . . Sacerdotem alligant ad arborem . . . Ignem faciunt? . . Calefaciunt balistarum tubos! . . . Ah! perii! Salva nos, Domine. Prohibe ista supplicia: Exaudi! Per te tantum de nobis cuiquam licere nefas . . . Quid me vult hic dux barbarorum, quem plures sequuntur male arridentes mihi? . . Ipse primus? . . Ceteri! —

Orcus.

Mater. — Quid hoc est loci? Quamnam mulierem video? —

Adiutrix. — Animarum ducem et adiutricem vides in Orci limine. —

Mater. — Orci limen? Ergo mortua sum? Imo non requiesco. O somnium metu et dolore infestum! —

Adiutrix. — Ain' mortem aut vitam? —

Mater. — Utramque miseram dico. —

Adiutrix. — Somnium utrumque recte dicis. Sed hoc bonis quietum et amabile, illud asperum. —

Mater. — Liberos desidero, maritum, sororem? —

Adiutrix. — Hi brevi, illi iam in promtu sunt. En, vides: ludunt. —

Filius. — Capita aut navia? —

Filia. — Omitte diabolo me ludentem. —

Adiutrix. — Maritus tuus adhuc terrestris aliquid habet stuporis. Non te fugit crassiorem feminea natura esse naturam virilem. Mox experrectus ad te veniet. Salva et intacta soror cum sacerdote in terra manet. Servati sunt in extremis repentino adventu equitum, qui barbaros oppresserunt. Sed nunc

redeundum est mihi in terrenum locum; nondum enim illo sum defuncta corpore, hac siderea forma licet praesens videar. Haec autem alias. Mox te revisam. Vale.

Comes. — Aiunt me mortuum esse, et orcinam vivere vitam. Fabulae! inquam. Si mortuus essem, non sentirem. Si loco orcino viverem, nusquam viverem. Ais te adiutorem esse mortuorum. Es igitur vespillo vel libitinarius. At in mea familia, ut nunc res se habet, efferendus est nemo. Es autem sacerdos? Nihil mihi cum istis. Sidereum corpus narras, et orcinum. Somnium est, licet novum et insolens somnium.

Ex Epistulario Redactoris

Doctissimo et clarissimo editori
Scriptoris Latini salutem!

Gratias tibi ago, quod libellos tuos latine scriptos ad me misisti. Libenter eos commendabo, qui linguam Latinam a me dilectam excellentissime colere possint. Spero, magistrorum et pastorum aliquos, qui litteras meas legunt, Scriptorem Latinum summo gaudio lecturos esse.

Mitte, quaeso, »Scriptorem Latinum« K . . . J . . ., Doctori et professori gymnasii K . . ., ei a me salutem dicens. Est mihi amicus carissimus.

Dubito an haec omnia recte scripserim, nam multos per annos lingua latina non usus sum. Non malevolenter excipias! Vale!

B . . . 21. Oct. 10.

S . . .
Eccles. Luth. Pastor.

G . . ., d. 29° Oct.

Vir doctissime! Hodie ante meridiem cum sim redux Gottingam factus, jam propero, ut quae desideras folia in quibus legatur de illo philologorum conventu, ad te mittam. Una cum hac chartula in manus tuas pervenient. Graviter doleo, quod non statim post tuas litteras, cujus ex flosculis permagnam cepi voluptatem, acceptam, tibi in hac re servire potui. Salve et vale! Tui observantissimus

S. J . . .

Vir doctissime, gratias ago tibi maximas, quod tandem mihi mercedem iam diu exspectatam misisti. Nondum pro certo affirmare possum, proximo mihi tempore otium esse futurum, quo novas narratiunculas scribere possim. Sed filius meus, qui nunc seminarii sodalis est, nonnullas versiones tibi missurus est, quae sumptae sunt ex Mommsenii historia Romana et ex Lessingii libello illo, quo invehitur in Langium pastorem. Spero opusculum meum de Graeca lingua aliquantulum tibi probatum iri. Vale faveque! Dabam G . . . a. d. XII. Kal. Nov. MCMX. Dr. C . . . R . . .

H . . . G . . . D . . .

Voldemaro Lommatzsch
Bremiportuensi,
Scriptoris Latini redactori diligentissimo
et sagacissimo

Chartulae tuae, vir doctissime, humanitatis et benevolentiae plenae, quam hesterno accepi die, sine mora responsurus sum. Quae quod me ad societatem quandam Latine scribendi consuetudinis servandae eiusque linguae finium propagandorum causa comiter invitas et Scriptoris Latini, qui vocatur, duos fasciculos ad me mittendos liberaliter curasti, et gratias tibi ago maximas et, quantum potero, id, quod optare te video, interdum facere in animo nunc quidem habeo. Nec tamen pro certo id iam affirmare et promittere, ne mendax postea inveniar, audeo. Libellum autem meum, scriptum illum quidem ad scientiam Latinitatis antiquae atque purae adaugendam, per bibliopolam, qui eum redemit, tibi mittam libentissime et, si non prorsus illo munere indignus videbitur, valde gaudebo. Ad hanc epistulam adicio Frenssenianum illud, quod tu, vir doctissime, in Latinum sermonem versum voluisti. Fac valeas et me tui studiosum esse credas.

D. D . . . d. 12° Aug. a 1910[1].

Varia

Lusus Epigrammatum

Professori Gustafsson Helsingforsiensi cum mitterem nuper prae-

mium pro salutis aenigmatis acceptum, libello, qui centum carmina latina continebat a Mackailio selecta, hos inscripsi versus:

Praemia si cupies, opus est aenigmata solvas:
Nulla tamen pretium solvere causa tibi.

Quibus respondens ille ad me rescripsit haec:

Carmina tu centum atque unum mihi, prodige, mittis
Optima, verum illis carius hocce Tuum.

L.

Romani Viae Ferratae Inventores

Viae ferratae quanti sint momenti bellum gerentibus, nemo est hodie qui ignoret. Fuisset itaque minime mirandum, si quis aliquando eruisset ex veterum scriptis Romanos, bellicosissimum utique antiquitatis populum, primos ferro stravisse vias, quibus celerius commodiusque currus veherentur, praesertim cum notum sit permulta iam invenisse veteres, quae iniuria ipsis nobis tribuere solemus. Ac verum quidem est, quod suspicabar, etsi non Romanis, sed Volscis, eorum olim hostibus, illud debetur inventum, ut apud Livium (IV,28) Volscorum ducem, Vectium — nomen est omen! — Messium sic audimus suos increpantem:

Ferro via facienda est!

Hoc verbum »ferrovia« Itali usque ad hunc diem retinuerunt. L.

Censura Librorum

Palaestra patriotica. Carmina latina in usum iuventutis humanitatis studiosae Germaniae imprimis. Comissantibus praeparata edita auctore Lacinula paroch. emerit. Leutkirch (Virtembergiae), Jos. Bernklau. Pgg. 98. Pr.?

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura,
Quae legis . . .

cum Martiale poeta (Epigr. I, XVII) de suis carminibus iudicante dicendum est perlecto libello supra citato. Continet fasciculus 74 carmina e Germanico translata, quorum 53 ab ipso editore sunt composita. Reliqua ab aliis viris doctissimis pacta, etsi in iis quoque quaedam inveniuntur reprehendenda, tamen specie nitidissima et maxima elegantia arrident lectoribus. Idem de Lacinulae carminibus dici non posse dolemus. Nam cum exemplorum verba et sententias accurate reddere parum studet translator, tum Latinos syllabarum accentus plerumque non servat. Quamobrem probare non possumus hos locos: o néquaquám („O nein, nein, nein!") — ripáe Rhení (pag. 13), nolúit esse servos — gladíum — libéri iram verbi (p. 21), libértaté orbís incensus est — vitá nobís placét laeta libera („Der Freiheit Hauch zieht mächtig durch die Welt, ein freies, frohes Leben uns wohlgefällt", pag. 26), totó animó („mit Herz und mit Hand", p. 31), nostró bibíte Caesari (p. 50), undé venís — quonám ibís — ubi felíx — quid te pungít (p. 74, 75), amnés multí fluúnt (p. 89), permultos alios. Deinde admodum raro curat auctor, ut versus, ubi exempla id postulant, cum antecedente consonet extremis syllabis. Tum alii versus pedes habent supervacaneos, alii uno pede sunt breviores. Itaque quomodo illa carmina ad canendum sint idonea, non perspicuum est. In carminibus e Germanico versis, in quibus Germanica metra retinentur, elisiones vocalium vel syllabarum in m litteram exeuntium, velut: color' argenteo (p. 3), grat' (um) esse civibus (p. 10), laudanda͡ in saecula (p. 31), usqu' in perpetuum (p. 32), und' éxiví in vallim (sic! p. 71), usqu' ád vitáe finém — cui versui ipsa elisione adimitur unus pes! „bis in den Tod die Fehde", p. 21, — arbitrio auctoris non concedendas putamus neque ei licere existimamus „ait" pro monosyllabo adhibere (pg. 12, 59, 60, 87). Quemadmodum legendi vel cantandi sint versus Latini velut hi: suasor sis (p. 9), utrum „suasor" (spond) an „súasor" (tribr) an aliter; Petentes, ait, displodite! Vae, vaeh (!) displodentibus! (p. 87, = „dann ruft er: Nun, so trefft mich recht! Gebt Feuer! — ach, wie schiesst ihr schlecht!"), nos quidem utique nescimus. Denique multa sunt vituperanda, quae attinent ad dicendi et vertendi rationem. Imprimis, ut alia omittamus, paene lugendum est editorem corrupisse ac depravasse carmen illud praeclarum „Freiheit, die ich meine". Quid, si legimus Schenkendorfii quaestionem „Magst du nie dich zeigen der bedrängten Welt? Führest deinen Reigen nur am Sternenzelt?" sic redditam imperativi forma adhibita: Vulgus coercendum, ne appareas, ad superna cursum fac, ut dirigas! — Sententia poetae plane in contrarium vertitur! Quid tandem sibi vult „vulgus coercendum? — Alia taceamus; immo gaudeamus editorem libelli ex octo carminis vere Germani strophis quinque tantum sibi proposuisse vertendas.

Textus libelli parum diligenter conscriptus et expressus videtur, ita ut saepius offendantur lectores; cf. pag. 27 renovandum que = renovandumque, p. 43 ex pugnandus = expugnandus, p. 93 Adlaudem = Ad laudem, p. 23 rosā = rosae, multa alia. Menda typographica enumerare longum est. Etiam cur scribant carminum auctores „Quilelmus", „Questfalia", „Quormatia" pro formis „Guilelmus", „Guestfalia", „Vormatia" alioquin usitatis non intellegimus. Quod autem in pag. 55 scribitur „Salutatio . . post annum victricem", nullo pacto excusari potest. —

Mirandum sane est auctorem libelli Latine vertere nomen quoque suum — Zipfehli = Lacinula (sive Laciniola) — nec non nomen domicilii sui — Leutkirch = Ecclesia plebana (!) —, quibus versionibus nihil inest nisi vis comica Lhm.

Libri libellique dono accepti:

I. H. Newman, Kallista. Roman aus d. Zeit d. Christenverfolgungen im 3 Jahrhd. Deutsch v. A. Gaus-Bachmann. Regensburg, J. Habbel 346. Pr. ?

G. Schwetschke, Ausgewählte Schriften. Deutsch u. Latein. Vermehrte Ausg. Halle, G. Schwetschke, 1866. X + 325 + 222

C. R. Hartstein, 1000 Aufgaben aus Prüfungen der wissenschaftlichen Befähigung für den einjährig-freiwilligen Heerdienst. Frankfurt a M., F. B. Auffarth, 1909.

Heft 1: 50 französ. Aufgaben. XII + 35. 1 20.
Heft 2: 50 engl. Aufgaben. XII + 35. 1.20.
Heft 3: 50 latein. Aufgaben. XII + 36. 1.20.
Heft 4: 50 griech. Aufgaben. XII + 34. 1.20.
Heft 5: 50 mathem. Aufgbn XII + 36. 1.20.

V. v. Hejdenstam, Carl der Zwölfte und seine Krieger. Einz. berecht. Übersetz. aus d. Schwed. v. Therese Krüger. München, A. Langen, 1909. 338. 3,50 M.

G. Schwetschke, Neue ausgewählte Schriften Deutsch u. lateinisch. Bismarckias, Varzinias u. and. Zeitgedichte. Halle, G. Schwetschke, 1878. VIII + 185.

Catalogi antiquarii:

G. Fock Lipsiensis — Cat. 377: Klass. Philol. u. Altertumsk., num. 1—6471 (Latein. Schriftst. 1818—2773, Neulat. 2843—3015)

Rheinisches Buch- u Kunst-Antiquariat, Bonnae — Cat. 58: Script. graeci et lat., pgg. 114 (Plus quam 50 edit. principes, 10 incun., 26 Aldina, praesert. Aristoteles, Lucianus, Orat. graeci)

Süddeutsches Antiquariat, Monaci — Cat. 127: Klass. Phil. u. Altertumsk. Humanismus, num. 1—2119 (Aut. lat. 550—1106, Humanist. 1107—1165)

Cum recentissimi soleant ad me pervenire catalogi, possum facillime quemlibet librum desideranti, ubi et quanto constet, indicare. Peto igitur, ut lectores, si quid iis opus sit, ad me scribant.

Periodica:

Das Deutschtum im Ausland. Vierteljahrshefte d. Vereins f. d. Deutscht im Ausl. (Allgem. Deutscher Schulver.) 5, Sept. 1910: † Karl Pröll, Theobald Fischer — F. Speier, D. wirtschaftl. Bedeut. d. Deutscht. im Ausl. — M. Rau, Deutsche Sprachinseln i. Europa — P. Samassa, D. südslawische Frage — Rundschau, Besprechungen etc.

Bodenreform. Deutsche Volksstimme. Organ d. Deutsch. Bodenreformer XXI, 20 (Oct. 1910): Der 20. Bundestag d. Dtsch. Bodenreformer in Gotha (VIII: Welche Rechtsformen gewähr. eine sociale Verwend. d. Gemeindegrundeigentums, u. welche Reformen sind auf dies. Gebiete zu erstreben? XIV: Die Presse)

Corrigenda

Num V° cum non ipsa praeesse possem emendando, multa irrepserunt eaque foedissima vitia typographica. In pag. 65. lege: **mediisque**, **perfuncti**, **negligantur**, **humanitatis**, **institutio**, nobis inter vos (sine commate); pag. 71: adeoque (pro: adesque); 73: certi**orem**; 76: **Edid.** Reichardt; 77: phraseolo**giam Latinam**; 78: pollicitu**s** erat; 79: **simul**, qui; 80: (in aenigmate) caesis

Responsorium

A. T.: Accipe grates meas pro carminibus, ex quibus medium non indignum videtur editione. Non vero probari mihi possunt accentus latinis verbis repugnantes, ut in altera versione: vinó, viró, geró, qui offendunt lectorem alioquin vertendi ratione contentum. Nonne alia insunt in illo Minervae numero Latina? Velim mihi mittas libellum in paucos dies inspiciendum. Vale.

W. G.: Verba quinto numero praemissa pertinere scito ad Gymnasialis quae vocatur Societatis Germanicae sodales, qui Gottingam convenerant ineunte Octobri. At nescio quo modo Scriptor noster, quem singulis muneri dare in animo habebamus, paulo serius illuc pervenit, ut iis, qui iam discesserant, numeri simul cum illo de Humanistico Gymnasio commentario sint mittendi. Vale

F. O.: Felici quodam casu ex quattuor, quas numero III. commemoravi, versionibus praeter Roscianam duae sunt servatae. Has, ut comparare possis cum illa, hic subiungo:

1) Res naturae investigatae quid prosint —, non in singulis humanitatis gradibus vel partibus, sed magna in re, in universo hominum genere excolendo — qui considerabit, is laetissimos eius indagationis fructus ex eo capiet, quod continuitate et consequentia quadam rerum perspecta multo magis et voluptates naturae percipi et animos inde excoli videbit; qui quidem cultus contemplando mentisque acritati debetur atque ipsi aetati, in qua vires ingenii apparent in omnia simul intentae.

2) Si quis ea quae naturae cognitione reperta sunt non ad singulos formationum gradus aut ad ipsam vitam, sed ad totam humanitatem retulerit, is iucundissimum ho-

rum studiorum fructum percipiet eum, ut delectationem naturae perspecto rerum conexu auctam vel nobilitatam videat: quae nobilitatio praeparatur observatione, efficitur ratione, comprobatur auctoritate aetatis, qua omnes omnium ingeniorum motus quasi in unum colliguntur.

K. N.: De nominibus in -- lich exeuntibus, ut ‚zeitschriftlich', haud scio an non recte iudices, cum haec syllaba saepius adiungatur adiectivis ex duobus substantivis compositis (cf. naturkundlich, patentamtlich, zivilrechtlich, weltgeschichtlich, sonntäglich, spiessbürgerlich, hochnotpeinlich, stiefmütterlich, ehrenwörtlich, sinnbildlich, mitternächtlich, hauptsächlich, muttersprachlich etc.) Brevitati enim ut consulamus, talibus verbis nos carere minime posse arbitror. Ceterum usque ad hunc diem ne unus quidem lectorum, quomodo titulum vertendum esse censeret, nuntiavit. Vale.

R. H.: De aenigmatis num. I. sic habeto: Duo tantum te solvisse notaveram, quia alterum aenigma a te ipso fuerat exaratum, in primo autem in chartula tua d. 28° m. Maii data pro ace, quod rectum erat aco scripseras. Vides et aenigmata sua habere fata. Vale quam optime!

R. W.: Diabolus ille, quem dicunt, typothetarum dolis insidiisque satiari non potest. Tu vero quod narras, vere incredibile est et me aliosque summopere delectavit. Simile enim quiddam mihi ipsi nuper accidit, cum plagulas legens emendandas notum illud Horatianum sic inveni mutatum: Parturiunt montes — nascetur radicalismus!

Aenigmata

composuit

F. Gustafsson Helsingforsiensis.

1

Orare et laborare Deus quia iusserat Adam,
me dixit; dona ille Patris pius obtulit in me.

2

Inspice me: te ipsum solumque paremque videbis.
Finem si mutas, coelum fluctusque patebunt.

3

Vi maiore prior pars »hic« vel dicitur »ille«;
altera pars numerat, omneque flumen erat.

4

Dentibus in silvis soleo saevire ferire.
Adde caput durum: corniger obtudero.

Horum aenigmatum qui duo solverit intra triginta dies, unius sortis particeps fiet in urna, qui cuncta, duarum. Unus sortitus accipiet libellum:

Herzstein, Eine Sammlung von Erzählungen in latein. Sprache. Diss. Erlangen 1893.

Sententiae latine vertendae:

Bei der mittelalterlichen und modernen Kunst muss dem protestantischen Schüler nun noch das ganze Gebiet der katholischen Kultur nahegelegt werden, auf das er nur zu gern mit Verachtung herabblickt. Die Lutherbegeisterung ist als sehr wohl vereinbar mit der Kenntnis der Sagen der Heiligen Christophorus und Antonius. Sind sie weniger schön als die von Hero und Leander? Warum bleibt Dürers köstliches Marienleben den Meisten unverständlich? Weil sie die rührende Legende unserer lieben Frau nie gehört haben. Bietet die Schule nicht eine schöne Gelegenheit, an dem unseligen Bruch mitzuheilen, der unser Volk in der konfessionellen Spaltung trennt? Wird der mit der katholischen Welt etwas vertraute Protestant nicht später, wenn er das Glück hat Rom zu sehen, viel freudiger sich dem Eindrucke der Grösse dieser urbs aeterna hingeben, als wenn er mit barocken Ideen von Papst und Vatikan dorthin kommt? Die katholische Religion hat nun einmal der jungen europäischen Kultur die Bilderschrift geliefert; damit muss man sich auch in Wittenberg abfinden. Deshalb muss man sie kennen, ebensogut wie die Geschichten von Tobias und von der Susanna oder wie die Taten des Herkules. Also wir brauchen Studenten, die diese künstlerische Welt und Unwelt genau kennen gelernt haben und dadurch später in den Stand gesetzt werden, als Lehrer den Primanern einen rechten Respekt vor den goldenen Namen und Werken der Kunst beizubringen.

Prof. Paul Schubring
Berolinensis
in novo commentario semimenstruo „Blätter für Volkskultur"
(Ex Officina Editoria »Hilfe«, Schönebergae pr. Berol.)

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis

SCRIPTOR LATINUS

prodit circa idus cuiusque mensis mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M.

Scriptorum merces est 36 M pro 16 paginis: iidem solvunt pro subscriptione sua minutum bibliopolarum pretium, i. e. 3.00 M annue, et accipiunt eius numeri, in quo inest commentatio, 5 exempla.

Epistulae, manuscripta aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur:

Ad Voldemarum Lommatzsch,
Bremiportu (Bremerhaven),

pecuniae vero, libri et libelli, de quibus censurae fiant, epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,

Bibliopolam Hans Lüstenöder,
Francofurti a. M.,
Eschersheimer Landstraße 112

Nomina et domicilia
eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Glendale — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Krakow — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn. Stuttgart — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Krakow — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — J. Tasset, Tonnerre — C. Thieme, Parochus, Calbeck — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Typographus: Carolus Wiechert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

(NOVA »CIVIS ROMANI« SERIES)

Menstruus Ad Linguam Latinam Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII: Numerus VII

— Procurant negotia —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: Belinfante Frères, den Haag,
in Russia: K. L. Ricker, St Petersburg, 14 Newsky Prospekt

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguam Latinam
Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Ann. VIII Francofurti a. M., Mens. Nov. et Dec. MCMX Num. VII

OMNIA LAETA FAUSTA FELICIA

in annum proximum
lectoribus et conscriptoribus optant atque ominantur
Scriptoris Latini Editor et Redactor.

In Friderici Reuteri Memoriam

scripsit
Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

Ante hos C annos, die 7mo mensis Novembris 1810, Fridericus (Fritz) Reuter Stavenhagae, in oppido parvo Megalopolitano, natus est. Postquam complures annos frequentavit gymnasia Friedlandiense et Parchimiense, iuris studio incubiturus primum Rhodopolin, deinde Jenam se contulit. Hac in urbe iuvenis, summo vitae amore incensus, mox socium sese adiunxit *bursariis Germanicis,* quorum legibus ac statutis libertatem appetentibus tum potestates magistratusque summopere perterrebantur. Cum *bursariorum societas* rixis et controversiis internis dilapsa esset, Reuter in patriam rediit. Interea autem Francofurti ad Moenum mense Aprili a. 1833 impetus ille in *custodiam maximam* („das Frankfurter Attentat", ut dicunt historici) factus erat, in quo praeter alios nonnulli quoque *bursarii* a militibus capti et in vincula coniecti sunt; quo conato sane miro et inconsiderato potestates ansam sibi datam putarunt ad omnes olim *bursarios* persequendos ideoque multos eorum, quoscunque comprehendere potuerant, in his Reuterum, in captivitatem abduxerunt. In carceres inclusi sunt ducenti quattuor iuvenes, ex quibus novem et triginta, in quorum numero Reuter erat, primo quidem capitis damnati, sed postea salute reddita custodiae partim sempiternae, partim triginta annorum poena in castellis luenda affecti sunt. Neque quidquam profecerunt precibus Reuter, pater eius, alii viri pro damnato supplicantes: immo per septem annos miserrimus noster in diversis Germaniae arcibus vitam degere cogebatur. Tandem a. 1840, cum Fridericus Guilelmus III, rex Borussorum, diem supremum obiisset, venia illi impunitasque data est. Quo facto primum quidem rerum rusticarum studio se dedidit et agri culturam exercens illos agebat annos, quos posterius libro illo elegantissimo, quem „Ut mine Stromtid" inscripsit, eximia cum hilaritate et festivitate enarravit. Non tamen persuasum sibi habebat se agri cultura ad ea, quae cuperet, perventurum esse: nam qua erat inopia non licebat ei sperare fore ut unquam sui iuris potestatisque fieret agris colendis. Itaque, postquam a. 1851 in matrimonium duxit Ludovicam („Lowise), Kunzii sacerdotis cuiusdam filiam, munere praeceptoris privati fungi conabatur, sed ne his quidem negotiis, quae ad victum suppeditarent, sibi parabat. Illo tempore — a. 1852 — in lucem prodiit liber „Quickborn" inscriptus Nicolai Grothii (Klaus Groth) dialectum *plano-germanicam* quam vocamus usurpantis; quibus carminibus permotus Reuter ipse quoque scribere coepit eodem linguae genere adhibito. Nec frustra; nam brevi iocosissimis

illis lepidissimisque versibus, quos „Läuschen un Rimels“ nominavit, successum habuit prorsus inopinatum, quamobrem ex eo libris conscribendis edendisque totum se dedere constituit. Quo factum est, ut sequentibus quindecim annis illos libellos conscriberet pulcherrimos, qui omnes Germanos, imprimis septemtrionales, maximopere delectant neque unquam delectare desinent. Ceterum videmus Reuterum non modo festive ac hilare fabulari, sed etiam severissimo et gravissimo sermone uti calluisse, quod nemo negabit qui — ut exempla afferamus — versus carminis „Kein Hüsung“ graves et animos legentium perfringentes vel fabulae „Stromtid“ caput primum legerit.

Anno 1863 Reuter penates transtulit Isenacum et sub monte Wartburgae, ubi villam aedificandam curaverat, iucundissimam sibi uxorique suae sedem paravit. Hic ad finem perduxit „Stromtid“ et splendidissimam illam conscripsit satiram in res condicionesque Megalopolitanas „Dörchläuchting“ nominatam. — Sed paulatim morbus, quo permultos iam annos laboraverat, vires poetae hilarissimi et lucis cupidissimi consumpserat et plane confecerat: 12mo die mensis Iulii a. 1874 e vita excessit. Conditus est Isenaci in sepulcro honoris causa instituto, in quo viginti annis post uxor quoque sepulta est. Monumento ornatur sepulcrum templi formam imitante et faciem Reuteri e marmore sculptam ostendente. Villam cives Isenacenses acquisiverunt atque in museum piis et illius et Ricardi Wagneri manibus dedicatum commutaverunt. In cubiculo dormitorio hodie quoque stat lectus, in quo animam exspiravit poeta; de parietibus pendent imagines ipsa eius manu confectae, in quibus effigies, qua a. 1837 in castello olim Parthenopolitano ipse se pinxit. Alias, quae memoriae defuncti retinendae inserviunt, res in mensa invenimus depositas, ut epistulas, libros, documenta, insignia; nec deest linum nigri-rubri-aurei coloris *bursariorum*. In conclavi, quod cubiculo est proximum, poetae coniux libentissime commorabatur, dum ille in suo membro iuxta sito occupatus sedebat studiis et operibus. Hic inter alia prope fenestram latam videmus mensam scriptoriam, cuius utensilia, ne surripiantur, sub tegmine vitreo asservantur; iuxta mensam arrectaria *fistularum* sunt posita; e parietibus pendent imagines Reuteri aequalium, petasus quoque poetae et capsula, qua herbas colligere solebat. Tale se praebet domicilium, in quo poetae nostro praeclarissimo „per varios cursus, per tot discrimina rerum“ in portum et refugium pervecto, quod supererat vitae, iucunde ac tranquille exigere contigit. Non omnibus, qui hodie Reuteri „Stromtid“ vel illud suavissimum „Iter Belgicum“ (Reis' nah Belligen) legentes festivitate sane admirabili oblectantur, in mentem venit, quot quantosque labores ac molestias, donec fructum percepit virtutis suae, ille tolerarit.

7. XI. 10.

Oratiunculae Latinae,

quas variis olim occasionibus habuit
Guilelmus Roscius Heilbronnensis

7

Epistula gratulatoria Uhligio,
Rectori Gymnasii Heidelbergensis,
memoriam trium ac dimidii saeculorum
celebranti a. MDCCCIVC dedicata

Vir illustrissime, doctissime, παιδαγωγικώτατε! Gymnasii Heilbronnensis collegae, quod omnium vicinae Suevorum civitatis proximum est vestro, me interprete plurimam Tibi Tuisque et collegis et discipulis salutem dicunt congratulantes hujus diei celebrationem faustaque omnia et prospera optant precanturque. Multa sunt et varia quae Heilbronnam et Heidelbergam inter se connectunt vincula. Ut enim ab ipsis primordiis repetam, Romanorum vestigia ac reliquiae villarum, coloniarum, castellorum inde a vestra regione ad nostram usque pertinent, complures et ab Rheno et ab Moeno ad Nicarum et adverso flumine viae ac limites ferebant, denique in jugis silvae Odanae pariter atque in nostris collibus speculae turresque eminebant Romanorum. Postea, cum antiquarum litterarum et artium studia renasci coepissent, passim

liberae nostrae civitatis filii gentium Heidelbergam solebant migrare, ut humanitatis ac doctrinae copiam ac decus reportarent. Rursus aetate nostra nonnulli istorum adulescentes, quibus amoenitates istius terrarum anguli parum ad discendi laborem idoneae viderentur esse, in nostram disciplinam sunt traditi. Ambarum igitur civitatum, cum proxime a Limite, qui hodie in omnium ore est, remotae inter se contingerent, saepius cives ultra suos utriusque fines sunt transgressi ad alteram.

Postremo autem ac proxime Tu, vir illustrissime, cum litterarum antiquarum tum scholarum ac praeceptorum condicionis studiosissime, cum nostrae civitatis magistrorum conventui Stuttgartiae habito plus semel interesses, hanc nobis opinionem confirmavisti ut omnium civitatum communem esse causam in disciplinae genere et praeceptorum ordine curando intellegeremus. Huius tantae operae et curae memores ut gratiam agamus referamus, adsumus haece ex animis vota nuncupantes: Utinam nova semper in novis aedibus existat floreat crescat vetus Heidelbergae classicae fama et gloria, duitque Deus O. M. diutius istam scholam Te duce et rectore doctissimo sapientissimo fortissimo

gubernari, juvari, augeri!

8

Praefatio in Convivio Collegarum anserem Martino sacrum comedentium habita

(cf. Script. Lat. I.)

Salvete, Collegae et amici carissimi, qui frequentes convenistis, adeste bonis avibus. Neque hercule vereor ne magis edendi cupiditas vos conduxerit quam desiderium quoddam ac voluptas, ut ait Tacitus, comis inter hospites vel sodales victus. Cum autem non desint qui non secreto tantum murmurare soleant, sed palam audeant pronuntiare et in contionibus clamitare, nihil esse turpius quam quod nostri homines gula et ventre censeant vel initiandos vel absolvendos operum vitaeque labores, optime mihi et de patria et ordinis nostri fama videtur mereri qui coenae qualescunque adsperserit sales ingenii. Itaque nolite mihi adrogantiae tribuere, si pauca quaeso mihi verba facienti aequas praebeatis aures.

Atqui nescio an timendum mihi fuerit ne bilem vobis moverem si, postquam insolito dicendi genere aures vestras invitavi et quasi titillavi, simile mihi videatur accidere quod est apud poetam: Desinit in piscem mulier formosa superne. Nolite enim exspectare ut elatus et inflatus lauro nuper mihi imposita perennem amnem vel jugis aquae fontem versuum super attonita vestra capita effundam. Immo vero, quoniam non desipere tantum in loco, sed etiam decipere audientes dulce est sapienti, descendam et de cothurno numerorum et de magnificentia alienae linguae ad soccum pedestris orationis et vernaculi, quem tirones vocant, sermonis.

9

Ad memoriam primi Imperatoris novi imperii celebrandam apud primanos gymnasii a. d. XV. Kal. Feb. anno proximi saeculi XCVI habita oratio.

L'empire c'est la paix — Imperio contineri pacem ut per simulationem et mendacium Gallus ille, qui se tertium appellari voluit, Napoleo de suo Imperio, postquam rerum potitus est, jactavit, ita idem nobis de nostro Imperatore

primo e stirpe Zollerana vere licet praedicare.

Qui postquam Victoris nomen rebus gloriosissime gestis comparavit, nihil antiquius habuit quam id quod ingressus regnum est professus, ut pacem populo suo moriens relinqueret. At dixeris, quomodo pacis auctor et sponsor haberi potest qui octo annorum spatio tria bella gessit, duo suis auspiciis administravit?

Ad quae rectissime respondeas illud quod aiunt, »si vis pacem, para bellum« nunquam magis ratum fuisse. Anno enim sexagesimo uno, cum amplius LX annorum senex regnum adeptus est, patriam nostram undique ab hostibus circumveniri cerneres. Ipse autem cum diuturna vita expertus esset ad quantam miseriam et infirmitatem Germanicum quondam Imperium esset redactum, renovandam eius gloriam et auctoritatem sibi proposuit. Quod cum nulla alia via fieri posse nisi ad Borussorum, quae maxima et validissima erat, civitatem principatum Germaniae deferendo persuasissimum haberet, id autem ipsum ne fieret, omnes circa civitates et maxime timerent et prohibere summa vi conarentur, suae civitatis vires bellicas augere et confirmare primum omnium duxit summaque diligentia prudentia constantia praeparatum compluribus annis opus perfecit ipso, antequam regnum accepit, anno.

Neque defuit occasio praestantiae et utilitatis novi instituti probandae. Et primum quidem experimentum factum est bello Danico, quo exercitus Borussorum expugnatis apud Duppeliam munimentis hostium omnium Europaeorum animos admiratione virtutis et constantiae suae affecit. Sed Austriaci, penes quos tam diu summa rerum in Germania fuerat, invidia ac metu stimulati summis opibus resistendum rati ne Borussorum opes augerentur, nihil praetermiserunt, quin obtrectarent illius civitatis auctoritati. Quo factum est ut Gulielmus, si perficere, quod sibi divinitus destinatum esse persuasissimum habuit, opus redintegrandae Germaniae vellet, armis cum illa socia adhuc civitate decertare de summa rerum cogeretur.

Tum demum, postquam minus duorum mensium spatio compluribus praeliis et atroci apud Sadovam pugna profligavit hostem, patefacta est via qua pergeret ad principatum Germaniae. Tamen ut omnes civitates Germanicae ad unum rursus corpus et imperium coalescerent et diuturna concordia continerentur, longe graviore bello contra Gallos annis LXX et insequente erat defungendum. Illis VII mensibus sanguine communi omnium nationum conglutinatum est ac confirmatum clarissimum hoc, quod tanto desiderio optimus quisque et patriae amantissimus exspectaverat, imperium Germanicum a. d. XV. Kal. Febr. abhinc XXV annos Versaliae in mediis hostium finibus et in ipso armorum strepitu sollemniter renuntiatum.

Hoc bello tantam fortissimus ille senex amplius 70 annorum praestitit industriam diligentiam constantiam laborem, ut nemini qui divino numine regi res humanas sibi persuaderet, dubium posset esse quin praesenti Dei auxilio et gratia ille adjuvaretur, et ipse tantum afuit ut tantos successus, tantam gloriam sibi tribueret ut Dei beneficio summa quaeque quae perfecit accepta referret. Et tota vita inde a puero summa semper pietate et religione numen divinum revereri et his virtutibus contineri et singulorum et civitatum prosperitatem ac felicitatem solitus est profiteri.

Et statim postquam bello finito rediit, pacis opera aggressus novum imperium sapientissimis et justissimis legibus curavit constituendum et confirmandum, semperque suo exemplo diligentiae industriae curae omnium rerum ostendit, quod summus ille proavus eius est pofessus, sibi quoque constare, primum reipublicae magistratum esse principem debere. Itaque proximis annis sub auspiciis Imperatoris augustissimi factum est ut cum communi patriae firmandae ac tutandae tum civium prosperitati augendae optime consuleretur. Neque solum assidua rei militaris cura exercitum semper paratissimum et instructissi-

mum habuit, quo hostium minae deterrerentur, sed etiam quaestui, artificiis, agriculturae, infimi cujusque civium saluti est provisum. Idem ultra fines patriae tantam huic imperio auctoritatem comparavit, ut plus semel ipsius intercessione bella sint composita inter civitates Europaeorum exorta, certamina et pericula, quae turbatura pacem viderentur, aversa. Denique omnium civitatum consensu est comprobatum sub Gulielmi auspiciis praestari pacem in Europa conservandam.

Sed idem hic dies alterius diei qui est a. d. XV. Kal. nobis memoriam revocat. XV. enim Kal. Nov. cum ex amplius L annis vindicatae ab Napoleonis dominatione Germaniae memoria celebrari esset solita, tum novum eidem diei nuper decus erat additum, quia natalis ille dies Friderici regis Borussorum filii, futuri Germanorum Imperatoris, mentes populi ad spem futurae magnitudinis erexerat. Et mehercule illius nomen praesertim post annum septuagesimum hujus saeculi incredibili quadam dulcedine omnium animos ceperat et conciliaverat. Sed eheu, qualis ei sors fato destinata fuit! Qui postquam LVI annos explevit, priusquam spes regni ei ostenderetur, patre defuncto tam gravi morbo implicitus jacebat, ut propediem fato videretur cessurus. Et cum trium mensium spatio acerbissimo morbo et doloribus vexatus exspiravisset, filius juvenis in locum eius successit, qui nulla longiore disciplina et usu aut rerum publicarum aut militiae imbutus subito potentissimi in Europa imperii administrationem suscepit. Et parem se esse tanto muneri clarissime his VII annis demonstravit. Nam uno quasi tractu omnium civitatum existimationem, universi populi studia ac venerationem conciliavit, ut laetis animis praedicare nobis liceat tristissima illa tempora, quae olim interitum postremi e Suevorum gente heredis imperii secuta sunt, cum Imperatore patria careret, procul esse remota. Neque in nostra tantum patria, sed etiam extra fines Germaniae trans Alpes eius laudes sunt celebratae, et postremo, quibus locis ultimus ille de Stauforum gente Gallorum dolo circumventus cecidit, hic juvenis, ad quem illorum quondam imperium translatum est, Italorum clamoribus et plausu circumfusus et summis honoribus est exceptus.

Nonnulla de comoedia palliata et fabula togata

secundum **Teuffel-Schwabe, Gesch. d. röm. Liter.** (Leipz. 1882)
olim scripsit
Essekini (Slav.) **Gregorius Laric**, primanus, nunc gymnasii (Carlovicii in Slavonia) professor.

Comoedia palliata tribus praecipue nominibus, Plauti, Caecilii Statii, Terentii, annectitur atque ita excolebatur, ut apud Plautum graeca romanis miscerentur. Successores autem eius nitebantur, ut generis integritas servaretur. Cicero genus describendi apud Naevium et Trabeam discernit. Romani iam initio sexti ab urbe condita saeculi fabulam tamquam artis opus et serio et hilariter tractasse ac plus minusve iudicio arbitrioque suo in iisdem esse usi videntur. Sed fabulae ad delectandum longe praevalebant, ut palliata, Rhintonica, togata (trabeata et tabernaria non exceptis), item Atellanae, sed immutatae. Ex gravibus tragoedia et praetexta commemorandae sunt. Reiferscheidius illud tenendum esse dicit post νέαν κωμῳδίαν (i. e. palliatam) Latinos multa fabularum genera in lucem protulisse, ut togatas ab scaenicis atque argumentis latinis, praetextas, Atellanas, Rhintonicas ab auctoris nomine dictas, tabernarias ab humilitate argumenti ac stili, mimos a diuturna imitatione rerum et levium personarum. Graecas fabulas ab habitu palliatas Varro ait nominari. Palliata omnino appellabatur comoedia eiusque scriptores comici. Togata tabernaria differt a comoedia, quod in comoedia graeci ritus inducuntur personaeque graecae, in illa vero latinae. Palliata toto saeculo sexto dominatur. Ad eam referendi sunt: Andronicus, Naevius, Plautus, Ennius, Trabea, Atilius, Licinius Imbrex, Iuventius, Statius Caecilius, Luscius Lanuvinus, Terentius, Plautius, Turpilius. Veteres scriptores, ut opera sua ingenio populi accommodarent, ma-

gnopere studebant, quod posteriores, ut Terentius, aspernabantur.

Ludi scaenici iam inde ab anno 540/214 quotannis ludis Romanis, Plebeis, Apollinaribus fiebant. Nam inter varia poeseos genera fabula maxime congruebat cum populi Romani moribus, cum Romani ingenii acumine ad imitandum aptissimo valerent. Palliata eruditis praecipue viris placebat, sed mox in offensionem multitudinis spectatorum incurrit. In locum eius togatae, Atellanae, mimus prodierunt.

Fabula palliata est saepe turbata quasi imago externarum litterarum, recentioris comoediae graecae. Sic Plautus et Terentius Romani ad exemplum Graecorum scribere solebant: argumentum graecissat, velut ipse alter in prologo Menaechmorum fatetur. Etsi autem Romani graeca opera retractaverant, tamen satis virium suarum praestabant, quia non ad verbum transferre, sed imitari aliena opera solebant. Cum in vetere comoedia tenor nationalis diligentissime servetur, recentior comoedia graeca praebet imaginem quae apud omnes populos mutatis mutandis reperitur. Amissa libertate fracta erat satira ad rempublicam pertinens, itaque familia remansit, quo se comoedia reciperet. Ex hoc fonte omnes huius aetatis excultae nationes anceps atque incertum hoc bonum hauserunt; fieri non potuit, quin eiusmodi hetaerae mores spectatorum depravarent. Compositio recentioris comoediae simplex erat ac sine choro, non exceptis pluribus personis una in scaenam prodeuntibus. In operibus prologus et epilogus distinguuntur. Prologo poëta spectatorem in argumentum inducit. Terentius prologo utitur eo, ut se contra adversarios defendat. In epilogo spectator ad plaudendum invitatur. Locus quidam Pseudoli (v. 551), ubi legimus tibicinem interim delectaturum esse audientes, testatur poëtas scaenicos intercapedinibus quoque usos esse, ut iustam opus vim in spectatores exerceret. Fabulae in actus videntur fuisse divisae, quamqam libri Plauti et Terentii manu scripti non exhibent hanc in actus partitionem. Quinque actus, quos docti posteriores, item Horatius (ad Pisones v. 189), a poeta poscunt, non omnino esse necessarii videntur. Ad comoediam scribendam tribus actibus opus fuisse videtur, ut res exponeretur, nodus fieret atque expediretur. Minoris momenti est partitio in scaenas. Personae varias agentes partes principio litteris graecis designabantur, postea vero nomina actorum perspicuitatis causa addita sunt. Fabulas non legendas, sed ut darentur veteres scribebant: itaque partes aliae ad dicendum, aliae ad canendum destinatae distinguebantur et in codicibus Palatinis Plauti dicenda litteris „DV“ (diverbia vel deverbia), canenda littera „C“ notabantur. Carmina ex versibus senariis composita sola declamabantur, reliqui omnes versus canebantur tibiis ita, ut declamatio, drama musicum, recitatio altera in alterius locum succederent.

Diomedes primam speciem togatarum esse dicit, quae praetextatae dicantur, in quibus imperatorum negotia agantur publica et reges romani vel duces inducantur, personarum dignitate et sublimitate tragoediis similes; praetextatas autem dici, quia fere regum vel magistratuum, qui praetexta utantur, in eiusmodi fabulis acta comprehendantur; togatam praetextatam a trogoedia differre, quod in tragoedia heroes inducantur, in praetextata autem Brutus vel Decius, item Marcellus vel Africanus et his similes: denique omnes fabulas sive tabernarias sive Atellanas sive planipedes togatas esse, quae scriptae sint secundum ritus et habitum hominum togatorum i. e. Romanorum. Togatae tabernariae dicebantur humilitate personarum et argumentorum similitudine comoediis palliatis pares, in quibus humiles homines et privatae domus inducuntur, quae quidem olim, quod tabulis tegerentur, communiter tabernae vocabantur: Afranius primus togatam ad altiores societatis civium circulos evexit, cui argumenti rationem et palliatae sermonem addidit. Scaena rerum, quae agebantur, constituebatur vel Romae vel in aliqua urbe provinciae, ut rusticani deriderentur vel porcorum simulationem Roma reprehenderetur.

Tres Eiusdem Carminis Goethiani Versiones

Heidenröslein

I

Puer vidit rosulam,
Rosulam in prato.
Adit jucundissimam,
Spectat amoenissimam
Corde delectato.
Rosa rubra rutila,
Rosula in prato.

Dixit puer: Carpo te
Rosulam in prato.
Dixit rosa: Pungo te,
Perdolens cognosces me,
Digito forato!
Rosa rubra rutila,
Rosula in prato.

Brevi puer carpserat
Rosulam in prato.
Rosa frustra lacrimat,
Frustra spinis dimicat,
Raptu perpetrato.
Rosa rubra rutila,
Rosula in prato.

(E. Eckstein, Lyra Germano-Latina. Dresden 1894)

II

Vidit puer rosulam,
Rosam in vireto,
Advolat ad roscidam
Jntegram pulcherrimam,
Spectans corde laeto.
O rubella rosula,
Rosa in vireto!

Jnquit puer: Carperis,
Rosa in vireto!
Cui rosa: Pungeris,
Semper ut memineris!
Tangas me caveto!
O rubella rosula,
Rosa in vireto!

Carpsit ille rabidus
Rosam in vireto;
Rosa pungit acrius,
Heu nil valet gemitus,
Frustra clamat veto.
O rubella rosula,
Rosa in vireto!

J. Draheim (Berliner Philol. Wochenschr. 1910,1)

III

Puer rosam viderat
Natam novam prati,
Lucide quae fulgurat;
Jntueri properat
Formam floris grati.
Rosa, rosa rutila,
Nata dulcis prati!

Puer ‚carpam' inquit, ‚te,
Nata dulcis prati!'
Refert rosa ‚pungam te,
Ut horrescas semper me:
Jstud nolo pati!'
Rosa, rosa rutila,
Nata dulcis prati!

Dolis puer impiis
Natam carpsit prati;
Se defendens spinulis
Haec nil egit lacrimis:
Est coacta pati.
Rosa, rosa rutila,
Nata nova prati.

W. Lehmann.

Carmen Joannis Lenzii, parochi Hohendodelebiensis, Gymnasium Treptoviense sacra semisaecularia agens salutantis

latine vertit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

1.
Nunc laeto, fratres, canite
Nec sono non elato!
Hoc festum carmen hilare
In corde resonato!

2.
En diem decem prospera
Post lustra promicantem!
Quo venit multus advena
In urbem iubilantem.

3.
Nos firmum tenet vinculum,
Canendo quod laudamus;
Amamus Regam fluvium
Laetique remeamus.

4.
Memoria renascitur
Negotio solutis,
Et animus reducitur
In dies iuventutis.

5.
Concordia probamus quid
Sit bene gestu dignum:
„Gymnasium" iam clamor sit,
„Treptovia" sit signum!

6.
Vicina mari Baltico
Treptovia, te cantamus!
Nos olim tuae sedulo
Sapientiae studebamus.

7.
Tu nos docebas litteras,
Confirmans nostram mentem;
Colebas artes logicas:
O probe te regentem!

8.
Iam sexta classis tenuit
Latino nos studentes,
Sermonem quinta docuit
Nos Gallicum fidentes.

9.
In quarta Graecis imbuit
Nos Kalmus „docens mores";
Nepotis opus vetuit
Nos esse tardiores.

10.
Tum Xenophon in tertia
Anabasisque, belli
Et Gallici tot proelia
Viderunt nos percelli!

11.
Pararunt et Ovidii
— Eheu — metamorphoses
Tenore perdifficili
Laborum magnas doses!

12.
Sed mox implevit studio
Nos „classico" secunda:
Homerus, Maro, Cicero —
Sophia quam profunda!

13.
Et impigri pervenimus
Ad primae classis lucem
Ulixis ab erroribus
Iliadis ad ducem.

14.
Thucydidis et Taciti
Nos opera formarunt,
Imprimis et Horatii
Nos scripta delectarunt.

15.
O Flacce, quam sunt splendidi
Poesis tuae flores!
Et odae quanti pretii —
Sint leves quamvis mores!

16.
Postremo felix abitus
Nos per societatem
„Mulorum" duxit protenus
Ad universitatem.

17.
Benignum Deum praedico,
Qui statuit examen:
Ni fieret tentatio,
Haud diceres: ex — Amen!

18.
Quare festivum canticum
Cantate nunc sonore,
Et exercete solidum
„Salmandrum" sueto more!

Quare Melita insula non sit inuenta

— Tunicensis historia —

Haec paulum antiquis temporibus agebantur.

Hassenius-Bey, nullo numero designatus - eius enim homonymorum infinita fuit series — Tunicense regnum tenebat, neque, nondum diariorum scriptorum arte maria transgressa, cuiquam in mentem uenerat de hoc queri. Tutor nullus Hassenio, propter Deum, erat, qui interdum eius inceptis fauere dignabatur.

Eum tamen in memorabili quodam casu deseruit, quem, iuuanti Omnipotente optimisque auctoribus, narrare aggressurus sum.

In regia apud Marsam domu, sub olenti mimosarum fronde, inter garrientes ad occasum solis passerulos, Hassenius mare contemplabatur, oscitabatque.

Nunquam tamen ad peregrinationes ullus allectus est Tunicensis rex, neque Hassenius alias regiones nouisse cupiebat, nisi sitientem campum, qui inter ruinosum Bardensem[1]) aquaeductum et Gamartii promontorii [2]) arenas panditur. Eum ille caeruleus infiniti pelagi orbis minime rapiebat, sed triginta mulierum uel concubinarum multiformibus ac peruiis amoenitatibus contentus erat.

Nihilominus Hassenius, postquam eum adierat Britannorum quaedam nauis, cupiditate inflammatus erat uidendi in hoc sinu naues uexilla sua ferentes, et optata primo suo ministro aperuit.

— O Domine, inquit ille, naves in Europa instruuntur, apud artifices quosdam, qui ingentem pecuniam exigunt, ingentiorem quam quod loculi nostri tenent. Nauem instrui iubere possumus, pro qua mercedem nullam impendere poterimus; christianisque istis occasionem praebuerimus, ut aliquo iurgio nos lacessant. Classem quidem nullam, classis tamen praefectum habemus.

Etenim inter aulicis dignitatibus praeditos uiros, quidam Byzantinus, Kara Ahmed nomine, illo honore cum minimi fructus tum nullius laboris auctus erat.

— Agedum, inquit rex obstinato animo, necesse est ut classis meae praefectus naues armare sciat. Eum de iussu meo admone, cui nisi paruerit patibulo affigendus est.

Nihil miratus Kara Ahmed maerore tamen affectus est. Quem dissimulans, mulo instrato, Portum Farinam petiit. Nam prouinciae fastos didicerat neque ignorabat Portum Farinam militarem fuisse portum praeclarorum remotorumque tyranni sui auorum.

Quo ubi aduenit, mirabundus tandem paulisper stetit. Cum enim quodam modo animo effingeret quid esset portus, nihil in his locis reperiebat quod huic simile esset, sed tantum lutosam paludem, in qua pauci macilenti Siculi in foetidos mullos retia jaciebant.

Isti tamen insulani eum molestia expediuerunt. Pretio enim modico pacto, annuerunt tabulas compingere lintris cuiusdam enormis, qui posset, ut uidebatur, uiginti admodum homines a Sidi bou Saïd usque ad Korbous transuehere. Utrum vero aquis innatare hic linter posset necne, nullus unquam comperit. Nam in crassa limi crusta defixus ab artificibus tra-

[1]) Le Bardo. [2]) Cap Gamart.

ditus est, in qua adhuc inest, nec quicquam aliud ibi dignum est quod uisatur.

Interea Kara Ahmed, diu suspensus inter timorem suspensionis grauioris, scilicet in extrema fune, et desiderium transeundi finis Numidici, tandem ad principem rediit, qui, cum nauis suae non oblitus esset, hilarior forte factus erat recenti aduentu albae cujusdam Caucasiae seruae, e scalmo Graeco emptae, qui saltem meabat, atque etiam, ut uidetur, haud inutilis erat.

Itaque in cachinnos effusus est de praefecti conturbato uultu, qui non commisit ut irasceretur.

— Maiorum meorum temporibus, inquit, minores certe naues erant, quae in palude tres cubitos alta nauigabant. Pro tuis uero sublimibus consiliis sinus ille totus haud spatiosior erit. Abi et omnia Goletae[1]) redintegra. Volo te post hos tres menses sub Aquis Persianis[2]) uela pandentem altumque petentem conspicere.

Quare Kara Ahmed aliorum Siculorum auxilio opus renouauit. Priores enim, post rem tam egregie gestam, furcam timentes, nusquam reperiebantur.

Et post tres menses, illa litora, quae olim uelis plenis iter tendentes Troianas galeas uiderant, remisque uada uerrentes Punicas, Byzantinas, Romanas triremes, eadem incerte iactatam, rudem amplamque cymbam conspexerunt.

— O rex, asseruit Kara Ohmed, classem nunc habes. Ad quam rem illa utendum est?

Sic uero interrogatus, Hassenius, cui tum longe alio mens uertebatur, grauiter haesitare coepit. Ad quam rem illa utendum esset nunquam, ut uera dicam, consuluerat.

Per tres autem dies haec cogitauit, post quas quaedam maximi ponderis res accidit: nigra enim seruicula, cui cura erat auicularum caueam tueri, eius portam apertam reliquit, felesque albae Caucasiae fuluas uolucres uorauit.

Principis amica continuo creberrimis uiolentissimisque neruorum contractionibus affecta est, quibus tenellus mariti animus uehementer est commotus. Illius ut dolorem molliret, alias fuluas uolucres inconsulte promisit, quas statim quomodo comparaturus esset prorsus nesciuit.

Aulicus uero callidus quidam eum negotio soluit, fuluas uolucres Melitae inueniri; illinc tantum exquirendas esse.

— At quaenam est ista Melita?

— Insula quaedam, o rex, alicubi marium.

— Insula! Ergo transeunda sunt aequora. Mirum est mihi forte esse classem. Deus ipse mihi opportunitatem praebuit ea utendi, hoc ipso tempore, cum mihi Jllius diu frustra obsecrati Prouidentia dubia fieri coeperat.

Ancoras soluit Kara Ahmed, et cymba, Austro idoneo impulsa, breui Bonum Promontorium[1]) superauit. Ubi Malta? Nempe in mari. Fieri igitur poterat ut in eam inciderent. In cha Allah![2])

In eam tamen nunquam inciderunt. Contrarius enim uentus afflare coepit, et praefectus classis, dum grates Aeolo musulmano agit, cuius beneficio e conspectu terrae non auferebatur, Kelibianas arenas molliter appulit. In his gelidis uallibus dum se calor frangeret permansit, post quae eadem Prouidentia quae Tunicensium praefectorum periplos regere solet, eum haud procul Goleta reduxit.

Ceterum Hassenius oblitus erat sibi esse classem classisque praefectum; et Caucasia, absentibus uolucribus, aliis oblectamentis detenta erat.

Principi tamen, ubi Karam Ahmed agnouit, veterem aliquam cupidinem recordari uisum est.

— Quid noui, percontatus est, Melitae?

— Domine, Melitam haudquaquam esse comperimus. Cuncta enim maria pererrauimus, at de hac nihil audiuimus. Melita uanum tantum uerbum est, neque ulla sic appellata terra solis lucem accipit.

Hassenius autem, cui geographia

[1]) La Goulette [2]) Hammans Life

[1]) Cap Bon. [2]) Ita deus iuuerit!

minime curae erat, animi incertus primo obmutuit.

— Attamen, deinde inquit, qui sunt isti uiri mulieresque, capite nigris uelis obtecto, qui, inter meos subditos, sese Melitenses ferunt?

— Qui sunt . . ? Et Ahmed sua uice dubitatione aestuabat. At eius mentem Deus inspirauit: siquidem nulla est Melita, nulli Melitenses esse possunt, nec uiri nec mulieres . . . Forsitan, o rex, istos Arabica lingua loqui animaduertisti . . . Ergo Arabes sunt . . . Non dubium est quin eorum ad idolatriam castigandam sermonem Deus perturbauerit . . . Nisi forte ipsi elocutionis uitium simulant, ut peregrini habeantur, subque Europaea tutela eorum, qui uerum deum colunt, legitimam iram auertant.

Hassenius uero de his rebus amplius cogitare noluit. Ei enim aliae feles, ut Galli dicunt, flagellandae erant, propter eam quae fuluas uolucres comederat.

Neque historiarum scriptores ullam aliam Tunicensis classis explorationem ferunt.

Tunete — Henricus Bigot

Varia

De summi apud Britannos poetae loco quodam ab Achille Tatio mutuato.

Fabula de Leucippes et Clitophontis amoribus iam anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto ab Annibale Cruceio e graeco in latinum conversa in omnium manibus versabatur. Quae cum ita sint, verisimile fit locum illum apud Britannum poetam ubi Claudii vice Ragozinus supplicio necatur*) ex hoc fabulae graecae loco desumptum esse:

> Tum illa (Leucippe), Mulierem, inquit, ex iis, que praecio prostant, cum allexissent, nautarum uni eam in uxorem daturos se esse pollicentes, in navi posuerunt, quamobrem quidem adesset, vere nescientem, sed piratarum uni, qui eius amator esse ferebatur, occulte adiunctam. Postea vero cum me rapuissent, remisque ac velis fugae incumbentes navem insequentem viderent, detracto miserae illi vestitu omni, eo me adornaverunt, meoque deinceps ornatu indutam illam summa in puppi collocarunt ita, ut a persequentibus cerni posset, ac capite privarunt: cadavereque, ut vidisti, in mare proiecto, caput aliquantisper intra navim, uti ceciderat, tum retinuerunt: quod non ita multo post, cum iam qui se sequerentur, nullos amplius haberent, pariter est deiectum. Mihi vero incertum est, eane de causa, an potius, ut quod de me postea factum est, venundaretur, mulierculam illam comparassent. Illud certe constat, eam, mei loco, ut insequentes eluderent, iugulatam, existimantibus illis, maius ex mei, quam illius venditione, lucrum se facturos.

(Achillis Tatii Alexandrini de Leucippes et Clitophontis libri octo. Rec. Fridericus Jacobs, Lipsiae MDCCCXXI p. 383)

Scribebam Vigorniae die XXIII augusti, 1910.

Joseph de Perott

*) Measure for Measure V, I.

Libri rariores quomodo requirantur

Permulti, credo, lectorum ignorant Berolini esse, a quibus quaeri potest, in qua ex bibliothecis Germanicis suam hac in re operam professis quivis, quem forte desiderent, liber inveniatur. Quod quam utile sit nobis in litterarum studio versantibus, facile apparet, eo magis, quod omnibus licet hac facultate uti. Nam nihil ad hoc opus est, nisi ut unicuique quaestioni pittacium tabellarium Germanicum adiungatur denarium, quod ni fiet, responsum non dabitur. Omnes autem epistulae sic inscribantur:

Auskunftsbureau der Deutschen Bibliotheken,
Berlin W. 64,
Behrenstr. 70.

Sententia

Mors, quam pertimescimus ac recusamus, intermittit vitam, non eripit: veniet iterum, qui nos in lucem reponat dies. Seneca

Ex Epistulario Redactoris

S. P. D. Litteras tuas ad collegam meum misi, Oratorem Publicum Universitatis Oxoniensis, qui nuper Rooseveltium ibi commorantem oratione lepidissima recepit, nec dubito quin ille ex humanitate sua textum orationis tunc habitae tibi communicare velit vel statim vel postquam feriis aestivis completis Oxoniam redierit.

a. d. IV. Cal. Iul. MCMX M...

Ὦ φίλτατε συντάκτα!

Πέμψον μοι πρὸς τῶν θεῶν ὅττι τάχιστα διὰ ταχυδρομείου τὴν ὑμετέραν ἐφημερίδα Civem Romanum — Ἔχοις ἂν φράσαι μοι, ὅπου ἔφηνε θησαυρὸς τῆς γλώττης τῆς νέο-ῥωμαϊστῆς; καὶ πόσου; ὠνήσομαι τοιαῦτον, ἐὰν σύ μοι εἴπῃς τὸν βιβλιοπώλην. Χάριν γε εἴσομαι, ἐὰν τοῦτο ποιῇς. Χάρισαί μοι! Ἀσπάζεταί σε

Ἐκ Κ... 3. 7. 10. Θ...
ποιμήν.

De Rooseveltio in Universitate Oxoniensi Latina Oratione salutato

Theodorus Roosevelt, cum aestate huius anni per Europam iter faceret, Oxoniam quoque adiit, urbem universitatemque laude doctrinae antiquitus inclutam. Quo cum advenisset, senatus academicus illius consalutandi causa d. 7° Iunii extraordinariam habuit sessionem, quam convocationem dicunt Britanni, de qua, cum Latine dixerint oratores, lectores nostri haud nolunt, ut opinor, quaedam sibi narrari.

Praeerat sollemnitati universitatis cancellarius, Lord Curzon of Kedleston, qui contioni praefatus est his verbis:

Causa huius convocationis est, academici, ut, si vobis placuerit, in virum honorabilem Theodorum Roosevelt, Civitatum Foederatarum Americae Borealis olim praesidentem, gradus doctoris in iure civili conferatur honoris causa; ut praelectio exspectatissima ab eodem, doctore in universitate facto novissimo, coram vobis pronuncietur; necnon ut alia peragantur, quae ad venerabilem hanc domum spectant.

Placetne igitur venerabili huic convocationi ut in virum honorabilem Theodorum Roosevelt gradus doctoris in iure civili conferatur honoris causa?

Placetne vobis, domini doctores? Placetne vobis, magistri?

Qui cum annuissent, ille, ad accensos vel, ut aiunt hodie, pedellos se convertens:

Ite, inquit, bedelli! Petite virum honorabilem! quo facto, dum Rooseveltius sedem occupat honoris gratia sibi datam, cancellarius collegam suum vicarii vice fungentem sic est allocutus:

Hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,
Cuius in adventum pavidi cessere cometae
Et septemgemini turbant trepida ostia Nili!

Tum vero Dr. Henricus Goudy, iuris civilis professor, hanc habuit orationem:

Insignissime cancellarie!
Vosque egregii procuratores!

Saepenumero mihi et antea contigit plurimos e republica illa illustri oriundos, affines nostros, vobis praesentare gradum honorarium doctoris in iure civili accepturos, inter quos vel nomina praestantissimorum hominum citare in promptu esset. Neque tamen quemquam vel suis ipsius meritis vel fama digniorem, qui hoc titulo donaretur, salutavi, quam hunc virum quem ad vos duco.

Batavorum antiqua stirpe ortus, sicut et nomen ipsius inclitum indicat, Americanae patriae verum civem sese praestitit; in qua nemo sane laudem maiorem reipublicae suae, suorum iudicio, contulisse creditur.

Tardius quidem ad Britannos fama nominis inclaruit, imprimis tum quum certamine inter Hispanos atque suos orto, alae equitum praefectus, rei militaris sese peritissimum ostentabat. Huic autem, omnia scire ardenti, nulla pars humanitatis supervacua aut negligenda videbatur. Manifesto quippe declaravit, ut cum poeta loquar:

'Non sibi sed toti genitum se credere mundo',

atque exinde annales, non tantum patriae suae sed totius terrarum orbis, exemplo virtutis implere.

Quippe bis Hercule! in locum amplissimum praesulis reipublicae suae electus egregio illo in statu ita se gerebat ut laudes et nomen magni illius antecessoris, Abraham Lincoln, vel aequipararet—quorum alter servitudinem, alter corruptionem vicit. Unde et spem licet concipere ut viro bis summum civitatis honorem adepto accedat et denuo idem ille honor terna vice, numero auspicatissimo, numerandus

Fortem hospitis nostri animum et tenacem propositi novimus; felicitati et otio non modo suorum sed etiam gentium exterarum consuluit: bellator ipse atque idem pacis omnibus terrae gentibus firmandae auctor indefessus, sicut et exemplum illustre praebuit, nuper foedere icto, post bellum inter Iapones et Scytharum populos gestum. Neque idem pacem veram esse iudicavit, nisi quae iustitiae et ipsa inniteretur; quippe civitates laude dignas negavit quibus nec in se ipsis constaret fides et animi magnitudo.

Venatoriam artem exercuit, historiae naturalis amator; post dimissum opus civicum requiem in Africae solitudinibus nuper quaesivit, ubi in feras terrae non minore animo, successu haud minore, ferrum exacuit, quam in malos saeculi mores saevire solitus est.

Iam tandem, laboribus functus, patriam suam repetiturus nobiscum paulum temporis commoratur Ulysses ille alter, viarum pariter expertus et consiliorum largitor.

Neque praetermittendum est hospitem nostrum, dum varias artes colit, Musarum opus non neglexisse, stilo non minus quam lingua facundus; quem nos, Academici, magnis de rebus loquentem hodie audituri sumus

Hunc igitur praesento

Theodorum Roosevelt,

ut admittatur ad gradum doctoris in iure civili honoris causa.

Hac oratione finita Rooseveltius novae dignitatis suae insignibus vestitus est, cancellario his verbis ceremoniam subsequente:

Strenuissime, insignissime, civium toto orbe terrae hodie agentium, summum ingentis rei publicae magistratum bis incorrupte gestum, ter forsitan gesture, augustissimis regibus par, hominum domitor, beluarum ubique vastator, homo omnium humanissime, nihil a te alienum, ne nigerrimum quidem, putans, ego auctoritate mea et totius universitatis admitto te ad gradum doctoris in iure civili *honoris causa*.

Tum iterum ad pedellos:

Ite, bedelli! Ducite doctorem honorabilem ad pulpitum!

Pulpitum accensurus Rooseveltius a cancellario nomine civium Oxoniensium Anglico sermone salutatus est et rogatus, ut sermonem inciperet suum, quo finito cancellarius collegam suum contionem dimittere iussit:

Iamque tempus enim est, insignissime mi vice-cancellarie, dissolve, quaeso, convocationem, quod hic fecit his verbis:

Celsissime domine cancellarie, iussu tuo dissolvimus hanc convocationem.

Quibus de rebus Rooseveltius disseruerit in oratione sua doctorali, ex programmate ad me misso nescio quo modo non apparet.

L.

Censura Librorum

Die Stimme. Centralblatt für Stimm- und Tonbildung, Gesangunterricht und Stimmhygiene. Herausg. von San.-Rat Dr. Th. S. Flatau, Rektor K. Gast u. Rektor A. Gusinde. Berlin, Trowitzsch & Sohn. Pr. trimestre 1.50 M.

Non alienum videtur a nostris rationibus, animos lectorum iterum convertere ad menstruum, cui a voce nomen inditum est, commentarium. Quo quae continentur, non ad magistros solum magistrasque pertinent canendi, sed ad cantores quoque, actores, oratores, immo vero omnes excolendae voci humanae quolibet modo operam dantes. Testis sit ipso hoc mense qui prodiit fasciculus, in quo Dr. Uhlig Gedanensis de Conrado de Zabern et Blasio Rosetto disserit, duobus, ut ait, nostrae vocis excolendae artis praeconibus antiquis, professor Marschner Vindobonensis de linguae Germanicae vocali difficillima, Vogel Berolinensis de vocis probandae ratione. Praeterea recentissima insunt de pueris superiorum scholarum Borussicarum cantari docendis praecepta, nuntii de concentibus, de artis musicae peritis eorumque conventibus aliaque multa Ut in unum omnia, quae diximus, comprehendamus — digna est »Vox«, quae omnibus enixe commendetur. S.

Casimirus Morawski, Historia litterarum Romanarum temporibus liberae reipublicae. (Opus lingua Polona scriptum) Sumptibus Academiae Litterarum Cracoviensis. Cracoviae 1909. 8°. X + 365 pp.

Septimum iam praeterlabitur lustrum, ex quo Casimirus Morawski, litterarum antiquarum in Universitate Iagellonis Cracoviensi professor, historiam litterarum Romanarum praelectionibus academicis habitis tractare coepit. Opere, cuius inscriptionem supra indicavimus, edito auctor, philologorum Polonorum hodie facile princeps, de civibus suis scientiae historiae litterariae Romanorum avidis optime meritus est. Hucusque enim desiderabant Poloni opus, quod medium quodammodo teneret locum inter historiam litterarum hominum doctorum rationibus accommodatam et historiam in usum hominum profanorum scriptam. Huic desiderio auctor optime satisfecit opere suo ad eas potissimum rationes composito, quas Fridericus Aly in libro suo, c. i. Geschichte der römischen Literatur, secutus est. Praefationem, in qua libri de historia litterarum Romanarum a celeberrimis viris doctis in usum Germanorum, Anglorum, Francogallorum, Italorum scripti recensentur, Theodori Mommseni in hanc quoque doctrinae partem singularia merita extolluntur et S. Teuffelii opus M. Schanzii »Historiae« praefertur, vivida et perspicua sequitur enarratio historiae litterarum Romanarum inde ab initiis usque ad Ciceronis tempora, sed ita, ut hoc volumine tantummodo Lucretius et Catullus pertractentur, Cicero et ceteri eiusdem aetatis scriptores sermonis pedestris posteriori volumini reserventur. Dignissima, quae legantur, et iucundissima sunt ea, quae Morawski de Plauto et Terentio eorumque comoediis, de Ennio eiusque poesi, de Lucilio eiusque satiris, de Lucretio eiusque carmine philosophico, de Catullo eiusque poesi, de M. Porcio Catone eiusque operibus scripsit. Auctor accuratissima scriptorum Latinorum notitia imbutus ubique ex pleno, ut aiunt, haurit neque umquam hortulos suos alienis rivulis irrigat. Ad calcem uniuscuiusque capitis praestantissimi codices, editiones, commentarii, libri, dissertationes enumerantur, quae ad personarum et rerum ab auctore tractatarum rationes recte aestimandas maximi sunt momenti, veluti in fine capitis, quo de Ennio tractatur, haec afferuntur: Vahlen, Ennianae poesis reliquiae, L. Mueller, Q. Ennius, Patin, Études sur la poésie latine, Elter, »Donarem pateras« ([Bonnae] 1907), Wendland, Die hellenistisch-römische Kultur, Gerhard, Phoinix von Kolophon (cf. addenda p. 359). Ad vitas et sententias imprimis poetarum illustrandas saepissime citantur versus ex ipsorum carminibus aut fideliter exscripti aut ab ipso plerumque Morawskio in linguam Polonam translati. Indice quidem liber, de quo agimus, caret, sed hoc damnum aliqua saltem ex parte summario (p. 361—365) resarcitur. — In praefatione (p. IX) M. pollicetur se proximo anno alterum volumen »Historiae« suae adornaturum, postea vero

etiam posterioris aetatis historiam litterariam enarraturum esse. Adhuc, quod sciam, volumen secundum non prodiit. Utinam viro doctissimo de scientia litterarum Romanarum apud Polonos propaganda meritissimo consilium suum exsequi per Deum Optimum Maximum liceat!

Stanislaopoli Z. Dembitzer

Dominicus Pianoroli Moroni: Arborum festum. Napoli, F. Casella fu G., 1910. 1 l.

Parvula ecloga, ad sollemnitatem quandam (ut videtur) in patria celebrandam a poeta Italo composita, sat feliciter efficta est ad exemplar Vergili. Igniculos poeticos in ea scintillare nemo negaverit. Sed dolendum est poetam saepissime leges violare prosodiacas, velut: videns (i prod.), thymus (y prod.), caseus (a corr.), figens (i corr.), salus (u corr.), miror (u corr.), amoenus (a prod.); paulo durius tornatus est hexameter: »Arboris indixit festum herus ille Menalca«: asperitatem prae se ferunt locutiones: »festantes pangite vites« et »ipsa pudet Cypris«; alia quaedam, quae insunt emendanda, typothetarum incuriae videntur imputanda, velut »ulmo ab alto«, »robura« al. — »Minima non curat praetor« vetus docet proverbium; sed poeta vel minutissimam quamque regulam prosodiacam aut grammaticam religiosissime curet atque observet necesse est. F. P.

Periodica:

Iuventus. Ephemeris in usum iuventutis studiosae (Ed. Dr. Stephanus Székely, Budapest, IX, Üllői-út 71) Ann. II, num. 7/8: Sub exitum anni — De Pompeis VII — Turkovitsch, De arbore Christi — Trájber, Operarius et dominus — Reditus Ulyssis VI — Gymnica — Adalbertus, Colloquium duorum montium — Aeronautica — Vinum et alea — Donath, Oblectamenta iucunda — Szendefi, Tres fures — Domus liberti ditati — Natali sancto — Probus, Robinson XVI — Nuntii recentissimi — Salse dicta — Aenigmata — Epistolia officialia

Libri a lectoribus oblati venales:

Unschuldige Nachrichten von Alten u. Neuen Theologischen Sachen, Büchern, Urkunden, Controversien u. d. g. Zur geheiligten Übung verfertiget von Einigen Dienern des Göttlichen Wortes. Auff das Jahr 1712. Leipzig, Verlegts Joh. Friedr. Braun. (Vol. corio suillo comp.)

Hermes. Zeitschrift für klassische Philologie. Her. von Georg Kaibel u. Carl Robert. 31. Bd. (1896) Berlin, Weidmann. Gbd.

Si quis emere cupiat hos libros, nuntiet, quanti esse sibi videantur, redactori.

Iam novum incohantibus annum amicis
Gratulatur ex animo fideli
Et laetissima quaeque eis precatur
Roscius ludi emeritus magister.

Libri libellique dono accepti:

(Pretia significant libros libellosque consutos, nisi aliud indicatur.)

Cäsarius von Heisterbach, Erzählungen. Aus dem Lateinischen von M. Bethany (Kulturgeschichtliche Bücherei: 1) Kötzschenbroda und Leipzig, Thalwitzer. 64. 0.25 M.

J. Babl, De epistularum latinarum formulis. Progr. Bamberg 1893. 40. 1.20 M.

J. M. Meunier, Origine du Nom de Lieu Saint-Benin-d'Azy (Nièvre). Nevers, G. Vallière, 1907, 32. 1 frc.

—, Histoire du Nom de Lieu Chaulgnes (Nièvre). Ibid. 1907. 32. 1 frc.

—, De l'Utilité de la Linguistique et de son Application à la Géographie. Ibid. 1908. 22. 0,50 frc.

—, Deux Nouveaux Oppida terminés en-durum dans la Celtica. Ibid. 1908. 38. 1 frc.

—, L'Emplacement de Noviodunum Aeduorum de César et le Nom de Nevers. Ibid. 1907. 32. 1 frc.

—, La Prononciation du Latin. Discours. Corbigny, Ch. Sillard, 1908. XV + 22, 1 frc.

D. Pianaroli-Moroni, Arborum festum. Neapoli in aed. F. Casella 1910. 4. 1 l.

A. Brie, Neue Burschenherrlichkeit. Berlin, Verlag der „Lustigen Blätter", 1911. 64. 0.60 M.

Chr. Roese, Unterrichtsbriefe für das Selbst-Studium der Altgriechischen Sprache. III. Kursus: 37.—48. Brief. Leipzig-R., E. Haberland, 1910. 2. Aufl. XXXI + 589—797.

J. Tolkiehn, Cominianus. Beiträge zur römischen Literaturgeschichte. Leipzig, Theodor Weicher, 1910. VI + 174. 5 M. (comp. 7 M.)

Das Apicius-Kochbuch aus der altrömischen Kaiserzeit. Ins Deutsche übersetzt und bearbeitet von Richard Gollmer. Mit Nachb. alter Kunstblätter, Kopfleisten u. Schlussstücken. Breslau, Alfred Langewort, 1909. 6 M (elegantiss. tegumento membran., frontibus aurat. 7,50 M)

E. Ciccotti, Der Untergang der Sklaverei im Altertum. Deutsch von Oda Olberg. Berlin, Buchhandlung des „Vorwärts", 1910. M 4,50.

E. Ulbricht, Grundzüge der alten Geschichte. 2. Teil: Römische Geschichte. 4. Aufl. (von Dr. W. Becher) Meissen, W. Schlimpert, 1910. 87. 1.50 M (comp.)

K. F. v. Nägelsbach, Lateinische Stilistik. 9. Aufl. besorgt von Iwan Müller. Nürnberg, Konrad Geiger. 1905. XXXII + 942. Pr.?

Corrigenda

In pag. 88 lege: (post Daeberitz) **Elsterberg** (Vgtl.); pg. 94: **Volsci** Viae Ferratae...,

ibid. **puncta** ponantur post: spond et: tribr; item pg. 95 post: comica. Ibidem legendum est: non ipse praeesse (substantiva in or desinentia, ut **redactor**, quod typotheta scire debuit, **masculini** generis sunt) Sententiis latine vertendis addi velim **pro optima versione S. L. gratis datum iri per IX menses.**

Responsorium

R. H.: Uterque merito reprehenditur: et qui lapsus est et qui non correxit lapsum. At ubi est, qui nunquam se errare dicat? De pensis latinis idem quod nuper existimo monendum commentarii nostri moderatores nequaquam omnia, quae contineantur illis, probare, lectoribus autem aliena quoque quae sint eorum sensibus, putare interdum esse proponenda, ut rebus quam maxime variis vires exerceantur. Valeas.

P. D.: Post longius intervallum hoc commentarii nostri utor spatio, ut tibi dicam, quantopere gravisus sim te in otio quoque tuo legere illum perrexisse. At cur non ipse manus, ut aiunt, admoves operi, quemadmodum olim promisisti? Tua enim legere, quippe qui optime Latina lingua utaris, vehementissime avemus. Vale.

B. G.: Desiderata a te exemplaria misimus sine mora. Quae quod amicis te daturum esse polliceris, gaudemus eoque magis, cum etiam mercede carere facile posse videaris. Nam quidquid lucri facimus ex opera nostra, id propagando, ut aiunt hodie, commentario conditur, quod ni faceremus, segnitia ac languore eorum, quibus publice mandata est veterum linguarum cura, vinceremur. Cave vero credas nos gratuitas utique exspectare scriptiones: immo libentissime, quantum flagitaris, persolvemus. Valeas.

B. S.: Ex mea navis Lloydianae descriptione cognovisse te dicis lectoribus ne obstetricem quidem deesse navigantibus. Tanta nos privilegia habere apud societatem illam putas? O te hominem facetiosum! Lectores enim, ut grammaticorum more loquar, non pendent ab obstetrice, sed ab illo »notum« adiectivo. Vale.

R. A.: Locutionibus nostris: „Merkwürdig kontrastieren mit . . .", „einen merkwürdigen Gegensatz bilden zu . . .", „in sonderbarem Widerstreit stehen zu . . ." optime respondet: mirabiliter repugnare alci rei, ut est apud Ciceronem (Tusc. II, 11): Videre licet . . . . . multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter repugnet oratio . . .

A. C.: Semper nobis gratissimum facis, si bibliopolam tuum catalogos antiquarios ad nos mittere iubes, de quibus in S. L. referatur. Idem enim plures iam fecisse gaudemus. Vale.

R. O.: De thea potione quem dicis versus reperitur in Historia Simplicium Reformata, quae prodiit Gissae ao. 1716. Est hic:

Sanitati si consultum
Et a morbis variis
Tutus senex esse vis,
Tibi semper esto dictum:
Recipe
Potum Thee,
Qui per nobilem virtutem
Tibi reddet iuventutem.

Lignario: Memineris velim haec verba Tasseti: »Quo magis id considero, eo certior fio confirmata veterum auctoritate verba, quum plura esse quam quae orator exercitatissimus omnia teneat ac persentiat, tum in sensus omnes omnis aevi exprimendos plurimum valere; sed multis indigere artificibus qui sententias ex iis in omnes loquendi locos constituant atque adornent.« Vale.

Aenigmata

composuit

Saravinus.

I

Proh, genus est monstri! quoties reseces caput illi,
Continuo surgit viribus usque novis:
Iure carens proprio nomen sex litterularum
Non humeris molem denegat esse gravem;
Si capite orbatum capiet te, voce laboras;
Principio priva nomen, et ales erit;
Huic iterum caput abscindas, roburque loquetur,
Quod capite amisso monstrat adesse virum;
Scinde caput restatque nihil nisi sibilus anguis!
Sis animo forti, non nocet Hydra tibi!

II

Sum communis avis, quam quisquis novit et odit,
Sed caput orbus idem cum trabe significo.

III

Una eadem vox est, sed significatio duplex:
Ipsa quidem vultus, arboris atque decus.

Horum aenigmatum qui solverit duo intra triginta dies, unius sortis particeps erit in urna, qui omnia, duarum. In sortitionem dabitur libellus:

Jacobi Vanierii Opuscula. Monachii et Ingolstadii MDCCLXII.

Aenigmata num. II soluta:

1) Dulce viatori se per malefida ferenti
Aequora vicino cognoscere litore tutum.
2) Nulla sus ex sordibus suis periit.
3) Barbara comma meum colon mirabile punctum

Omnia solvit:
Lehmann,
duo:
Bodenstein, Hertel, Draheim, Fischer, e quibus
praemium sortitus est:
F. Fischer Eisenbergensis.

Aenigmata num. III soluta:

1) Cor — sica 2) robigo, ferrugo, aerugo 3) ROMA — AMOR — MORA

Solverunt cuncta: Lehmann, Dembitzer, Saravinus, Malyniak, Weller, Hertel;
duo: Gustafsson, Müller, Peltenburg, Roesch, Fischer, e quibus

praemia sortiti sunt:
Hertel Grossneundorfensis et Malyniak Slivnicensis.

Alia responsa missa sunt ad 2: lima, ad 3: Zeus — Suez.

Aenigmata num. IV soluta:

1) Scena — cena 2) vultus, vultur, cultus 3) arista — crista

Cuncta solverunt: Draheim, Nordström, Hertel, Lehmann.

Praemia sortiti sunt:
Draheim Friedenauensis et Nordström Helsingforsiensis.

Sententiae latine vertendae:

Ist nicht ein Jahr wie ein Tag? Frühling — Morgenhelle — Hoffnung, voll Liederklang. Hoch schwinget sich das Menschenherz auf. Sommer — Mittagsglut — lebendiges Treiben und rüstiges Schaffen. Herbst — der stille Nachmittag — Träumen der Seele — Dämmerstunde. Winter — der Abend; die Schatten der Nacht eilen voraus. Um der Lampe Schein geschart sitzen die Menschenkinder. — Also ein neuer Tag, das Jahr 1911. Jesus Christus, der Herr der Zeit, rät Dir, diesen Tag auszunützen. Du weisst nicht, ob 1911 nicht etwa ein Kreuzlein hinter Deinen Namen gesetzt wird. Du weisst es nicht! Also gibt es zu arbeiten, so wie Christus arbeitete, nicht mit Seufzen und Stöhnen und Murren. Nein, wie der Herr, rastlos, freudig, für andere, für die Deinen . . . Die Nacht kommt. — Die Nacht? Was soll sie bringen? Da ist es halt zu Ende. „So? wer sagt Dir das?“ Ach, die Nacht hat nur Träume, Schäume. „So? weisst Du das gewiss? Was sagt Christus: in der Nacht kann niemand mehr wirken. Das soll heissen: jetzt ist Dir Zeit gegeben, Deine Kräfte zu entfalten . . . Also arbeiten! „Arbeiten und nicht verzweifeln.“ . . . Die Werke des, der den Herrn uns gesandt hat, lasst uns tun. Ihr alle wisst, was das für Werke sind: Treue im Beruf, fröhliches Emporstreben in wirtschaftlicher und geistiger Beziehung, einem jeden Stand seine gebührende Ehre geben, Werke der Gerechtigkeit tun, der Barmherzigkeit und vor allem der Bruderliebe. Das erwarte Gott von allen Ständen und Klassen, von allen Berufen, von Dir im neuen Jahr 1911.

(Verba Däberitzii, Parochi Elsterbergensis, mutatis numeris paucisque locis omissis deprompta ex calendario quodam Oelsnitziensi)

Huic penso qui satisfecerit optime, Civem Romanum gratis accipiet per X menses. Versiones intra sexaginta dies huc pervenire debebunt.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

prodit idibus cuiusque mensis mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven)*, pecuniae vero, epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,* Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., *Eschersheimer Landstrasse 112.*

Nomina et domicilia

eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Glendale — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Krakow — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Krakow — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — J. Tasset, Tonnerre — C. Thieme, Parochus, Calbeck — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Typographus: Carolus Wiechert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

(NOVA ›CIVIS ROMANI‹ SERIES)

Menstruus Ad Linguam Latinam Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Annus VIII: Numerus VIII

— **Procurant negotia** —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
in Russia: K. L. Ricker, St Petersburg, 14 Newsky Prospekt

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguam Latinam
Nostrae Aetatis Rationibus Adaptandam Commentarius

Ann. VIII Francofurti a. M., Mens. Ian. et Febr. MCMXI Num. VIII

Sacra Eleusinia

Carmen Schilleri
latine vertit
Ioannes Draheim Friedenauensis

Aurea nectite serta spicarum,
Addite flores cyaneos!
Plena sint omnia laetitiarum,
Nam regina venit ad nos.
Barbarorum mores pacavit,
Hominem sociat homini;
Domos placidas aedificavit
Pro tentorio mobili.

Antris montium latebat
Troglodyta pavidus;
Nomas pascua linquebat
Denudata frugibus.
Tum minantia vibrabant
Venatores spicula;
Morituri, heu, natabant
Naufragi ad litora.

Omnia pervagabatur
Ceres rapta filia;
Errabunda ferebatur
Ad inculta litora.
Nullum, ubi commoretur,
Invenit hospitium,
Nec ut deus adoretur,
Monet aedificium.

Nullae dulcium spicarum
Deam fruges advocant;
Ossa hominum ararum
Diros focos decorant.
Quoquo venit vagabunda,
Adspicit miseriam;
Mente perdolet profunda
Hominum incuriam.

»Hominis, heu, talem specto
Visum divis congrui,
Cuius corpore perfecto
Gloriantur superi?
Tellus tradebatur isti
Usui deipara,
Et in regno corde tristi
Errat sine patria!

Nemo deus miseratur?
Nemo iam caelestium
Opem ei machinatur
Tollens infortunium?
Caelum incolunt serenum,
Nil doloris sentiunt;
Meum cor doloris plenum
Nefas, angor opprimunt.

Homo sit ut homo vere,
In aeternum foedera
Sancta faciat sincere
Terra cum frugifera.
Legem temporis servato
Ambitumque mensium,
Qui componunt cantu grato
Sanctum anni numerum.«

Rumpit nebulam velantem,
Quae caelestem occulit,
Et in medio adstantem
Turba deam conspicit;
Multitudinemque festam
Vidit in convivio;
Sanguine repletam testam
Offert sacrificio.

Sed horrore truculenta
Dea flectit acies:
»Cena tigrium cruenta
Non oblectat caelites.
Deus amat sacra pura,
Fruges, quas auctumnus dat;
Pia dona ferunt rura:
Deus haec desiderat.«

Arripitque pondus pili,
Quod armabat militem;
Teli trucis tum hastili
Levem sulcat pulverem;
Ex coronae spicis demit
Unum granum fertile;
Tenero dum sulco premit,
Germinat ex semine.

Exin area contexit
Calamis se vegetis;
Oculus quo circumspexit,
Aurum undat segetis.
Terram sacrat dea caram
Colligens manipulos
Lapidemque facit aram,
Et divinum infit os:

»Iuppiter, qui regis mundum
Ex Olympi culmine,
Esse sacrum hoc iucundum
Signa, precor, omine!
Huius infelicis gentis,
Quae te nondum nominet,
Exue tu nubem mentis,
Deum ut te praedicet!«

Preces dictas a sorore
Iuppiter in regia
Audiit et cum fragore
Clara misit fulgura.
Ignis crepitans flammabat
Surgens per altaria;
Gyros ducens advolabat
Pernix Iovis aquila.

Et commotum ad genua divae
Vulgus laetum se proicit
Vique humanitatis festivae
Crudus animus diffluit,
Abiciuntque tela cruenta,
Triste pectus aperiunt
Ac divina iam documenta
A regina percipiunt.

Scandunt sedibus thronorum
Omnes iam caelicolae;
Themis ipsa ducit chorum
Sceptro cum iustitiae.
Unicuique quid sit dandum,
Aequiter diiudicat
Et ad sanctum iusiurandum
Stygem testem advocat.

Venit deus caminorum,
Iovis sollers filius,
Doctus opifex vasorum,
Inclutus fictilibus.
Docet forcipem tenendum,
Docet usum follium
Et ad vomerem fingendum
Primum tollit malleum.

Ardua Minerva hasta
Agmini caelestium
Praeest mittens, dea casta,
Clarum vocis sonitum,
Muros firmos conditura
Omnibus praesidio
Et dispersa coniunctura
Vinculo consocio.

Amplis passibus grassatur
Per camporum spatia;
Gradientis comitatur
Terminus vestigia.
Fert catenam metientem
Super collem flavidum,
Amnem etiam torrentem
Claudit in circuitum.

Quae in montibus bacchantur
Dryades, Oreades
Et Dianam comitantur
Venatrices virgines,
Omnes operi cinguntur;
Sonant laeta carmina;
Et secures dum tolluntur,
Silva cadit pinea.

Deus caerulo amictu
Tum emergit fluvio,
Pulsat ratem gravi ictu
Numinis imperio;
Horae adeunt volantes
Adiuvantque celeres;
Duros truncos dedolantes
Reddunt leves, teretes.

Et Neptunus vi tridentis
Adiuvans caelicolas
Eruit ex fundamentis
Iam columnas saxeas,
Quas veloci manu pollens
Vibrans tanquam ludicrum
Cum Mercurio attollens
Vallum struit moenium.

Sed Apollon ex canoris
Fidibus harmoniam
Elicit et cum clangoris
Numero melodiam.
Deo concinit Camena
Octo cum sororibus;
Adiunguntur cantilena
Lapides lapidibus.

Fores Cybele portarum
Ponit manu strenua
Obicique ianuarum
Addit claustri vincula.
Cito di consociati
Peragunt miraculum,
Et magnifice ornati
Muri splendent aedium.

Adest, ecce, cum myrtorum
Serto dea regia
Et pulcherrimum pastorum
Iungit cum pulcherrima.
Venus ipsa cum Erote
Ornat primos compares;
Omnes di honorant dote
Et fortunant coniuges.

Atque cives iam recentes
Deis deducentibus
Intrant portas bipatentes
Festis cum carminibus.
Et ad Iovis aram diva
Fungens sacerdotio
Ceres prece cum festiva
Benedicit populo:

»Libertatem amat fera,
Liber deus imperat;
Iussa pectoris severa
Cor ipsorum perdomat;
Homo medius illorum
Homini se societ;
Sola sanctitate morum
Liber sit et imperet.«

Aurea nectite serta spicarum,
Addite flores cyaneos;
Plena sint omnia laetitiarum;
Nam regina venit ad nos.
Dulcem patriam nobis donavit,
Hominem iunxit cum homine;
Deam, quae mundum felicitavit,
Matrem canite, canite!

Nicolai Vernulaei

De Peregrinatione*)

in Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam dissertatio

Oratio I: Itali Oratoris

Peregrinationem melioris omnis cultus magistram, civilium morum formatricem, verae prudentiae procreatricem esse atque ab iis, qui in reipublicae gubernaculis aliquando versari desiderant, suscipiendam, ornatissimi et humanissimi auditores, quemadmodum ingenue confiteor, ita omnium recte sentientium iam pridem opinio comprobavit. At vero, quaenam tandem ex tot orbis terrarum provinciis suscepta peregrinatione perlustretur, interest profecto non parum. Nemo ex immani Tartarorum barbarie referre contendit urbanitatem, nemo ex horridis Moschorum tesquis addiscit elegantiam, nemo ex incultis ferocissimorum Turcarum consortiis imbibit morum suavitatem. Hodie qui in hanc mecum arenam descenderunt, alius Hispaniam, alius Galliam, alius Germaniam ceteris omnibus praeferre provinciis fortasse volent, et erunt, non dubito, qui de nationibus aliis non minus cogitabunt. Utut sit tamen, dicam, et libere dicam, etsi universus audiret orbis, sola Italia est, quae profectionum omnium et itinerum esse meta debet. Sola Italia est, quam eligere peregrinationum omnium amnam oportet, quod ea Plinio teste terrarum et mundi sit parens, quod cunctarum in toto orbe gentium sit patria, quod orbis totius quoddam sit compendium, quod, inquam, electa deorum numine sit, ut coelum ipsum clarius efficeret, sparsa congregaret imperia, discordes tot populorum ferasque linguas sermonis commercio ad colloquia contraheret et humanitatem homini daret. Et vero, cum ad prudentiam comparandam moresque formandos suscipi omnis peregrinatio debeat, tum Italia vera est prudentiae morumque magistra, in qua prudentissimae antiquitatis vestigia rimari et solo locorum intuitu priscam virtutem fortitudinemque cognoscere omniumque scientiarum peritiam consequi nullo fere negotio fas est. Pone vel in minima Italiae parte pedem, illic maximarum rerum monumenta quam primum oculis subicientur. Verte lapidem, quemcumque voles, illic priscae prudentiae documentum aliquod statim apprehendes. Subi domum aliquam aut parietem dumtaxat continge, illic derepente rerum sempiterna memoria dignissimarum imaginem aliquam offendes. Circumspice vel inter eundum tantum oculos in montem aliquem, in fluvium, in campum, in litus conice, ilico veteris alicuius trophaei aut stratagematis ingeniosi aut rei alterius praeclare gestae gestientem animum recordatio subibit. Omnia doctissimorum instar sunt librorum et quae hic ex mutis literarum apicibus velut per umbras, multis tamen laboribus ac vigiliis perdiscere solemus, ea illic omnia vivus ipse loci genius incredibili cum voluptate transeuntibus omnibus ostendit. Ipsae silvae loquuntur, fluvii docent, montes, valles, saxa pro chartis sunt et codicibus, immo quidam sunt doctae antiquitatis magistri. Nihil hic commemorare de ruderibus antiquis volo et tamen solo aspectu plus virtutis ac fortitudinis obiciunt, quam ullae unquam veterum philosophorum porticus personare potuerunt. Nihil de umbris et cineribus priscorum reipublicae Romanae imperatorum dico et tamen plus laudis ac gloriae, plus disciplinae militaris e bustis suis ac tumulis spirant, quam ullae unquam scriptorum voluminum regulae praescribere valuerunt. Nihil de situ totius Italiae refero et tamen, qui prudentiores bassae Amurathem tertium ad occupandam orbis mon-

*) Ex libro: RHETORVM | COLLEGII PORCENSIS | Inclitae Academiae | LOVANIENSIS | ORATIONVM | Partis Secundae | Sive | DISSERTATIONVM | POLITICARVM | Stylo Oratorio explicatarum | A | NICOLAO VERNVLÆO | Historiographo Regio & pub- | lico Eloquentiae professore, | DECADES DVÆ | COLONIÆ AGRIPPINÆ, Apud IUDOCUM KALCOVIVM | MDCLVII. Orthographia — ceteroquin exceptis substantivorum maiusculis paulum a hodierna ratione abhorrens — passim ad nostratium exemplum tractatur. Red.

archiam excitabant, iidem, ut Italiam prae aliis regionibus invaderet, suadebant, quod ea centrum sit orbis, quod consilia et auxilia provinciis aliis subministret, quod propter situs opportunitatem, aeris temperiem, rerum ad victum necessariarum abundantiam, amplissimas et ditissimas urbes, ecciesiae christianae sedem, antiquam imperii Romani majestatem regionum sit princeps. Illud dico nullibi melius artium omnium ratio cognoscitur, nullibi melius imperatoriae et ad rempublicam tractandam necessariae disciplinae percipiuntur, quam in Italia. Divina enim est Italorum indoles et incomparabilis ingeniorum vis, quae rebus in omnibus incredibili cum laude sua patescit. Extollunt omnes nauticam seu marinam illam acum, cuius ductu, quaecumque tandem coeli sit facies, rectum nautae cursum tenere possunt. Ea inventum est Italorum et Ioannes Goa, civis Amalphitanus, invenit. Admirantur omnes horologium illud, quod eam, quam quis volebat, horam reddebat et eodem ictu ex silice ignem excitabat, quo subiectum sulphur et apposita mox lucerna accendebatur. Opus est Italorum, et illud Bernardinus Carovagius confecit. Tacere ceteros cogor, ne prolixior fiam: Raphaelem Urbinatem, pictorem famosissimum, Georgium Vasarium, pictorem et architectum praestantissimum, Michaelem Angelum, summum architecturae, statuariae, picturae principem, qui industriae suae admiratores omnes habuit, raros autem aemulatores. Quicquid est architecturae, quicquid artis pictoriae in universa hodie Europa, totum illud Romae, Neapoli, Venetiis, Florentiae acceptum debet; e Murano vitriariam accepit. Immo opificiorum omnium artificium una Mediolanensis urbs subministrat, ut proinde verissimum sit vetus illud et commune verbum Mediolanum destruendo Italiam quorumvis artificum copia instrui posse. Adeo, qui excellere quovis in opificio desiderant, peregrinari eos in Italiam oportet. Iam vero cum litterarum omnium et scientiarum dictaturam Itali gerant, cum olim habuerint et habeant hodie politioris omnis litteraturae magistros et accuratae eruditionis antitistes omniumque doctrinarum antecessores, quis aliunde, quam ex Italia, redire se doctum posse confidat? Hic omnium scientiarum sunt fontes, hinc ad litterarum studia et ad omnem sapientiam initium itinera capiunt, hic, quotquot in Italia sunt academiae, verae sapientiae domicilia sunt. Ibi est Romana omnium academiarum antiquissima. Ibi est Bononiensis, studiorum mater, et quae iuris scientiae monarchiam tenet. Ibi est Patavina, quam Atheniensem Areopagum omnes appellant. Ibi est Senensis, quae clarissimorum semper doctorum est altrix. Ibi est Florentina, quam acutissimis pandectarum interpretibus inclitam venerantur. Quid de ceteris dicam academiis, de Mediolanensi, Papiensi, Neapolitana, Salernitana, Perusina, Mutinensi, Ferrariensi, Taurinensi, Pisana? Nihil profecto utile, nihil elegans, nihil honorificum, nihil scitu dignum est, quod addiscere his in academiis non possis. Da veterem, da novum orbem, quicquid uterque in omni civilitatis, elegantiarum, doctrinarum genere profecit, id totum uni acceptum ferre Italiae debet. Qui Italiam non vidit, hodie paene dicam nihil aut parum scit. Quicumque celebrioris nominis sunt, ii omnem ingenii et eruditionis rarioris laudem ex Italia rettulerunt. Vulgo iam persuasissimum est medicum clarum esse neminem posse, qui in Italorum hortis et gymnasiis versatus non sit, quod nullibi uberior medicae scientiae fons, quam in Italia, possit reperiri. Illic Aesculapii sunt, illic Galeni, illic, qui omnium morborum genera admirabili dexteritate curant. Quam ob causam superioribus annis non pauci nobilissimi etiam viri, qui in acie nasos amiserant, in Italiam excurrerunt et inde deformitate omni curata nasos alios prioribus longe sane pulchriores reportaverunt. Nemo nescit eloquentiae domicilium Italiam esse, ubi Tulliana medulla, genuina orationis puritas, germana vocis suavitas inveniatur. Estne aliquis, qui ad militarem aliquando gloriam adspiret? In Italiam

proficiscatur. Itali sunt, qui militarem virtutem divina quadam iudicii bonitate et immortalibus operibus ad id maiestatis culmen evexerunt, ut altius ascendere numquam possit. Omnino in Italia Martis quaedam sunt seminaria, in quibus omnem militiae disciplinam, fortitudinem, providentiam, consilium, solertiam nobiles discunt adolescentes, et quod haud vulgare Italiae est ornamentum, Itali prae nationibus omnibus aliis optime domare equos noverunt. Apud eos Hispani, Germani, Galli, Poloni, Angli et nationum quarumvis aliarum nobiles artificiose frenare equos generosos addiscunt. Nimirum ad decursiones citatas, ad saltus tolutares, ad rotationes agillimas glomeratis hinc inde circulis, ad alios motionum flexionumque numeros et modos. Estne aliquis, qui humaniores et mansuetiores addiscere mores exoptet? In Italiam peregrinetur. Nullibi, quam in Italia, nobilitas est copiosior, numeris omnibus perfectior, dotibus omnibus augustior. Incolae omnes ad humanitatem non facti sunt, sed nati. Si cum illis agas, ilico humanitatem omnem quam effusissime promittunt et eamdem singulari corporis gestu sancire contendunt. Si cum illis loquaris, ubi audierint, exactissimae urbanitatis verba reddunt et quam aptissime sui amorem insinuant; nec quicquam tamen aut temere aut absque consilio dicunt faciuntve et verba audita, oculos, nutus in animorum cognoscendorum argumenta trahunt. Sobrii sunt, callidi et sollertes, longi laboris speique patientes, prudentes, ingeniosi, caute dissimulantes. Ad citharam, ad comoediam, ad spectacula quaecumque, ad artem equestrem quodammodo sunt nati. Tanta est eorum sedulitas, ut nihil tam arduum sit, ad quod Itali acuminis praestantia non tollatur. Tanta est eorum amicitia, ut pericula et molestias omnes infra initi foederis ac societatis sanctitatem habeant. Periculosa tamen eorum odia sunt et aetatem ferunt: proinde, quisquis hic peregrinaris, Ulysses esto, ne laede, ne offende, ne ad iniuriam feriaris. Alte eius memoriam recondunt et vel per omnia obsequii genera ad ultionem grassantur. Quamquam paene eram, quod in peregrinatione praecipuum est, oblitus. Estne aliquis, qui regiminis politici cognoscere rationes omnes concupiscat? In Italiam excurrat et rempublicam adeat Venetam, illam Italiae lucem et oculum, illam universi orbis arcem, quae si non exstaret, summo Italia ornamento, res Christiana praesidio, libertas perfugio, natura miraculo careret. In qua si cives spectes, homines sunt in consilio graves, in iudicio severi, in adversitate constantes, in prosperitate non immodici, libertatis amantissimi. Si opes consideres,

Ut mare nil nisi aqua, coelum nihil est nisi stellae,
Sic sunt Venetiae nil nisi divitiae.

Si splendorem contempleris, singula aedificia sunt regia propemodum palatia, singula templa omnino sunt augustissima. Unde, cum Henricus Quartus Imperator Venetias vidisset, Venetias regnum esse dixit. Cum civibus ter centies mille universus fere orbis quotidie negotiatur, nec ibi tantum aut Galli aut Hispani aut Germani aut Poloni sunt, sed Turcae, Sclavi, Arabi, Syri, Cypri, Cretae, Macedones. Si reipublicae formam intuearis, nec Lycurgi nec Minois nec Solonis leges nec Romanae tabulae conferri cum prudentia Veneta possunt. Christe bone! quis eius urbis est senatus? quae curia? quae consilia? Supra mille senatores consilium summa cum gravitate sustinentes legum et magistratuum potestatem obtinent tam validis politicae disciplinae vinculis, tam fortibus rerum munimentis, tam incredibili imperii conglutinatione, ut, quae octingentos ultra annos invicta regibusque formidanda stetit respublica, interire numquam posse videatur. Quid de eius arsenali, ut appellant, omnium, quae sub coelo sunt, navalium et armamentariorum amplissimo dicere me vultis? Hoc unum est reipublicae toto orbe potentissimae robur; in hoc ad sexcenta aureorum millia quotannis impenduntur, in eo bellici apparatus omnis generis tanta copia asservatur, ut hominum quingenta millia possint armari. Profecto

in hac una ac sola urbe prudentiam omnem civilem addisces. Sistere tamen hic peregrinantem non volo, eat ulterius et Florentiam florentissimam videat. Quam cum Carolus archidux, Maximiliani Secundi Imperatoris, frater vidisset, Florentiam diebus tantum festis et solemnibus monstrari debere dixit. Tantus est aedificiorum eius urbis splendor, tanta ingeniorum excellentia, tam admirabilis reipublicae ordinatio. Adeat etiam Pisanam rempublicam, adeat Genuensem, adeat innumeras alias, in omnibus ac singulis civilis administrationis formam animadvertet. Illam vero terrarum deam gentiumque Romam, cui par est nihil et nihil secundum, illam, inquam, virtutum omnium magistram, dignitatum humanarum apicem, magnitudinis omnis decus nequaquam relinquet. Nihil in Italia vidisse putatur, qui Romam non vidit. Quippe

Omnia Romanae cedunt miracula terrae,
Natura hic posuit, quidquid ubique fuit.

Olim suae potentiae terminos orientem et occidentem fecit, quicquid dignum vinci visum est, vicit, Asiae, Africae, Europae florem suo imperio est complexa. Subditos in orbe universo supra trecentos hominum milliones, in annuis reditibus supra centum quinquaginta auri milliones possedit. Iacet illa quidem, sed adhuc magna; nova est, et si prisca illa non maior, certe melior, si non cultior, certe sanctior est. Olim armis imperabat, nunc praeest sacris, nec minus hodie quam olim columen est et vertex rerum, decus et tutela universi, patria omnium communis, mundi totius epitome. Illic, qui pontificiam maiestatem intuetur, non antiquae dictaturae magnificentiam requirit, qui purpuratorum patrum splendidam gravitatem videt, non veterum senatorum pompam magnopere desiderat. Quid igitur restat amplius, quo minus in Italiam solam, qui peregrinaturi sunt, proficiscantur? Si amoenitatem et rerum omnium abundantiam peregrinantes exoptant, Italia beatissimus est Europae paradisus: in Italia natura luxurians, quicquid uspiam est deliciarum, amoenitatum, gaudiorum, oblectationum, largissimo sinu prodegit. Immo natura domicilium suum hic orientem inter et occidentem fixit, cuius amoenitati cedunt amoenissimi Thessaliae campi, cedunt vivae nympharum domus et fontes, cedunt Fortunatae, si tamen uspiam terrarum sunt, Insulae. Quam ob causam dicere Constantinus Paleologus solebat, nisi a sanctissimis viris affirmari sciret in oriente paradisum esse, suo judicio non alibi eum reperiri posse, quam in persuavi Patavina amoenitate. Vina generosissima ac praestantissima numquam in Italia peregrinantes deesse conqueruntur, quae etiam barbaras olim nationes in Italiam invitaverunt. Cum igitur rerum maximarum prudentiam Italia subministret, reipublicae gerendae experientiam ostendat, rei militaris peritiam et omnis generis eruditionem tradat, mores ad humanitatem componat, summa homines voluptate perfundat, repeto, quod initio dixi orationis, sola Italia est, quam adire, lustrare, incolere homines oportet. Sola Italia est, cuius itinera, quemadmodum passim commeantibus Germanis, Polonis, Gallis, Anglis, Belgis ita ac ceteris omnibus Europaeis fervent, fervere replerique semper debent. Dixi.

Itali mores cum eius laude

Ex Cornelio Kiliano

Italus eximio lautus cultusque nitore,
Amplus, magnificus, splendidus atque gravis,
Serius et prudens cum maiestate severus,
Magnus ut ingenio, sic quoque iudicio.
Praeclare doctas studiosus percolit artes,
Cura illi virtus, gloria, religio.
Impiger et praestans opifex; mercator honestus,
Bellator valîda strenuitate potens.

Periodica

Iuventus. Ephemeris in usum iuventutis studiosae (Ed. Dr. Stephanus Székely, Budapestini IX, Üllői-út 71). Ann. II, num. 10: Budapestinum — De Pompeis (VIII) — Reditus Ulyssis (VII) — Osztrovszky, Rusticus et filius — Verba publica — Gymnica — Aeronautica — Oblectamenta iucunda — Nuntii recentissimi — Probus, Robinson (XVIII) — Salse dicta — Aenigmata — Epistolia officialia.

Num. 10: Mensis Februarius — De Pompeis (IX) — Pater et filius — Anguis et lemur — Verba publica — Gymnica — Geographica — Aeronautica — Oblectamenta iucunda — Nuntii recentissimi — Danczer, Quo vadis? (I) — Salse dicta — Aenigmata — Epistolia officialia.

Carmina

Quid vita?

Quid vita, quae *fidem* negavit?
Est campus absque semine.
Quid vita *spe* carens superna?
Est arbor orba frondibus.
Quid vita *caritatis* expers?
Est hortus absque floribus.
Quid vita, *nil* agens *bonorum?*
Putamen absque nucleo.
Quid vita, quam regit *cupido?*
Est cymba tracta turbine.
Quid vita, quam *Deus* gubernat?
Est fons beatitudinis.
Sic vita currit absque nube
Virtutis aucta fructibus.
Stat ergo foedus: huic superno
Vitam remitto remigi!

Saravinus

Ad Josephum amicum

de laudibus Mosellae

Quisquis amat *bellam* dignis celebrare *Mosellam*
Laudibus, Ausonios advocet ille sonos!
Murmure quae *suavi* lymphis comitata *Saravi*
Uxor iter Rheni flectit ad ora viri.
Littus utrumque *micat;* decus omne quis ordine *dicat?*
Rura fovent fluvium, prata nemusque suum.
Lusciniae *dumis* cantant strepit undaque *spumis*
Pisce tument fluctus, quem canit Ausonius.
Nauta regit *proras,* fluctus ruit, alluit *oras;*
Luxuriat parvis laeta juventa scaphis.
Arx superat *montem,* qui tollit in aethera *frontem;*
Acclamat vitreae vindemiator herae. [1])
Aspicio *Zellam,* [2]) claram inter sidera *stellam,*
Cella decora nites, fulgida gemma lates!
Deliciis *vitam* duc hic, Joseph, *redimitam!*
Me tibi do totum; da mihi corque tuum!

Saravinus

Nasus curatus

Hei! mihi nasus erat, qui nocte dieque fluebat
Fons veluti duplex alti de culmine montis,
Nec poterat quisquam medicus sedare fluentum. —
Euge! salus tandem me solatura propinquat.
Est quidam — quasi qui cuncta versatur in arte —
Consilio dives necnon ratione locuples,
Qua mihi fecit aquae subito consistere flumen.

[1]) Mosella, quae vitrea vocatur ob aquae clarae cum vitro similitudinem
[2]) Vicus Zell in pulcherrima regione situs

Quod mihi consilium dederat, tibi proderit olim:
»Ardeat in mensa — qua deficiente scabello
Sive solo — vitreo lux circumcincta cylindro;
Hanc super injicias nasum morbo male sanum,
Naribus atque vorax ambabus suge calorem;
Sic paries igni siccatur et igne bacillus
῾Ρινὸς ὕδωρ τίκτων arctis occiditur antris.
Ter tibi candescat nasus super igne quaterve!«
Sic utinam fiat tibi, quod mihi contigit, opto!
Vivat amans hominum, nasorum vivat amicus
Lampadis omnipotens aegros sanare per ignem!

Saravinus

Puella querens

(H. Corvinus: Schillersche und Goethesche Gedichte in lateinischer Uebertragung. Gymn.-Programm Braunschweig 1886.)

Feruntur nubes, intonant querceta,
Petivit virgo littoris vireta.
Fit fragor undae impetu surgentis,
Dat illa nocti gemitus et ventis
Rigata genas flumine pallentis.
»Tabescit cor taedentque vana rerum.
Est voti potens nulla iam dierum.
Sit nata tibi, mater, revocata;
Impleta mihi sunt in terris fata:
Amoris vixi praemiis beata.«
»Inani gemitu madescit vultus!
Non excitatur planctibus sepultus.
Amorum fuga suavium emota
At fare, qua sanetur mens aegrota.
Precaberis curantem pia vota.«
»Inani gemitu madescat vultus,
Ne suscitetur planctibus sepultus.
Amorum orbis dulcium inventum
Non ullum blandius est lenimentum
Quam largae quae sunt lacrimae lugentum.«

Ex Epistulario Redactoris

S... d. 22. m. Ian. 1911.

Vir doctissime,

Nunc quidem propter temporis angustias in usum »Scriptoris Latini« nihil perscribere possum, attamen spero me postea occasionem mei erga »Scriptorem Latinum« amoris ostentandi nancturum esse. Instat enim finis primi quod dicitur semestris nec non examen maturitatis, quae negotia scholastica tantum mihi laboris imponunt, ut de re litteraria vix cogitare queam. Itaque spero veniam mihi abs Te datum iri, quod inpraesentiarum honorifico mandato Tuo non satisfaciam. Ceterum scito me imprimis historiae litterarum, grammaticae, rei criticae veterum nec non recentiorum scriptorum Latinorum operam dare. Vale.

Z. D...

P. S.

Ultimus fasciculus »Scriptoris«, ut video, nullam continet de »mea confessione« controversiam. In quo ego libenter acquiesco tum propter meam provectiorem et a pugnacitate abhorrentem aetatem tum propterea, quia sine dubio praestat et magis decorum est litem illam compositam esse quam

in commentario eruditis hominibus destinato adversarios gladiatorum more infestis frontibus inter se depugnare. Equidem sic existimo, suo cuique ingenio iudicioque fruendum esse, praesertim si, quas quis pronuntiaverit sententias, eae nemini lectorum pro certo et indubio canone obtrudantur. Bonum igitur factum, quod istud negotium pacifice et sedate confectum est.

Ἀλλὰ τὸ δεῖνα: Videor mihi sperare posse versiculorum meorum, quemadmodum ipse aliquando promiseras, in proximo fasciculo brevem saltem aliquam abs Te factum iri mentionem. An me spes fallit?

Vale, vir clarissime, mihique caram memoriam conserva.

G... prid. Kal. Dec. 1910. U.

Permagnam cepi voluptatem ex litteris tuis, quae, quia I...io quattuor abhinc mensibus huc vocatus munerique praefectus sum regendi gymnasii quod ab imperatricis nostrae nomine appellatur, hodie mihi redditae sunt. Quod libellus a me editus tibi probatur, magnopere gaudeo, iure enim peritorum virorum iudicio licet delectari. Scriptoris Latini adiutor fieri haud abnuerim ac quantum in me est facultatis ad augendum Latini sermonis studium conferre sum paratus. Cum autem commentarii a te editi rationem non satis noverim, gratum mihi feceris, si opera tua nonnulla exempla acceperim. Vale.

Tui observantissimus
Dr. Fr. H...

Pii X. Pp.

Motu Proprio,

quo quaedam statuuntur leges ad modernismi periculum propulsandum [1]

Sacrorum Antistitum neminem latere arbitramur, vaferrimum hominum genus, modernistas, persona quam induerant illis detracta per encyclicas Litteras **Pascendi dominici gregis** [2], consilia pacis in Ecclesia turbandae non abiecisse. Haud enim intermiserunt novos aucupari et in clandestinum foedus ascire socios cum iisque in christianae reipublicae venas opinionum suarum virus inserere, editis libris commentariisque suppresso aut mentito scriptorum nomine. Haec audaciae maturitas, per quam tantus Nobis inustus est dolor, si perlectis iterum memoratis Litteris Nostris, consideretur attentius, facile apparebit, eius moris homines haud alios esse quam quos ibi descripsimus, adversarios eo magis timendos, quo propiores; ministerio suo abutentes ut venenatam hamis escam imponant ad intercipiendos incautos, doctrinae speciem circumferentes, in qua errorum omnium summa continetur.

Hac lue diffluente per agri Domini partem, unde laetiores essent exspectandi fructus, quum omnium Antistitum est in catholicae fidei defensione laborare, summàque diligentia cavere, ne integritas divini depositi quidquam detrimenti capiat, tum ad Nos maxime pertinet Christi Servatoris imperata facere, qui Petro, cuius principatum, licet indigni, obtinemus, dixit: **Confirma fratres tuos.** Hac nempe de causa, hoc est, ut in praesenti dimicatione subeunda confirmentur bonorum animi, opportunum duximus memorati Nostri documenti sententias et praescripta referre hisce verbis expressa:

Vos oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et expectamus, idipsum et petimus aeque et expectamus a ceteris animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris sacrae iuventutis, imprimis autem a summis religiosarum familiarum magistris.

I. Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur. — Utique, **si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi.** [1] Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus quae a sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse. **Parvus error in principio,** sic verbis ipsius Aquinatis licet uti, **est magnus in fine.** [2]

Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium extruatur diligentissime. — Theologiae studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut clerici e Seminariis egredientes praeclara illius existimatione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant. Nam **in magna et multiplici disciplinarum copia quae menti veritatis cupidae obiicitur, neminem latet sacram Theo-**

[1]) Ex „Voce Urbis", commentario Latino Romae prodeunte, in quo quae cursivis hic, cum non sufficiant typi, crassioribus notantur litteris. [2]) Dat. d. VIII Septembr. MCMVII.

[1]) LEO XIII. Encycl. „Aeterni Patris". [2]) De Ente et Essentia, proem.

logiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientum effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur.[1]) — Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aeque omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato ab historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda: id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt, ut scholasticam theologiam despicere videantur.

De profanis vero disciplinis satis sit revocare quae Decessor Noster sapientissime dixit: **In rerum etiam naturalium consideratione strenue adlaboretis: quo in genere nostrorum temporum ingeniose inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt.**[2]) Id tamen nullo sacrorum studiorum damno; quod idem Decessor Noster gravissimis hisce verbis monuit: **Quorum causam errorum, si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignius est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur.**[3]) Ad hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris Seminariis temperari volumus.

II. His omnibus praeceptionibus tum Nostris tum Decessoris Nostri oculos adiici oportet, quum de Seminariorum vel Universitatum catholicarum moderatoribus et magistris eligendis agendum erit. Quicumque modo quopiam modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cuiusvis respectu, tum a regundi tum a docendi munere arceantur; eo si iam funguntur, removeantur: item qui modernismo clam aperteve favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit, obedientiam, detrectando: item qui in historica re, vel archaeologica, vel biblica nova student: item qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur. — Hoc in negotio, Venerabiles Fratres, praesertim in magistrorum delectu, nimia nunquam erit animadversio et constantia; ad doctorum enim exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, prudenter hac in re et fortiter agitote.

Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac deligendi, qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto a sacro ordine novitatum amor: superbos et contumaces animos odit Deus! — Theologiae laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto. — Quae de celebrandis Universitatibus Sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis praepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regularibus praecepit anno MDCCCXCVI; ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus. — Clerici et sacerdotes qui catholicae cuipiam Universitati vel Instituto item catholico nomen dederint, disciplinas, de quibus magisteria in his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ut ne fiat edicimus. — Episcopi, qui huiusmodi Universitatibus vel Institutis moderandis praesunt, curent diligentissime ut quae hactenus imperavimus, ea constanter serventur.

III. Episcoporum pariter officium modernistarum scripta quaeve modernismum olent provehuntque, si in lucem edita, ne legantur cavere; si nondum edita, ne edantur prohibere. — Item libri omnes, ephemerides, commentaria quaevis huius generis neve adolescentibus in Seminariis neve auditoribus in Universitatibus permittantur: non enim minus haec nocitura, quam quae contra mores conscripta; immo etiam magis, quod christianae vitae initia vitiant. — Nec secus iudicandum est de quorumdam catholicorum scriptionibus, hominum ceteroqui non malae mentis, sed qui theologicae disciplinae expertes ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide componere nituntur et ad fidei, ut inquiunt, utilitates transferre. Hae, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonamque existimationem, plus periculi afferunt ut sensim ad modernismum quis vergat.

Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in re tam gravi praecipiamus, quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exulent fortiter contendite, solemni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat; adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut serior quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit. Volumus igitur ut sacrorum Antistites, omni metu abiecto, prudentia carnis deposita, malorum clamoribus posthabitiis, suaviter quidem sed constanter suas quisque partes suscipiant; memores quae Leo XIII in Constitutione apostolica **Officiorum ac munerum**[1]) praescribebat: **Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant.** Ius quidem his verbis tribuitur sed etiam officium mandatur. Nec quispiam hoc munus officii implevisse autumet, si unum alterumve librum ad Nos detulerit, dum alii bene multi dividi passim ac pervulgari sinuntur. — Nihil autem vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alicuius auctor ea sit alibi facultate donatus, quam vulgo **Imprimatur** appellant: tum quia simulata esse possit, tum quia vel negligentius data vel benignitate nimia nimiave

[1]) LEO XIII, Litt. ap. x Dec. MDCCCLXXXIX.
[2]) Alloc. „Pergratus Nobis" ad scientiar. cultores, VII Martii MDCCCLXXX. [3]) Alloc., ut supra.

[1]) XXV Ian. MDCCCXCVII.

fiducia de auctore concepta, quod forte postremum in Religiosorum ordinibus aliquando evenit. Accedit quod sicut non idem omnibus convenit cibus, ita libri qui altero in loco sint innocentes, nocentes in altero ob rerum complexus esse queant. Si igitur Episcopus, audita prudentum sententia, horum etiam librorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, potestatem ultro facimus immo et officium mandamus. Res utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum unum coërcendo; integro tamen bibliopolarum catholicorum officio libros ab Episcopo notatos minime venales habendi. — Et quoniam de his sermo incidit, vigilent Episcopi ne, lucri cupiditate, malam librarii mercentur mercem: certe in aliquorum indicibus modernistarum libri abunde nec parva cum laude proponuntur. Hos, si obedientiam detrectent, Episcopi, monitione praemissa, bibliopolarum catholicorum titulo privare ne dubitent; item potioreque iure si episcopales audiant: qui vero pontificio titulo ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant. — Universis demum in memoriam revocamus quae memorata apostolica Constitutio **Officiorum** habet, articulo XXVI: **Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi ac retinendi libros a quibuscumque damnatos.**

IV. Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem impedire ac venditionem; editionem etiam prohiberi oportet. Ideo edendi facultatem Episcopi severitate summa impertiant. — Quoniam vero magno numero ea sunt ex Constitutione **Officiorum,** quae Ordinarii permissionem ut edantur postulent, nec ipse per se Episcopus praecognoscere universa potest; in quibusdam dioecesibus ad cognitionem faciendam censores ex officio sufficienti numero destinantur. Huiusmodi censorum institutum laudamus quam maxime: illudque ut ad omnes dioeceses propagetur non hortamur modo sed omnino praescribimus. In universis igitur curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant: hi autem e gemino clero eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, quique in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quae ex articulis XLI et XLII memoratae Constitutionis praevio subsunt examini. Censor sententiam scripto dabit. Ea si faverit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum **Imprimatur,** cui tamen proponetur formula **Nihil obstat,** adscripto censoris nomine. — In Curia romana, non secus ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituantur. Eos, audito prius Cardinali in Urbe Pontificis Vicario, tum vero annuente ac probante ipso Pontifice Maximo Magister sacri Palatii apostolici designabit. Huius erit ad scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis facultas ab eodem Magistro dabitur necnon a Cardinali Vicario Pontificis vel Antistite eius vices gerente, praemissa, prout supra diximus, approbationis formula adiectoque nomine censoris. — Extraordinariis tantum in adiunctis ac per quam raro, prudenti Episcopi arbitrio, censoris mentio intermitti poterit. — Auctoribus censoris nomen patebit nunquam, antequam hic faventem sententiam ediderit; ne quid molestiae censori exhibeatur vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit. — Censores e religiosorum familiis nunquam eligantur, nisi prius moderatoris provinciae secreto sententia audiatur: is autem de eligendi moribus, scientia et doctrinae integritate pro officii conscientia testabitur. — Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus nunquam sinendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit. — Postremum edicimus et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur, nihil valere prorsus nec unquam posse afferri ad privatas eiusdem opiniones firmandas.

(Absolvetur)

Carmina Heiniana (II)

Convertit F. P.

5. Loreley

Maeror nescio quis meum
pertemptat hodie pectus identidem
et mentem memorem subit
dudum praeteriti fabula saeculi. —
Aer friget et occupat
Rheni tardifluos vespera vortices,
dum sol occiduus beat
pallenti radio culmina montium
Formosam videor mihi
in celso scopulo cernere virginem:
effulget iubar, aureus
pecten quando comam dividit auream
et miris numeris strepunt
aurae, cum liquidum virgo ciet melos.
Per fluctus fragilem ratem
solus nauta regit. Obstipuit silens
et formam lepidam simul
haurit luminibus, dulce simul bibit
— demens — aure melos, scaphae
nec cursum meminit - proh! - moderarier.
Gurges corripit horridus
alliditque ratem cautibus asperis:
captus dulcisonis modis
poenas morte sua navita mox luet.

6. Hör' ich das Liedchen klingen

Audio carmen quotiens sonare
a mea quondam solitum puella
cantitari: mens subito tenetur
capta dolore.

Impetu caeco feror in recessum
montium lucique peto tenebras,
qua meus sensim lacrimis profusis
solvitur angor.

7. Auf Flügeln des Gesanges

Alis Phantasiae feram
Gangi contiguis, lux mea, te plagis,
quâ pulcherrimus omnium
terrarum procul hinc est situs angulus.
Illic hortus odorifer
lunae puniceo lumine spargitur
lotorumque sacrum nemus
te blando strepitu, dulce caput, vocat.
Illic suspiciunt pie
ridentes violae stelliferum polum
fabellasque rosae rosa
pressa voce refert. Assiliunt catae
suspenso capreae gradu
arrectisque bibunt auribus hos sonos,
queis sanctus procul obstrepit
amnis spumiferis vorticibus tumens.
Illic oh! liceat latus
sub palmae patulo ponere tegmine!
Illic nos amor et quies,
illic nos teneant dulcia somnia!

8. Berg' und Burgen schauen herunter

Arcium pinnae iuga montiumque
imminent Rheni liquidis fluentis,
quae meus linter secat igne solis
irradiante.

Laeta dum cerno laticum duella:
qui meo dudum latuere corde
abditi sensus, subeunt recenti
impete pectus.

In sinum lymphae videor vocari
blandienti voce: sed atra pestis
non latet mentem, vada quam dolosa
usque minantur.

Exhibens blandam faciem, sed intus
contegens fraudes, similis puellae,
amnis, es nostrae: cata blandiendo
fallit et illa.

Exempla Versionum

4. Germanice et latine

Mommsen, Römische Geschichte, Band 1, Buch 3, Kapitel IV.

So gab dem genialen Entwurf Hamilkars das Glück die Weihe. Die Mittel zum Kriege waren gewonnen, ein starkes kampf- und sieggewohntes Heer und eine stetig sich füllende Kasse; aber wie für den Kampf der rechte Augenblick, die rechte Richtung gefunden werden sollte, fehlte der Führer. Der Mann, dessen Kopf und Herz in verzweifelter Lage unter einem verzweifelnden Volke den Weg zur Rettung gebahnt hatte, war nicht mehr, als es möglich ward, ihn zu betreten. Ob sein Nachfolger Hasdrubal den Angriff unterliess, weil ihm der Zeitpunkt noch nicht gekommen schien, oder ob er, mehr Staatsmann als Feldherr, sich der Oberleitung des Unternehmens nicht gewachsen glaubte, vermögen wir nicht zu entscheiden. Als er im Anfang des Jahres 534 durch Mörderhand gefallen war, beriefen die karthagischen Offiziere des spanischen Heeres an seine Stelle Hamilkars ältesten Sohn, den Hannibal. Er war noch ein junger Mann — geboren 505, also damals im neunundzwanzigsten Lebensjahr; aber er hatte schon viel gelebt. Seine ersten Erinnerungen zeigten ihm den Vater im entlegenen Lande fechtend und siegend auf der Eirkte; er hatte den Frieden des Catulus, die bittere Heimkehr des unbesiegten Vaters, die Gräuel des libyschen Krieges mit durchempfunden. Noch ein Knabe, war er dem Vater ins Lager gefolgt; bald zeichnete er sich aus. Sein leichter und festgebauter Körper machte aus ihm einen vortrefflichen Läufer und Fechter und einen verwegenen Galoppreiter; sich den Schlaf zu versagen griff ihn nicht an und Speise wusste er nach Soldatenart zu geniessen und zu entbehren.

Itaque ingenio atque consilio Hamilcaris fortuna favebat. Namque quae bello usui erant, validus exercitus pugnando atque vincendo consuetus et pecunia numquam deficiens, erant comparata; sed ubi pugnandi tempus atque ratio quaerenda erat, deerat is, qui exercitui praeesset. Nam cuius consilio atque animo in rebus desperatis desperanti de re publica populo via salutis patefacta erat, noniam fuit, cum iniri poterat. Utrum autem Hasdrubal, qui ei successit, hostem non aggressus sit, quod ei tempus nondum esse videretur, an rei publicae quam rei militaris peritior summae rei sese imparem esse putaverit, diiudicare non possumus. Qui cum initio anni quingentesimi tricesimi quarti a. u. c. caede interfectus esset, duces Poenorum, qui exercitui Hispaniensi praeerant, ei Hannibalem Hamilcaris filium natu maximum suffecerunt. Qui natus anno quingentesimo quinto a. u. c., quamquam adulescens duodetriginta annorum tum erat, tamen multa viderat, quippe qui patris in abdita terra pugnantis et vincentis in Hercta a prima pueritia meminisset, quippe qui pacem ignominiosam a Catulo superbe iussam, acerbum reditum invicti patris, scelera belli Libyci aegre tulisset. Atque ipse puer patrem in castra secutus levi robustoque corpore brevi tempore cursu, armorum usu, laxatis habenis audacter vehendo praestitit omnibus. Cui, ut versabatur in militia toto animo, nihil erat facilius quam pervigilare noctem atque potione ciboque frui et se abstinere. Sed quamquam in armis adoleverat, tamen erat eruditus isdem artibus ac nobiles Phoenicum, qui tum erant. Ac praecipue in Graeca lingua ab ...

Trotz seiner im Lager verflossenen Jugend besass er die Bildung der vornehmen Phöniker jener Zeit; im Griechischen brachte er, wie es scheint, erst als Feldherr, unter der Leitung seines Vertrauten Sosilos von Sparta es weit genug, um Staatsschriften in dieser Sprache selber abfassen zu können. Wie er heranwuchs, trat er in das Heer seines Vaters ein, um unter dessen Augen seinen ersten Waffendienst zu tun, um ihn in der Schlacht neben sich fallen zu sehen. Nachher hatte er unter seiner Schwester Gemahl Hasdrubal die Reiterei befehligt und durch glänzende persönliche Tapferkeit wie durch sein Führertalent sich ausgezeichnet. Jetzt rief ihn, den erprobten jugendlichen General, die Stimme seiner Kameraden an die Spitze und er konnte nun ausführen, wofür sein Vater und sein Schwager gelebt und gestorben. Er trat die Erbschaft an, und er durfte es. Seine Zeitgenossen haben auf seinen Charakter Makel mancherlei Art zu werfen gesucht: den Römern hiess er grausam, den Karthagern habsüchtig; freilich hasste er, wie nur orientalische Naturen zu hassen verstehen, und ein Feldherr, dem niemals Geld und Vorräte ausgegangen sind, musste wohl suchen zu haben. Indess, wenn auch Zorn, Neid und Gemeinheit seine Geschichte geschrieben haben, sie haben das grosse und reine Bild nicht zu trüben vermocht. Von schlechten Erfindungen, die sich selber richten, und von dem abgesehen, was durch Schuld seiner Unterfeldherrn, namentlich des Hannibal Monomachos und Mago des Samniten, in seinem Namen geschehen ist, liegt in den Berichten über ihn nichts vor, was nicht unter den damaligen Verhältnissen und nach dem damaligen Völkerrecht zu verantworten gewesen wäre; und darin stimmen sie alle zusammen, dass er wie kaum ein anderer Besonnenheit und Begeisterung, Vorsicht und Tatkraft mit einander zu vereinigen verstanden hat. Eigentümlich ist ihm die erfinderische Verschmitztheit, die einen der Grundzüge des phönikischen Charakters bildet, er ging gern eigentümliche und ungeahnte Wege, Hinterhalte und Kriegsliste aller Art waren ihm geläufig, und den Charakter der Gegner studierte er mit beispielloser Sorgfalt. Durch eine Spionage ohnegleichen — er hielt stehende Kundschafter sogar in Rom — hielt er von den Vornahmen des Feindes sich unterrichtet; ihn selbst sah man häufig in Verkleidungen und mit falschem Haar, dies oder jenes auskundschaftend. Von seinem strategischen Genie zeugt jedes Blatt der Geschichte dieser Zeit und nicht minder von seiner staatsmännischen Begabung, die er noch nach dem Frieden mit Rom durch seine Reform der karthagischen Verfassung und durch den beispiellosen Einfluss bekundete, den er als landflüchtiger Fremdling in den Kabinetten der östlichen Mächte ausübte. Welche Macht über die Menschen er besass, beweist seine unvergleichliche Gewalt über ein buntgemischtes und vielsprachiges Heer, das in den schlimmsten Zeiten niemals gegen ihn gemeutert hat. Er war ein grosser Mann, wohin er kam, ruhten auf ihm die Blicke aller.

Lacedaemonio familiari cum iam dux erat, doctus tantum profecit, ut ipse de republica libros Graece scriberet. Sed ubi adolevit, in patris exercitum ingressus, ut sub oculis eius ipsius prima stipendia faceret, eum in pugna iuxta se cadentem vidit. Deinde autem sub Hasdrubalis auspiciis, sororis coniugis, praefuerat equitatui neque solum egregia militis virtute, sed etiam summo imperatoris ingenio floruerat. Qui tum iuvenis dux spectatus a commilitonibus exercitui praefectus, pro quibus pater et sororis vir pugnaverant et vitam profuderant, ea iam potuit perficere. A quibus traditum bellum bellator ipse suscepit. Sed mores naturamque eius aequales variis maculis aspergere ausi sunt. Atque a Romanis crudelis, avarus a Carthaginiensibus est appellatus. Et sane ut Poenus oderat Romanos et pecuniam opesque, ne quando deficerent, acquirere studuit. Sed quamquam ii, qui res vitamque eius historia comprehenderunt, non sine ira, odio, nequitiaque scripserunt, tamen viro claro illustrique caliginem inducere non potuerunt. Namque, ut omittamus et ea, quae ei malitiose afficta sunt, quae ipsa per se dilabuntur, et ea quae culpa cum legatorum, tum Hannibalis Monomachi et Magonis Samnitis nomine eius facta sunt, nihil de eo traditur, quod, ut conditio rerum et ius gentium tum erant, excusari non potuerit; sed omnium in hoc unum congruunt sententiae moderationem amore studioque et virtute providentiam permiscere vix alium quemquam ita scivisse ut ipsum Hannibalem. In quo erat summa calliditas sollertiaque, quibus Poeni multum valebant. Namque mira et inopinata auxilia quaerebat et callebat insidias consiliaque varia, hostium mores atque naturam investigabat inaudita quadam diligentia. Ac singulari quadam exploratione — Romae quoque ei exploratores perpetuo erant — de hostium consiliis certior fiebat, ipse autem mutata veste et alienis capillis haec alia explorans saepe videbatur. Nec solum quanto fuerit ingenio imperatorio, omni illarum rerum confirmatur memoria, sed etiam, quanta indole publica, quam post pacem cum Romanis factam et republica Carthaginiensium emendanda et eximia auctoritate ab exsule advena in secretis consiliis principum Asiae interposita exhibuit atque probavit. Auctoritate vero quantum apud homines valuerit, ea re probatur, quod varium et multarum linguarum exercitum, qui ne maxime quidem adversis temporibus contra eum tumultuatus est, semper incredibilem in modum in potestate et dicione sua tenuit. Itaque in hunc tantum virum, quocumque venerat, oculi convertebantur omnium.

Henricus Roese, cand. phil.,
seminarii Gissensis sodalis

Sententiae biblicae

(Crain, Metrische Übersetzungen ins Griechische und Lateinische aus Schiller und Goethe, nebst einem Anhange aus der Bibel. Progr. Wismar 1858.)

Prov. Sal. 25,4,5:

Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum. Aufer impietatem de vultu regis, et firmabitur iustitia thronus eius.

Argentum artifices despumant, sordium ut [exstent
Integra, quae manibus vasa decora parant:
Sic, si servatur scelerum vita integra regis,
Fulcitur regni justitia solium.

Ibidem 25,11:

Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.

Aurea poma puta, quae tempore dixeris, esse
Argento claras lecta tibi in pateras.

Ibidem 25,14:

Nubes et ventus et pluviae non sequentes vir gloriosus et promissa non complens.

Haud secus ac venti et nubes nullo imbre [cadentes
Est, qui promissis non stat ubique suis.

Ibidem 26,20:

Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis, et susurrone subtracto iurgia conquiescent.

Exstinque ut lignis consumtis conspicis ignes,
Defervente ira iurgia abire vides.

Ibidem 26,27:

Qui fodit foveam, incidet in eam, et qui volvit lapidem, revertetur ad eum.

Incidit in foveam, qui fodit, ut incidat alter;
Obruitur saxis volvere saxa studens.

Libri libellique dono accepti:

Friderici de Schiller Carmina Optima eademque a Ioanne Dominico Fuss conversa edid. Ioseph Plassmann. Monasterii Guestfalorum in aed. Aschendorffii MCMIX.

C. Kampmann, Die graphischen Künste. (Sammlung Göschen: 75) Leipzig, G. J. Göschen, 1909. 3. Aufl. 176. Pr. 0.80 M.

Austriacus, Halblatein (Semilatin). Ein neues „Weltsprache"-Projekt. Wien, Ambr. Opitz Nfl., 1910. 35. Pr. ?

S. Schultze, Charakterbildung, Gymnasium und Staat. Halle, D. Nietschmann, 1911. 70. Pr. ?

ΠΑΙΓΝΙΑ ΑΝΩΝΥΜΑ. Sine Nomine Lusus. Goritiae, sumpt. Ioannis Logar, 1909. Ed. II. auct. Pr. ?

E. Krüger, Die Trierer Römerbauten. Trier, H. Stephanus, 1909. 27 (mit 25 Zeichn. u. Plän.) Pr. ?

Catalogi antiquarii:

Max. Engl Monacensis — Cat. 11: Archaeol., Pädag., Philos., Sprachwissenschaft, num. 1—1285.

Süddeutsches Antiquariat, Monaci — Cat. 132 (suppl. cat. 127): Klass. Phil. u. Altertumsk., num. 1—1707 (Aut. lat. 571—1237, Humanisten, Neulateiner 1237—1258)

Guil. Koch Regiomontanus — Cat. 98: Geschichte d. Altertums, num. 1—611.

Responsorium

S. L.: Te non desiisse legere commentarium ex chartula soluta aenigmata nuntiante summo cum gaudio cognovi. Olim enim multi apud vos erant lectores, qui an fidem nobis servarint nescio. Brevi ego plures acquirere conabor, nuntiis per acta ibi diurna dispersis. Vale.

F. C.: Commentarios semimenstruos »L'Echo Français« et »The English Echo« inscriptos, qui adhuc Heilbronnae prodierunt, ab initio huius anni Guilelmus Violet, bibliopola Stutgardiensis, suscepit edendos ac tanta quidem cura, ut prioribus annis multo elegantiores videantur et uberiores. Tibi vero ob id potissimum libelli placebunt, quod difficiliora vocabula passim Germanica versione illustrantur. Ecquid novi de Lucula? Vale.

B. R.: Disticha illa, quibus de »cerevisiae« nominis agitur etymologia, cuiusdam Kotterii sunt ceteroquin mihi ignoti. Ecce integra:

Quaerebam nuper, cerevisia duceret unde
Nomen, et inveni postmodo tale etymon:
A quo si pluris bibitur, cere - dividitur - brum,
Nam cerebri scindit heluo, quidquid habet!

Cf. epigramma Iani Dousae:

Quaeritur, unde suum ducat cerevisia nomen:
Quod cerebrum visat crebra, Sabelle, tuum.

Varia

Tabacum quomodo innotuerit hominibus

De tabaci origine certiores nos facit antiqua fabula orientalis, quae nescio an omnibus tabaci inimicis ut iudicium diabolicarum illius herbae proprietatum sit accepta.

Narratur enim agricola quidam olim diabolum vidisse in agro plantas serentem mirabiles atque naturae modum excedentes et propius accedens quaesivisse ex eo, quid nominis sit illis herbis. Diabolus homunculi confidentis oculos acriter intuens, quasi miraretur eius audaciam, et denique irridens »si nomen« inquit »conieceris, totus hic ager eiusque divitiae tuae sunto; sin minus, tuae anima esto mea!« Qua conditione accepta

vir domum redux casum mirificum narravit uxori. »De hac re« haec respondit »noli laborare: illud egomet ipsa perficiam«. Atque vestimentis exutis mulier dolio irrepsit pice liquida expleto, deinde in multis plumis congestis huc et illuc sese convolvit; nocte autem appetente agros petiit et ad hortum illum diabolicum pervenit. Statim approperans diabolus irato animo »apage te, prodigium«, clamavit »ne attigeris tabacum meum!« Itaque mysterium est patefactum, quoniam muliebris astutia ludibrio habuerat diabolum ipsum. Hic postridie agricolae agrum cum tabaco tradidit non immemor pactionis, quam cum illo inierat.

Guil. Lhm. Vratisl.
(secund. „Aegyptische Nachrichten", Kairo, 10. VI. 10.)

Aenigmata

composuit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

1.

Infirmos homines crucio pavidosque malosque.
Insula sum: vastus me luit Oceanus.

2.

Ut vivas spiresque, habeas me, crede, necesse [est;
Me tibi detracto non erit ulla salus.
Deme caput: stridens animal sum multa nocendo
Famosum; quivis me timet atque fugit.

3.

Bestia parvula sum, sed inutilis atque molesta,
Sive est littera c sive caput mihi p.

4.

Sunt duo membra mihi; sum nigra loquaxque volucris.
Divide me: pars est vox prior ecce tui.
Altera brumali spectatur frigore nata;
Densa cadens pueris agricolisque placet.

Horum aenigmatum qui solverit duo intra triginta dies, unius sortis particeps erit in urna, qui omnia, duarum. In sortitionem dabitur libellus:

Friedemann, Scriptorum latinorum saec. XIX. delectus. Lips. 1840.

Sententiae latine vertendae:

Kein Dichter unserer Zeit beherrscht ein grösseres Stoffgebiet als Rudyard Kipling. Er ist unter der Tropen-Sonne so heimisch, wie im ewigen Eise, im grünen Laubverstecke des Dschungels, wie im Schmutze der Elend-Bezirke Londons. Kiplings Hauptthema aber ist die dichterische Darstellung der Macht und Grösse des britischen Weltreiches. Tommy Atkins, der englische Soldat, ist der Held seiner Lieder, und Kipling entwirft mit grösster Treue ein Bild des stets kriegerischen und kolonialen Lebens englischer Söldner. Weit über die Ufer des kleinen Heimat-Eilandes hinaus weist Kipling auf die Reiche hin, die sich England in allen Weltteilen gegründet hat. Aus dem ursprünglichen rauhen Soldatendialekt hat sich Kipling eine Sprache von wundervoller Unmittelbarkeit geschaffen. Dazu kommt ein Rhythmus, der Dinge, die noch kein Dichter wiederzugeben versucht hat, aus den Versen heraustönen lässt: Den Sturmlauf einer angreifenden Truppe, die unregelmässige Detonation einer Gewehrsalve, das Rasseln einer rostigen Ankerkette, oder das Anschlagen der Wellen an die Schiffswand, dies und tausend ähnliche Eindrücke hat er in das Silbenmass seiner Gedichte zu bannen verstanden. Es ist eine prachtvoll ursprüngliche Lyrik, und die Uebertragung von Dr. Hanns Sachs gibt ein vollkommenes deutsches Abbild von ihr.

(Verba a Iulio Zeitler, bibliopola Lipsiensi, praemissa libro: Rudyard Kipling, Soldatenlieder. Deutsch von Hanns Sachs. Leipzig, 1910. 4 M.)

Huic penso qui satisfecerit optime, Scriptorem Latinum gratis accipiet per IX menses. Versiones intra sexaginta dies huc pervenire debebunt.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

prodit idibus cuiusque mensis mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), *pecuniae vero, epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,* Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., *Eschersheimer Landstrasse 112.*

Nomina et domicilia

eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

Typographus: Carolus Wiechert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus VIII: Numerus IX

— **Procurant negotia** —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
in Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. VIII Francofurti a. M., Mense Martio MCMXI Num. IX

De Latine Scribendi Utilitate

pauca quaedam exponebat

Ernestus Hora, Austriacus.

Qui his temporibus artem Latine scribendi etiam nunc in scholis retinendam adversariorum malevolentia lacessiti defendere temptant viri doctissimi, eum praecipue fructum aiunt ex eiusmodi exercitiis percipi a discipulis, ut cogitandi subtilitas et celeritas optime excolantur. Cui sententiae refragari non est in animo, immo maximam vim huic argumento inesse et ipse persuasum habeo.

Attamen interdum subit mirari, cur ceteris propugnaculis relictis in unam hanc arcem regrediendum sit. Latius enim hodieque patet Latine scribendi utilitas neque ita reiecti iam sumus ac proterriti, ut manus dare necesse habeamus. Non deest multorum alacritas, non desunt auxilia hominum benevolorum, deest in nostris quidem regionibus ea philologorum consensio, quae defendentibus maxime necessaria est. Etenim reperiuntur nescio quo pacto viri cetera antiquitatis amantissimi, qui particulas nostrae disciplinae alii alias tamquam inutiles iam et obsoletas sine ulla dubitatione abicientes prope signiferi adversariorum inviti illi quidem exsistant verentes, opinor, ne parcius largiendo »stuporis philologici« rei fiant aut ab huius saeculi moribus et institutis alienissimi esse arguantur. Quo fit, ut vix ullus scriptor antiquus aut ulla disciplina ad studium antiquitatis pertinens reperiatur, quam non unus alterve philologus sine ullo incommodo e scholis eici posse contendat. Quae voces temere iactatae avide tamquam ἕρμαια arripiuntur ab adversariis et ut gravissima testimonia circumferuntur. Verum haec missa facio, ad ea, quae proposita sunt, pergamus. Nam de Latine scribendi utilitate disputaturus sum, non quo nova proferam et inaudita, sed quia in tantis periculis mutus esse nolo, dum imperitissimum quemque de nostris rebus inique et confidenter audio vociferantem.

Quam in aevi medii hominibus imprimis admiramur constantiam illam in rebus gerendis conspicuam, ea in scholis illius aetatis superioribus condendis et instituendis cum maxime cernitur. Quamquam enim linguae vulgares saec. XIV. et XV. litteris tradendis iam satis idoneae factae erant, tamen in universitatibus, quas vocabant, sermoni Latino usquequaque suus honos mansit neque post fatale religionis discidium quicquam mutatum est. Enimvero videbant maiores sapientissimi, quantus fructus ex una omnium communi lingua ad litteras promovendas redundaret. Potuerunt illa aetate viri docti Hispaniae libros a Germanis conscriptos nullo interpretum auxilio legere, potuerunt adulescentuli cuiusvis gentis ad nobilissimum quemque alterius nationis doctorem audiendum confluere, potuerunt ipsi doctores, quae excogitaverant, in auditoriis expromere alienigenarum. Praeclara vero res et sapientiae plena! Dicet aliquis: quid? sapientes isti, cum misellis pueris lingua vernacula inter-

dicebant, nonne satis superque ostendebant, quanto odio sermonis patrii arderent? Tales voces saepenumero et leguntur et audiuntur. Miror sane homines doctos nostrae praesertim aetatis, qua nemo non scholas emendandi rationes unus omnium optime novisse videtur et meras methodos loquitur, convicia illa inde a saec. XVIII. propagata subsequi quam suis ipsos ingeniis uti malle ad eam rem explicandam. Nam luce clarius esse arbitror praeceptores illos, cum discipulos in scholis sermone patrio uti vetarent, nihil aliud efficere voluisse, quam ut lingua Latina citius faciliusque disceretur. Nempe nosmet ipsi pueros sermone Germanico in vita cotidiana usitato in scholis uti vetamus non contemptu nescio quo, sed ut politiore illo et urbano facilius assuescant. Diserte autem et plane senatus Vindobonensis in legibus scholasticis anno p. Chr. n. 1446 promulgatis sese pueros, qui lingua Germanica in schola loquerentur, ideo punitos velle declaravit, ut Latina expedite uti discerent: „Das die schuler vertig werden in der latein ze reden“ (Paulsen, Geschichte des gelehrten Unterrichts II2. p. 697).

Caveamus igitur, ne vana opinione inducti falsis criminibus insimulemus illos viros, qui certe nostrae memoriae hominibus sermonis patrii et nationis caritate nihil cedebant. Verum esto: lingua vetere discenda pericula quaedam mediocria linguis recentioribus illata sint, sed haec incommoda nonne maximis utilitatibus non modo leniebantur, sed prorsus compensabantur? Nulla unquam natio ita se integram incolumemque servare potuit, ut quasi parietibus circumclusa omni fimitimarum gentium commercio supersedere posset. In eo autem commercio, cum lingua aliqua tamquam instrumento opus sit, quid minus offensionis habere potest quam lingua omnium communis? De publica videlicet civitatum inter se consuetudine me nunc loqui scito, ne forte irridendi causa coquis et tonsoribus peregrinantibus linguam Latinam obtrudere me velle contendas. Sed quis ignorat, quantae inter gentes hodie aemulationes intercedant, quam aegre ferat altera, si alterius lingua publice uti cogatur, quasi periculum sit, ne ea re alienae potentiae se submittat? Cuius metus causae procul aberant, dum lingua Latina in publico civitatum commercio vigebat. Ipse Jahnus, artis gymnicae inter Germanos instaurator, cum suae gentis amore mirum quantum flagraret, tamen pristinum illum sermonis Latini usum non modo laudabat, sed etiam reduci magnopere cupiebat.[1]) Perspexerat vir de patria sua bene meritus usu linguae Latinae, quippe quae nemini offendiculo esse posset, si in communibus gentium rebus usurparetur, non deminui, sed defendi potius ac protegi, quae cuiusque nationis essent propria. Quod quam verum sit, quis rectius iudicare potest quam qui in Austria, patria mea carissima, natus est atque educatus? Namque in eo imperio plus decem nationes de linguarum suarum principatu inter se cotidie digladiantur nihil aliud contentiunculis suis efficientes, nisi ut odia mutua cum magnis omnium iacturis in dies ingravescant et vires totius imperii infirmentur. Quae velut si praesensissent, maiores nostri linguae Latinae in communibus omnium rebus adhibendae sapienter favebant. Cuius usus exstant paucae quaedam reliquiae. Aedificia quidem caesarea et regia hodieque Latinis plerumque titulis ornantur, item monetae aureae et argenteae Latine inscribuntur, testimonia baptismi in nonnullis regionibus Latine conficiuntur. Sed quid ego his vetustatis vestigiis immorari malo quam vividum illud et luculentum afferre exemplum ecclesiae Romanae? Quae cum tot gentes sermone dissonas complectatur, qua tandem ratione nationum rivalitates et offensiones a cultu suo et religione prohibet nisi lingua Latina? Quod autem in hac tanta societate cum summa fit utilitate, ut quae ad omnes eam religionem profitentes pertineant sive decreta pontificia sive libri rituales, Latine conscribantur, id si minus iam in publico civitatum commercio, at

[1]) Jahn, Deutsches Volkstum. Leipzig. Reclam. p. 214.

in studiis certe exercendis et epistulis inter doctos mittendis fieri non poterit? Non commenta haec sunt aut somnia, sed res est multorum saeculorum usu trita et probata. An, ut philologos et theologos sileam, Copernici, Kepleri, Newtoni, Linnaei, Comenii, aliorum scripta, nisi Latine confecta fuissent, in tantam toto orbe terrarum claritudinem perventura fuisse arbitramur? Usu autem linguae Latinae in dies magis languescente maximum oritur incommodum cum ceteris, tum minoribus illis nationibus, quarum sermonem patrium ne finitimi quidem satis cognitum habent. Nam quidquid viri docti inde oriundi vernacula sua lingua conscribunt, licet ingeniosissimum sit, vix tamen cuiquam in notitiam venit exterorum. Nunquam certe aut Madvigius, si Danice, aut Cobetus, si Hollandice, aut Linnaeus, si Suecice opera sua scribere praeoptasset, tantam inter omnes gloriam adeptus esset.

Verum iam mihi videor audire adversarium aliquem obmurmurantem: »Ohe, iam satis est! Quid tu γλαῦκ' Ἀθήναζε? Neque enim quisquam, nisi forte insanit, linguam universalem viris doctis diversarum gentium maximam utilitatem et attulisse et afferre infitiatur. Sed cum hunc unionem in sterquilinio tuo quaerere instituis, operam perdas necesse est et in sole videris caligare. Habemus enim, habemus iam illam, quam tu exoptas, linguam universalem, omnibus numeris absolutam, quam paucis ante annis medicus quidam Russicus excogitavit et faustis ominibus »Esperanto« appellavit. Quantopere doctissimo cuique ea lingua probetur, vel inde apparet, quod ipse Guil. Ostwald, professor chemiae, etsi linguis discendis homines non sagaciores, sed stolidiores evadere nuper affirmavit, tamen hanc unam excipit, amplexatur, commendat. Et recte quidem id facit. Novae enim linguae grammatica toto caelo differt a Latina, quam prudentissimus quisque carnificinam puerorum suo iure nuncupat. Neque enim sexcentis illa praeceptis et exceptionibus obscuratur, sed tam paucis tota pagellis continetur, ut totidem diebus perdisci queat quot annis Latina.«

Eiusmodi laudes iactantiae plenas, quales in ephemeridibus subinde leguntur, speciosiores esse quam veriores quis non videt? Grammaticam illam quidem faciliorem esse ad discendum quippe quam maxime coartatam concedo; at quae linguas discentibus occurrunt difficultates, non solum in grammaticae subtilitate versantur, sed etiam in copia verborum acquirenda. Nempe id manifestum est neminem, nisi multa milia vocabulorum didicerit, ex ulla lingua ad l i t t e r a s u t i q u e t r a c t a n d a s satis utilitatis capere posse. Iam vides, quanta voluptas maneat misellum esperantistam! Multa milia vocabulorum memoriae infigenda sunt neque ea historico quodam fundamento innixa, sed arbitratu nescio cuius ex variarum linguarum radicibus formata ac detorta. Neque quod alias linguas discentibus contingere solet, ut maximorum scriptorum libros pervolutantes sensim et cum voluptate magnam sibi copiam verborum pariant, id commenticiae linguae amatori usu venire potest. Nam vocabula ei arbitraria multo sudore corradenda sunt ex aridis et ieiunis commentariis et scriptiunculis eorum, qui in eadem qua ipse harundine equitant. Sed hoc ipsum concedatur esse alicubi homines tanto animi ardore praeditos, ut fastidia illa omnia improbo labore evincant, ecquid erit praemii? Periculum autem instat, ne paulo post nova lingua universali subnascente pristinae memoria oblitteretur et divinae illae esperantistarum chartae quemadmodum olim volapuekistarum in cauponas deferantur ad merces amiciendas.

(Proximo absolvetur numero.)

Nicolai Vernulaei

De Peregrinatione

in Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam
dissertatio

Oratio II: Hispani Oratoris

Carolus Quintus, ille Imperatorum omnium gloriosissimus, cum depositis imperii insignibus et abdicata a se tot provinciarum et regnorum admini-

stratione in Hispaniam ex Belgio suo proficisceretur, ubi primum terram attigit, Salve, inquit, mihi optatissima mater, nudus ex utero matris exivi, nudus ad te tamquam ad alteram matrem redeo, et quod unum possum, pro tam multis in me meritis corpusculum hoc et ossa mea do tibi dedicoque. Quibus verbis satis profecto invictissimus Imperator declaravit, quod, cum tot regna alia opulentissima, tot provincias amplissimas suae potentiae terminis complexus esset, omnibus tamen Hispaniam anteferret, in qua post tot victorias ac triumphos mori sepelirique desideraret. Huius autem ut iudicium hodie sequamur, maneat equidem per me licet cuique provinciae sua laus; nullam contemnimus, nulli derogatum quicquam desideramus, solius tamen Hispaniae perlustrationem peregrinationibus omnibus aliis praeferendam esse libenter affirmo. Excitate vestros animos, quotquot hic adestis, et vel sola cogitatione in Hispaniam mecum abitote. Invitat peregrinantes omnes coeli eius temperies, quae tota vitalis ac perennis est salubritatis. Nullae hic paludum graves nebulae, non violentus sol, quo, ut Africa, torreatur, non assidui venti, quibus, ut Gallia, fatigetur: temperatus est calor, felices et tempestivi imbres, quibus ita in omnia frugum genera tellus est fecunda, ut non incolis tantum suis, verum etiam Italiae Romaeque rerum omnium abundantiam subministret. Aurae quaedam marinae provinciam universam penetrant et eventilato terrestri spiritu integram incolis omnibus sanitatem procurant, ut non immerito poetarum ille parens Homerus atque ii etiam, qui post ipsum priscis illis temporibus vixerunt, felices beatorum sedes et Elysios campos in Hispania constituerint. Invitat etiam ipsa tantae provinciae opulentia, per quam sit, ut Hispani ad Europaeos fere omnes et sub sole cadentes Indos vina generosissima, oleum praestantissimum, salem candidissimum, olivas muria maceratas, gallam, Graecas nuces seu amygdala, ficus et quoslibet arborum fructus sapidissimos, lina pretiosa, vellera nobilissima, omnis generis metalla transmittant. Vino Hispanico non opus est suspensa hedera. Quamquam urbes ipsas adeamus et totam Hispaniam quodammodo perambulemus. Vultis Hispalim primum intremus? Nulla urbs toto orbe opulentior, quae Traianum, Adrianum, Theodosium Imperatores aliquando protulit. Hic est magnifica illa commerciorum Indicorum domus, quam peregrinantes omnes numquam satis admirantur. Hic binae quotannis classes auro, argento, gemmis onustae novi orbis divitias exponunt. Haec obsequii et vectigalis ergo catholico regi aureorum sesqui millionem quotannis pendit. Verbo dicam, et cum Hispanis dicam: Qui non ha visto Sevilla, non ha visto maravilla. Vultis Granatam videamus? Nulla hac urbe capacior est, nulla populosior; in qua regum videre palatium vermiculato opere ac tantae magnitudinis licet, ut intra parietes murosque suos nullo negotio quadraginta propugnatorum milia concludat. Urbs sane potius est quam domus. Vultis Toletum adeamus? Haec urbium fere omnium est clarissima, in qua septendecim aliquando celebrata concilia fuerunt, in qua Gothorum illorum veterum aula, templum sane augustissimum, archiepiscopus Hispaniae primus et a rege secundus, in qua plus quam hominum milia decem lanificio sericoque vitam sustentant, in qua admirandus ille aquaeductus, qui hydraulica machina, magna versatili rota, ingenti impetu aquam ex Tago per ductiles quosdam tubos in editissimam urbis partem pertrahit, unde per rivulos postea distribuitur. Intremus Valentiam, profecto nullam hac urbe formosiorem esse dicemus. Hic hieme aestateque citreos inter parietes et citrea conclavia viriditas est in promptu. Hic ipsa loci elegantia patriae oblivionem advenis inducit. Magnificentiam eius vel hinc tantum considerate. Cum introducta Valentiam est Margareta Austriaca, Philippi Tertii regis coniux, tricies centena aureorum milia, ut reginam honoraret, una haec urbs insumpsit. Subeamus iam Madritum. Quid esse gratius hac urbe potest?

In ea cum Carolus Quintus Imperator quartana conflictaretur, sola aeris clementia molestissimum brevissimo tempore morbum fugavit. Quid eius aula magnificentius? quid maiestate augustius? quid consilio prudentius? Nondum de his rebus dico. Percurramus ceteras urbes, si placet. Segoviam, qua nulla laboriosior est, ubi lanificium est laudatissimum, ubi mendicus est nullus, nisi aeger, puer, senex, Vallisoletum, cuius est praecipua nobilitas et in qua septingentorum passuum est forum et in qua Philippus Secundus aliquando est natus, Legionem, qua nullam peregrinantes praestantiorem affirmant, cuius templum omnium toto regno templorum est artificiosissimum et in quo triginta septem regum uniusque Hispaniae Imperatoris mausolea visuntur, Compostellam, qua nulla religiosior, Barcinonem, qua nulla mundior, Caesaraugustam, qua nulla augustior vel aedium nitore pulchrior, Flaviobrigam, qua nulla negotiosior et ubi quotannis quinquaginta naves lana tantum oneratae varias in regiones transvehuntur. Percurrere reliquas omnes urbes non possum nec sane percensere. Unam Ulissiponem, qua nulla esse illustrior potest, quis intueri ac perambulare non optet? Vere dicam:

hic in parvo est India tota sinu.

Hic ab Afris, ab Asiaticis, ab Indis advecti ingentes omnino thesauri liberali manu per universam Europam dispensantur. Quodsi iam his urbibus omnibus perlustratis regionem omnem uno intuitu videre possetis, cerneretis eam plumbi, ferri, aeris, argenti, auri metallis totam ubique scatentem. Nec in citeriore speculares desunt lapides nec in Baetica minium. Diceretis Vulcanum officinam suam, Martem armamentarium suum apud Cantabros posuisse. Tanta ibi ferri est copia, et si fides habenda Plinio est, mons est in Cantabriae maritima parte totus ex ferro. Iudicaretis in subterraneis Hispaniae partibus Plutum, opulentiae deum, habitare, ut non a vero abesse videatur, quod de Gallecia Iustinus affirmat in ea agricolas aratro suo glebas aureas frequenter exscindere. Non hic volo Hispaniae fluvios nominare, qui centum sunt et quinquaginta, non ad calculum pontes revocare, qui septingenti numerantur, non fontes percensere, qui in solo Xericii agro mille sunt et quingenti. Minora haec commemorari non debent, ubi miracula possunt ostendi. An non miraculum est Escuriale, illud Sancti Laurentii monasterium, illa non egregia tantum, sed regia sane moles, in quam Philippus Secundus ducenties centena coronarum milia, viginti, inquam, milliones insumpsit. Tanta est eius amplitudo, ut quattuor simul regibus hospitium praebere commode possit. Tanta est eius excellentia splendorque, ut pyramides Aegyptiorum vincat, Graecorum delubra superet, Romanorum amphitheatra, thermas, capitolia, palatia, immo omnia mundi miracula longo post se intervallo relinquat. Habes in eo hortorum nitorem, habes silvarum umbracula, habes fontium amoenitatem, habes omnia. Enimvero, cum tanta ac talis sit Hispania, dignissima proinde, quae nationum omnium peregrinationibus perlustretur, tum nihil est, vel ad morum compositionem, vel ad eruditionem quavis in disciplina comparandam, vel ad prudentiam bello togaque formandam, quod addiscere peregrinantes in ea non possint. Si componendi sint mores, videre licet Hispanorum graves animos et cum pondere quodam elatos, qui profecto subito numquam impetu huc et illuc effunduntur. Fortissimi sunt, mortis contemptores, in omnia pericula ita pertinaces, ut nec tempore nec taedio vincantur. Habent et a natura et ab arte constantiam, nec a loco, quem insederint, nec a verbo, quod protulerint, facile dimoventur. Cum loquuntur, grandis est sermo et cum sermone vultus conspirans, cum agunt aliquid, severa quaedam maiestas apparet. Parcimoniam ita amplectuntur, ut per eam suas opes servent; temperantiam ita colunt, ut ad eam illorum etiam corpora sint instituta, quorum tamen vestitum, ne sordidi videantur, libenter elegantiorem ostentant. Rigidis assueti sunt virtutibus et frugalitate singulari vivunt,

nisi alienae mensae liberalitas cum hilaritate libertatem concedat. Nulla adversitas detrahere supercilium Hispanis potest et vel etiam in ipsa egestate magnos spiritus non deponunt. Tanta spes eorum est, ut nunquam desperent. Pietas religioque ita Hispanorum propriae sunt virtutes, ut stare illae per ipsos tantum et in eorum animis domicilium elegisse videantur. Etiam cum armis pietatis insignia coniungunt et catholicorum nulli ferventiores sunt quam Hispani. Nullibi accuratior rigidiorque iustitiae disciplina quam apud Hispanos, nulli in amicos liberaliores quam Hispani. Dissimulare non ignorant, solertes sunt et astuti, semper tamen fideles. Quid ergo? Nihil aliud Hispania est, quam quaedam virtutum omnium schola, in qua Hispani earum sunt magistri. Adeo, qui pietatem, qui gravitatem, qui temperantiam, qui constantiam, qui iustitiam, qui virtutes alias perdiscere usuque ipso animis suis imprimere concupiscunt, in Hispaniam profiscantur. Si militaris ars aut eruditio quaeratur, ubi obsecro vel haec vel illa melius quam in Hispania comparabitur? Hispaniae uni, inquit Latinus Pacatus, quidquid ubique laudatur, assurgit: haec durissimos milites, haec facundissimos oratores, haec clarissimos vates parit, haec iudicum mater, haec principum est. Neque vero tantum olim nullam vitam sine armis rati sunt Hispani, non tantum bellatrix olim terra illa, viris armisque nobilis et Hannibalis eruditrix fuit, verum etiam hac nostra tempestate seminarium est innumerorum exercituum Hispania, ex qua plures in orbem fere universum quotannis legiones exeunt, quam in regnis aliis milites reperiantur. Nimirum Hispanorum pugnacissimis animis et dexteris oriens occidensque superatur et eorum fortitudo catholicae fulcrum est religionis. Cum optimi pedites sint, tum in equis, quibus in eo regno nihil ad velocitatem, generositatem, elegantiam deest, certe sunt boni. Quid vero deesse tandem ad eruditionem comparandam posset, ubi tot nobilissimae et toto orbe florentissimae sunt academiae? Conimbricensis est, egregium Hispaniae decus, quae uberrimos ingeniorum fructus effundit et ubi studiosa frequensque iuventus prisco more togata procedit. Ibi Complutensis est, Hispaniarum Athenae, unde praeclarissima ingeniorum lumina depulsa barbarie prodierunt. Ibi Salmanticensis est, quae, cum sit alterae Hispaniarum Athenae, tum urbs ipsa regni totius est ornamentum. Illam iure sane virtutum et scientiarum oceanum appellabo, ex qua tot ingeniorum et virtutum rivuli in Hispaniam universam deducuntur. Nam ex ea populi iura et leges petunt, reges ad curiam suam senatores accipiunt, cathedrae et suggestus doctores exoptant. Nec huic tantum Hispani, verum etiam maxima frequentia exteri tamquam ad celeberrimum Minervae emporium confluunt. Taceo Hispalensem, Caesaraugustanam, Granatensem, Toletanam, taceo alias omnes, in quibus philosophia theologiaque sedem ac domicilium fixisse videntur et quas legum canonumque peritia toto orbe famosissimas effecit. Fateor equidem deesse hoc tempore in Hispania spiritum illum eruditionis, qui omnem scientiarum partem debet implere, deesse robustam illam Latinae eloquentiae venustatem, sine qua vix ultra balbutiem squalens sapientia aliquid potest, ingeniosi tamen sunt Hispani et in apice scientiarum non inutilem infirmumque volatum tentant. Principatum Hispani in philosophia obtinent, imperium in theologia, olim etiam plurium aliarum domini erant scientiarum, ut opus iam non sit heroas illos omnis eruditionis nominare, quorum ingenia omnis posteritas honorabit. At erit fortassis ad reipublicae gubernacula natus quispiam, qui, ut veri perfectique regiminis rationes intellegat, peregrinari concupiscit. Eat sane et in Hispaniam peregrinetur. Alibi aristocratiae democratiaeque melius arcana fortasse cognoscet, at hic monarchiae maiestatis potentiam, splendorem, auctoritatem animadvertet et singulorum ordinum incredibilem prudentiam notabit. Iactitent alii suam industriam et dexteritatem, quantum volunt, ostentent, di-

cam audacter, nulli prudentius quam Hispani gubernant. Eorum est prudentia, eorum sunt consilia politicaeque rationes, quae tot urbes, regiones, provincias, tot ubique terrarum ad orientem occidentemque regna, tam remota tamque diversis referta populis administrant. Unus Hispaniae senatus suo consilio regum omnium potentiam deterret, unum Hispaniae consilium principum omnium aliorum et rerumpublicarum astutiam eludit. Hic omnes gubernandi leges, hic magistratuum officia, hic altae mentis consilia, hic patentem consultantium maturitatem, hic omnes reipublicae regendae rationes, arcana, stratagemata videre discereque peregrinantes sane possunt. Quae cum ita se habeant, sit ea iam omnium confessio Hispaniam esse, cuius perlustratio morum dignitatem, militarem disciplinam, summam in omni genere eruditionem, singularem prudentiam cum incredibili iucunditate adfert. Dixi.

Hispani mores cum eius laude:

Hispanus fortis, constans et fidus amico
Magnaninum sese munificumque probat.
Diluti parce delibat pocula Bacchi,
Fervida ne cerebro vina nocere queant.
Ingenium nactus naturae munere acutum
Perfacile eximiis proficit in studiis.
Templa alacri Divum gressu sacrata frequentat,
Supplex ante aras vota precesque facit.
Bello eques atque pedes velox, praedurus in hostem
Barritum pugnans voce boante refert.

Pii X. Pp.

Motu Proprio,

quo quaedam statuuntur leges ad modernismi periculum propulsandum

(Pergitur)

His universe dictis, nominatim servari diligentius praecipimus, quae articulo XLII Constitutionis **Officiorum** in haec verba edicuntur: **Viri e clero saeculari prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.** Qua si qui venia perniciose utantur, eâ, moniti primum, priventur. — Ad sacerdotes quod attinet, qui **correspondentium** vel **collaboratorum** nomine vulgo veniunt, quoniam frequentius evenit eos in ephemeridibus vel commentariis scripta edere mod rnismi labe infecta; videant Episcopi ne quid hi, contra quam siverint, moliantur datamque potestatem si oportet, retractent. Idipsum ut religiosorum moderatores praestent gravissime admonemus: qui si negligentius agant, Ordinarii auctoritate Pontificis Maximi provideant. — Ephemerides et commentaria, quae a catholicis scribuntur, quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, integre attent que perlegere: si quid d ctum periculose fuerit, id in sequenti folio vel libello corrigendum iniungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.

V. Congressus publicosque coetus iam supra memoravimus, utpote in quibus suas modernistae opiniones tueri palam ac propagare student. — Sacerdotum conventus Episcopi in posterum haberi ne siverint, nisi rarissime. Quod si siverint, ea tantum lege sinent, ut nulla fiat rerum tractatio quae ad Episcopos Sedemve Apostolicam pertinent; ut nihil proponatur vel postuletur, quod sacrae potestatis occupationem inferat; ut quidquid modernismum sapit, quidquid presbyterianismum vel laicismum, de eo penitus sermo conticescat. — Coetibus eiusmodi, quos singulatim, scripto, aptaque tempestate permitti oportet, nullus ex alia dioecesi sacerdos intersit, nisi litteris su

---

Certamen Poeticum Hoeufftianum

Die XIII m. Martii in conventu Ordinis Literarii Academiae Regiae Disciplinarum Nederlandicae relatum fuit de XXXIII carminibus, quae Amstelodamum missa fuerant, ut de praemio certarent. Horum aureo praemio dignum judicatum est carmen inscriptum

Fanum Vacunae,

cuius auctor apparuit

Ioannes Pascoli Bononiensis.

Praeterea prelo dabuntur quatuor carmina praestantissima, si poetae veniam dederint schedulas aperiendi. Sunt autem his titulis: *Petronius, Pascua montium, Avia, Ravenna.*

H. T. Karsten,

Amstelodami, d. XIV m. Mart. 1911. Acad. Reg. h. t. ab Actis.

Episcopi commendatus. — Omnibus autem sacerdotibus animo ne excidant, quae Leo XIII gravissime commendavit: **Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: pro certo habeant sacerdotale munus nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum.**[1])

VI. Sed enim, Venerabiles Fratres, quid iuverit iussa a Nobis praeceptionesque dari, si non haec rite constanterque serventur? Id ut feliciter pro votis cedat, visum est ad universas dioeceses proferre, quod Umbrorum Episcopi,[2]) ante annos plures, pro suis prudentissime decreverunt. **Ad errores**, sic illi, **iam diffusos expellendos atque ad impediendum quominus ulterius divulgentur, aut adhuc exstent impietatis magistri per quos perniciosi perpetuentur effectus, qui ex illa divulgatione manarunt; sacer Conventus, sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerens, institui in unaquaque dioecesi decernit probatorum utriusque cleri consilium, cuius sit pervigilare an et quibus artibus novi errores serpant aut disseminentur atque Episcopum de hisce docere, ut collatis consiliis remedia capiat quibus id mali ipso suo initio exstingui possit, ne ad animarum perniciem magis magisque diffundatur, vel, quod peius est, in dies confirmetur et crescat.** — Tale igitur consilium, quod **a vigilantia** dici placet, in singulis dioecesibus institui quamprimum decernimus. Viri, qui in illud adsciscantur eo fere modo cooptabuntur, quo supra de censoribus statuimus. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo convenient: quae tractarint, decreverint, ea arcani lege custodiunto. Officii munere haec sibi demandata habeant. Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigent vigilanter; pro cleri iuventaeque incolumitate, prudenter sed prompte et efficaciter praescribant. — Vocum novitatem caveant, meminerintque Leonis XIII monita: **Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem quae, pravae novitati studens, pietatem fidelium ridere videatur, loquaturque novum christianae vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem, aliaque id genus multa.**[3]) Haec in libris praelectionibusque ne patiantur. — Libros ne negligant, in quibus piae cuiusque loci traditiones aut sacrae Reliquiae tractantur. Neu sinant eiusmodi quaestiones agitari in ephemeridibus vel in commentariis fovendae pietati destinatis, nec verbis ludibrium aut despectum sapientibus, nec stabilibus sententiis, praesertim, ut fere accidit, si quae affirmantur probabilitatis fines non excedunt vel praeiudicatis nituntur opinionibus. — De sacris Reliquiis haec teneantur. Si Episcopi, qui uni in hac re possunt, certo norint Reliquiae cuiuspiam auctoritates, quae ob civiles forte perturbationes vel alio quovis casu, interierint; ne publice ea proponantur nisi rite ab Episcopo recognita. Praescriptionis argumentum vel fundatae praesumptionis tunc tantum valebit, si cultus antiquitate commendetur; nimirum pro decreto, anno MDCCCXCVI a sacro Consilio indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis edito, quo edicitur: **Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel supposititias esse.** — Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat nisi cautione multa adhibita praemissaque declaratione ab Urbano VIII sancita; quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, abhinc annis triginta, edicebat: **Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam.**[1]) Hoc qui teneat, metu omni vacabit. Nam apparitionis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et **relativa** dicitur, conditionem semper habet implicitam de veritate facti: prout vero **absoluta** est, semper in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur. Similiter de Reliquiis affirmandum. — Illud demum Consilio vigilantiae demandamus, ut ad socialia instituta itemque ad scripta quaevis de re sociali assidue ac diligenter adiiciant oculos, ne quid in illis modernismi lateat, sed Romanorum Pontificum praeceptionibus respondeant.

VII. Haec quae praecepimus ne forte oblivioni dentur, volumus et mandamus ut singularum dioecesum Episcopi, anno exacto ab editione praesentium literarum, postea vero tertio quoque anno, diligenti ac iurata enarratione referant ad Sedem Apostolicam de his quae hac Nostra Epistola decernuntur, itemque de doctrinis quae in clero vigent, praesertim autem in Seminariis ceterisque catholicis Institutis, iis non exceptis quae Ordinarii auctoritati non subsunt. Idipsum Moderatoribus generalibus ordinum religiosorum pro suis alumnis iniungimus.

His, quae plane confirmamus omnia sub poena temeratae conscientiae adversus eos, qui dicto audientes esse renuerint, peculiaria quaedam adiicimus, quae ad sacrorum alumnos in Seminariis degentes et ad instituti religiosi tirones referuntur. — In Seminariis quidem oportet partes omnes institutionis eo tandem aliquando conspirent ut dignus tali nomine formetur sacerdos. Nec enim existimare licet, eiusmodi contubernia studiis dumtaxat aut pietati patere. Utrâque re institutio tota coalescit, suntque ipsa tamquam palaestrae ad sacram Christi militiam diuturna praeparatione fingendam. Ex iis igitur ut acies optime instructa prodeat, omnino sunt duae res necessariae, doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. Altera postulat ut alumna sacrorum iuventus iis artibus apprime erudiatur quae cum

[1]) Litt. Encycl. „Nobilissima", VIII Febr. MDCCCLXXXIV. [2]) Act. Consess. Epp. Umbriae Novembri MDCCCXLIX, tit. II, art. 6. [3]) Instruct. S. C. NN. EE. EE. XXVII Ian. MCMII.

[1]) Decr. II Maii MDCCCLXXVII.

studiis rerum divinarum arctiorem habent cognationem; altera singularem exigit virtutis constantiaeque praestantiam. Videant ergo moderatores disciplinae ac pietatis, quam de se quisque spem iniiciant alumni, introspiciantque singulorum quae sit indoles; utrum suo ingenio plus aequo indulgeant, aut spiritus profanos videantur sumere; sintne ad parendum dociles, in pietatem proni, de se non alte sentientes, disciplinae retinentes; rectone sibi fine proposito, an humanis ducti rationibus ad sacerdotii dignitatem contendant; utrum denique convenienti vitae sanctimonia doctrinaque polleant; aut certe, si quid horum desit, sincero promptoque animo conentur acquirere. Nec nimium difficultatis habet investigatio; siquidem virtutum, quas diximus, defectum cito produnt et religionis officia ficto animo persoluta, et servata metus causà, non conscientiae voce, disciplina. Quam qui servili timore retineat, aut animi levitate contemptuve frangat, is a spe sacerdotii sancte fungendi abest quam longissime. Haud enim facile creditur, domesticae disciplinae contemptorem a publicis Ecclesiae legibus minime discessurum. Hoc animo comparatum si quem deprehenderit sacri ephebei moderator, et si semel iterumque praemonitum, experimento facto per annum, intellexerit a consuetudine sua non recedere, eum sic expellat, ut neque a se neque ab ullo episcopo sit in posterum recipiendus.

Duo igitur haec ad promovendos clericos omnino requirantur; innocentia vitae cum doctrinae sanitate coniuncta. Neve illud praetereat, praecepta ac monita, quibus Episcopi sacris ordinibus initiandos compellant, non minus ad hos quam ad candidatos esse conversa, prout ubi dicitur:

> Providendum, ut caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendet .... Sint probi et maturi in scientia simul et opere ... eluceat in eis totius forma iustitiae.

Ac de vitae quidem probitate satis dictum esset, si haec a doctrina et opinionibus, quas quisque sibi tuendas assumpserit, posset facili negotio seiungi. Sed, ut est in proverbiorum libro: **Doctrina sua noscetur vir;**[1]) utque docet Apostolus: **Qui... non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.**[2]) Quantum operae vero dandum sit addiscendis rebus multis equidem et variis, vel ipsa huius aetatis conditio docet, nihil gloriosius efferentis quam lucem progredientis humanitatis. Quotquot igitur sunt ex ordine cleri si convenienter temporibus velint in suis versari muneribus; si cum fructu **exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere;**[3]) si opes ingenii in Ecclesiae utilitatem transferre, oportet cognitionem rerum assequantur, eamque minime vulgarem, et ad excellentiam doctrinae propius accedant. Luctandum est enim cum hostibus non imperitis, qui ad elegantiam studiorum scientiam saepe dolis consutam adiungunt, quorum speciosae vibrantesque sententiae magno verborum cursu sonituque feruntur, ut in iis videatur quasi quid peregrinum instrepere Quapropter expedienda mature sunt arma, hoc est, opima doctrinae seges comparanda omnibus, quicumque sanctissimis perarduisque muneribus in umbratili vita se accingunt.

[1]) Prov. XII, 8 [2]) II Ioan. 9 [3]) Tit. I, 9.

Verum, quia vita hominis iis est circumscripta limitibus ut ex uberrimo cognoscendarum rerum fonte vix detur aliquid summis labiis attingere, discendi quoque temperandus est ardor et retinenda Pauli sententia: **non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.**[4]) Quare, quum clericis multa iam satis eaque gravia sint imposita studia, sive quae pertinent ad sacras litteras, ad fidei capita, ad mores, ad scientiam pietatis et officiorum, quam **asceticam** vocant, sive quae ad historiam Ecclesiae, ad ius canonicum, ad sacram eloquentiam referuntur; ne iuvenes aliis quaestionibus consectandis tempus terant et a studio praecipuo distrahantur, omnino vetamus diaria quaevis aut commentaria, quantumvis optima, ab iisdem legi, onerata moderatorum conscientia, qui ne id accidat religiose non caverint.

Ut autem suspicio segregetur omnis clanculum se inferentis modernismi, non solum omnino servari volumus quae sub numero secundo superius praescripta sunt, sed praeterea praecipimus ut singuli doctores, ante auspicandas ineunte anno praelectiones, Antistiti suo textum exhibeant, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones, sive **theses**; deinde ut per annum ipsum exploretur sua cuiusque magisterii ratio; quae si videatur a sana doctrina discedere, causa erit quamobrem doctor illico amoveatur. Denique, ut, praeter fidei professionem, iusiurandum det Antistiti suo, secundum adiectam infra formulam, et subscripto nomine.

Iusiurandum hoc, praemissa fidei professione per formulam a sa. me. Decessore Nostro Pio IV praescriptam, cum adiectis definitionibus Concilii Vaticani, suo Antistiti item dabunt:

I. Clerici maioribus ordinibus initiandi; quorum singulis antea tradatur exemplar tum professionis fidei, tum formulae edendi iurisiurandi ut eas accurate praenoscant, adiecta violati iurisiurandi, ut infra, sanctione.

II. Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi.

III. Parochi, Canonici, Beneficiarii ante ineundam beneficii possessionem.

IV. Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus, haud exceptis Vicario generali et iudicibus.

V. Adlecti concionibus habendis per quadragesimae tempus.

VI. Officiales omnes in Romanis Congregationibus vel tribunalibus coram Cardinali Praefecto vel Secretario eiusdem sive Congregationis sive tribunalis.

VII. Religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores et Doctores antequam ineant officium.

Professionis fidei, quam diximus, editique iurisiurandi documenta, peculiaribus in tabulis penes Curias episcopales adserventur, itemque penes Romanarum Congregationum sua quaeque officia. Si quis autem, quod Deus avertat, iusiurandum violare ausus fuerit, ad Sancti Officii tribunal illico deferatur.

(Ad proximum numerum)

[4]) Rom. XII, 3.

Thomas et Dryas

(Ad exemplar carminis Bohemici Latine refinxit F. P.)

Lectorum exterorum causa haec videntur praemonenda: Fert vetus fabula imprimis apud Bohemos divulgata nocte festum sancti Joannis praecedente Dryadas querceta infestare et viatores obvios ad se allectos trucidare.

Vespere, qui divi praecedit festa Joannis,
alloquitur Thomam voce tremente soror:
„Cornipedem cur sternis equum? Quo tendis abire?
Serus adest vesper: quo tibi, frater, iter?"
„In venatoris tectum fert pectoris ardor:
visere me sponsam mens iubet impatiens.
Interulam mihi carbaseam roseumque ministra
palliolum: reducem me tibi mane dabit."

Prosilientis equi iam verberat ungula campum
iamque „Vale" clamat „frater amate" soror.
„Si sapis, audi me! Vita querceta dolosa
ad Montem potius flecte viamque Sacrum!
Securus per agros ibis; querceta minantur
fraudem; ne mihi sint fata dolenda tua!"
Obsequitur Thomas; vitat querceta, per arva
cautus carpit iter. Jam prope meta viae:
Sub luco domus est, habitat venator in illa,
luminibus multis cella decora micat.
Assidunt mensae convivae, garrula turba,
et risu resonant interiora casae.
Sistit equi cursum Thomas, per vitra fenestrae
prospiciens: stupuit congemuitque simul.
Inter convivas virgo sedet: ardor ocelli
aestum significat pectoris insolitum.
Arridet sponso, dum mutua foedera pangit
coniugii genitor fert genetrixque dapes.
Indulgent geniis nec curant, ante fenestram
cur equus hinnitum det gemitumque puer.
Erubuit tandem parvam nutuque sororem
ad se clam, culpae conscia, sponsa vocat.
Quaedam secreto mandata susurrat in aurem;
it germana foras iussaque verba refert:
„Tempus in omne vale, Thoma! Nam quae tibi pacta
sponsa fuit, — thalamum praetulit alterius.
En — procus alter adest. Alibi tibi quaere puellam,
foedere perpetuo quam tibi iungat Hymen!"
Contraxit frontem iuvenis frendente nec ore
mussavit: retro — non mora — flectit iter.
Noctis adest medium: maesta caligine tellus
velatur, nebulis abdita luna latet.
Tramitis incertus mox huc, mox vertitur illuc
Thomas: quercetum nescius ecce subit.
„Ex tenebris oritur stellarum blanda caterva,
occidit in tenebras grata iuventa mea."

Sic queritur, querceta gemunt dum flamine venti
atque super vallem noctua triste boat.
Horret equus: mox huc, mox illuc lumina versat
et pavitans teretes arrigit auriculas.
Mota strepunt subito dumeta petitque glabreta
effreno cursu strenuus hinnuleus.
Hoc Dryas invehitur, zona succincta decenti,
insignis viridi veste nigraque coma.
Ecce - cicindelae splendentes luce corusca,
pileolo vittae dant decus aureolae.
Ter circum Thomam, velut arcu missa sagitta
hinnuleo vehitur; deinde retardat iter.
Agglomerat pueri lateri latus atque volatu
aequato comes it blandaque verba canit:
„Belle puer, curam ventis iam trade protervis!
Perfidiam sponsae mitte dolere tuae!
Haud mora: sponsa tibi dabit altera gaudia mille;
tristitiam ventis da modo ferre, puer!"
Haec canit et iuvenem defixo lumine spectat:
huius nescio quae pectora flamma rapit.
Per nemoris muscosa feruntur in infima vallis;
non umquam iuvenis deserit illa latus:
„Belle puer, posito iam me comitare pavore
et propera mecum visere tecta mea!
Gaudia mille dabo, placuit tibi si mea forma:
tu modo sollicitum, bellule, solve metum!"
Haec dum dulce canit, dextram complectitur illi:
insolitus Thomae permeat ossa vigor.
Iam praeter fluvium, iam praeter saxa feruntur;
non umquam pueri deserit illa latus:
„Belle puer, sponsus nostros descende penates!
Aedibus in nostris illico — crede mihi —
obrepent menti rutilantis oblivia solis.
Rumpe moras sponsus vise meosque lares!"
Haec dum dulce canit, pueri premit ora labellis
amplexuque suo candida colla fovet.
Cor tremuit Thomae: iam dextra mittit habenas
in saxum dorso cornipedisque ruit.

Vix primis radiis sol sparserat igneus orbem:
solus equus Thomae constitit ante casam.
Duram pulsat humum pedibus tristesque dat ore
hinnitus: atrox nuntiat ille malum.
Hunc ubi prospiciens Thomae germana fenestra
vidit, utraque manu pectora maesta ferit:
„Vae mihi! Qua vitam posuisti, frater amate,
dulce tuum corpus qua iacet exanimum?"

Notandum!

Nomen auctoris, qui de comoedia palliata et fabula togata **scripsit in numero VII$^{\underline{o}}$**, **non Laric scribi debuit**, sed
Lazic apice vel accentu acuto supra c literam posito). **Red.**

Carmina Germanica

latine vertit

Gulielmus Lehmann Vratislaviensis.

Justini Kerneri carmen „Preisend mit viel schönen Reden . . .“

Laude tollens regna sua
Principum Germaniae
Magna pars tenebat quondam
Regiam Vormatiae.

‚Clarum, pollens regnum meum‘
Princeps inquit Saxonum,
‚Viscera meorum plena
Sunt argenti montium.‘

‚Meus en‘ Rhenanus comes
Dixit ‚pagus splendidus!
Laetae segetes in arvis,
Palmites in montibus!‘

‚Urbes magnae, copiosa
Fana‘ dux Bavaricus
Ludovicus ‚meos fines
Vestris aequant penitus!‘

Eberardus, dux barbatus
Wurtembergae: ‚parvulae
Mi sunt urbes, in metallis
Non argenti copiae,

At thesaurus inest pago:
Luco vel in maximo
Ponere mi licet caput
In cuiusvis gremio.‘

Tum et Saxo ceterique
‚Dux barbate‘ concinunt
‚Tu ditissimus es: gemmas
Fines tui proferunt!‘

Goethii carmen „Erlkönig“

(De alnorum rege fabula)

Quis vehitur sero ventosa nocte caballo?
Cum gnato genitor tecta subire parans.
Sustinet hic manibus puerum curatque tegendo,
Ut sedeat tutus frigoribusque vacet.
‚Mi fili, tua sollicitus cur occulis ora?‘ —
„Alnorum regem, care, videsne, pater?
Alnorum regem cum velo cumque corona?“ —
‚Falleris: en — nebulae nil nisi limes adest.‘ —
„‚Infans grate, veni! mecum discede! venuste
Lusurum tecum me fore polliceor;
Sunt etiam varii flores in litore nostro
Auratas vestes et mea mater habet.‘“ —
„O mi care parens, non audis quas male mussans
Alnorum mihi rex pollicitetur opes?“ —
‚Tranquillo tu sis animo, mi gnate, quiescas:
Frondibus in siccis aura susurrat iners.‘ —
„‚Nonne placet, mi belle puer, tibi vadere mecum,
Ut curent natae te foveantque meae?
Nocte choros ducit mea proles teque canendi
Saltandique memor sopiet egregie.‘“ —
„O pater, alnorum viden illic regis euntes
Per loca crinitas nubila filiolas?“ —
‚Nugae, mi fili! satis hoc ego conspicor unum:
Nil nisi cana situ triste salicta micat.‘ —

„„Uror amore tui me formaque commovet ista,
Teque recusantem vi tamen arripiam.“‘ —
„O pater, o genitor, iam me comprendit inique
Subdolus ac miserum me violavit, eheu!“ —
Horrescens stimulat vir equum properatque, gementem
Bracchia filiolum praetrepidumque tenent.
Vix aegreque patri contingit adire penates;
At patris in gremio mortuus ille iacet.

Ex Epistulario Redactoris

Carissime!

Rogatum Te velim, ut me benigne adiuves in nomine poetae cuiusdam Latini indagando. Cum ante 20 fere annos Pragae studiis philologicis incubuissem, in manus mihi venit „Wochenschrift für klassische Philologie“ anni — ni fallor — 1888 (aut — quod minus verisimile — 1887 aut 1889). Ibi in necrologum incidi, quo directori cuidam gymnasii parentabatur. In aliis virtutibus defuncti summis laudibus efferebatur eius facultas Latinos versus pangendi. Huiusce facultatis probandae causa haec adiecta erat bellissima carminis Goethiani (Anakreons Grab) versio:

Qua rosae florent tenerae nitensque
pendulae lauro sociatur uva,
qua gemit turtur querulus strepitque
parva cicada:

cuius est bustum, superi quod omnes
conserunt ipsi nitido vigore
et fovent semper? Situs est poeta
Teius illic.

Veris aestatisque beatus ille
gaudiis est fructus eique comis
risit auctumnus: tumulus removit
tempora brumae.

Versio iam tunc adeo mihi placuit, ut non dubitaverim illam in pugillares meos transscribere. Sed - quod nunc aegre fero — nomen directoris illius eiusdemque poetae exscribere oblitus sum. Nec mihi nunc licet illud indagare, cum longissime absim a sede universitatis neque ullius locupletioris bibliothecae copia mihi pateat. Itaque vehementer Te rogo, ut et ipse nomen illud (quod nosse mea quidem tanti refert) eruere studeas et amicos Tuos haec duo interroges: 1) cui interpreti versio illa debeatur et 2) ex quo opusculo deprompta sit. Immo non absonum erit universam quaestionem omnibus Scriptoris Latini lectoribus proponere. Vale!

P..., 20./12. 10. F. . P...

His dum obsequor precibus amici, ab omnibus nostris lectoribus vehementer peto, ut, si possint, me de auctoris illius nomine certiorem faciant. Nam et ipse scire illud cupio nec minus voluntati satisfacere quaerentis. In Berolinensi enim, qui supra nominatur, hebdomadario carmen reperiri non potuit.
Red.

Varia

America olim a Sinensibus reperta.

Wickingos, illos nautas audacissimos, nono p. Chr. n. saeculo usque ad eas Americae partes, quae ad septentriones et orientem vergunt, pervenisse cum satis constet, pauci sciant compluribus saeculis antea a caelesti, quae vocatur, imperio missos esse, qui Mexicanos et Californenses ad Buddhae rationem converterent Atque in Sinensium quidem annalibus veteribus accurate scriptum est de magna terra 3250 miliaria longa, quae 6500 miliaria in orientem versus a Sina distet. Ea terra in veteribus libris Fusang sive Fusu nominatur. Et in actis publicis regum ex Lyango prognatorum exstat plena descriptio itineris anno 502. p. Chr. n. ab Hui-Sen bussone (quo nomine Buddhae sacerdotes appellantur) confecta, quo anno 458. p. Chr. n. quinque sacerdotes nave traduntur profecti esse, ut illius terrae incolas Buddhae disciplina erudirent. Ibi quae de caelo, de bestiis et plantis, de moribus et vestitu narrantur, his dilucida veraque Mexiconis veteris imago legentium animis repraesentatur. Apud Mexicanos autem fama est olim hominem quendam, qui ex longinqua ignotaque terra venisset, novam religionem novosque mores se

docuisse. Et adhuc restat in vico Madalena statua sacerdoti illi peregrino erecta. Hoc quoque cogitari potest nomen ama, quo sacerdotes Mexicani appellabantur, mutilatum esse ex nomine lama, quo sacerdotes Buddhae apud Tibetanos et eos Sinenses, qui ad septentriones incolunt, hodie appellantur Atque in compluribus terrae Mexicanae partibus certa vestigia cultus Sinensium videntur. Velut inveniuntur imagines Brachmanis omnibus corporis sui insignibus decorati et Buddhae suppositis pedibus sedentis in solio a duobus leonibus fulto. Atqui leones numquam ibi fuerunt. Ergo incolae illarum regionum ex nulla alia terra nisi ex Asia hoc genus bestiarum cognoscere potuerunt. Quae cum ita sint, Sinenses, qui permultis inventis ceteras gentes ad occidentem incolentes longo spatio antecesserint, etiam gloriam Americae primum repertae suo iure videntur posse vindicare.

J. Steinbauer Windsbachensis

Censura Librorum

Mme A. Tasset, La Main et l'Ame au Piano d'après Schiffmacher. Paris, Ch. Delagrave. 88. Pr. 3.50 frc.

Josephus Schiffmacher Argentoratensis, anno 1888 defunctus, modorum inventor et clarus interpres, marculi quidem dempto, puriore autem nervi sonitu, fidium percutiendarum novavit artem, et quo voce canoras efficeret, variisque ipsarum muneribus accommodaret, variam sonorum excogitavit fabricam atque qualitatem. Lumen enim umbrasque, personas et circumiecta, conspectaque gradatim cum sonorum modulationibus recedentia quum in carmine videret, voces bracchio moto aut immoto effecit, cum impetu immisit, aut digito exanimavit exeunte. Quae quidem ordinatim per operae et soni gradus seriemque perfecta appetitur expressio. Liber est in partes duas divisus, quarum prima doctrinam ex sententiis manu Schiffmacheri scriptis Alina Tassetia, quae fuit eius discipula, concinnat, altera usum explicat, summorum adhibitis magistrorum exemplis, praesertim Beethoveni et Chopini. Exempla musica non pauca lucida scalptura nitent.

Dr. W. Ahrens, Gelehrten-Anekdoten. Gesammelt und herausgegeben von . . . . Berlin-Schöneberg, Hermann Sack, 1911. 8°. IV + 144. Pr. ?

Collectioni salse dictorum, quae hominibus doctis imprimis Germaniae tribuuntur, et narrationum sive verarum sive fictarum, quae de eisdem viris circumferuntur, auctor praemisit lepidissimam commentatiunculam criticam de variis generibus, origine, fatis, auctoritate ac fide eiusmodi historiolarum (p. 1—36, cf. eiusdem Ahrensii disputatiunculam in „Montagsblatt. Wissenschaftliche Wochenbeilage der Magdeburgischen Zeitung", 1908, N. 23 et 24). Sequitur farrago facetiarum et narrationum, si recte computavi, numero 168, quae temporum, personarum, rerum ratione neglecta promiscue proferuntur. Auctor quidem in praefatione hanc materiae proponendae rationem excusare studet contendendo non posse his narratiunculis dictisque ordinem adhiberi, sed haec excusatio tantummodo in universum valet. Etenim cum personae, de quibus narratur, maximam partem professores variarum doctrinarum sint, possunt narratiunculae de eorum factis dictisque secundum disciplinas, quas docuerunt aut docent, distribui, veluti 1) de theologis, 2) de iuris consultis, 3) de medicis, 4) de philosophis, 5) de philologis, 6) de historicis, 7) de mathematicis et physicis, 8) de viris historiae naturalis peritis, cet. narrationes. Quid, quod auctor ne numeros quidem singulis narratiunculis praefixit? In fine uniuscuiusque historiolae numerus indicans fontem, ex quo illa hausta est, exstat, sed ipse fons i. e. titulus libri, cui debetur, in hoc volumine desideratur. Ahrens enim in praefatione p. III. ostendit se propediem alteram seriem facetiarum editurum eique fontes illarum et indicem nominum propriorum, qui huic volumini deest, adiuncturum esse. Quam edendi rationem nos nullo pacto probare possumus. Hoc enim modo unusquisque, qui hanc priorem collectionem emit, etiam alteram emere cogitur, quando quidem summi momenti est facultas cognoscendi et inspiciendi fontes, ex quibus singulae facetiae et narratiunculae fluxerunt. Omnino tamen ea, quae Ahrens proposuit, admodum iucunda sunt et animum legentis exhilarant. Etiam de philologis nonnulla narrantur, veluti de Carolo Lehrsio (p. 41 et p. 100), de Carolo Odofredo Muellero (p. 46), de Joh. Henrico Vossio (p. 53), de Ernesto Curtio (p. 59), de Chr. Aug. Lobeckio (p 86), de Ottone Ribbeckio (p. 95), de Theodoro Mommseno (p. 113 et 141 sq.), de Friderico Ritschelio (p. 119), de Frid. Theophilo Welckero (p. 142). Denique liceat mihi apponere notissimos Odysseae versus a Frid. Augusto Spohn, professore philologiae Lipsiensi (1792—1824), sic transformatos (p. 130):

Ἔνθα Σγναφὸν ἔπινε πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς
αὐστηρόν, πικρόν, Πομεράνζινον ὃν καλέουσιν
θνητοί, ἀθάνατοι δὲ θεοὶ καλέουσι Λικεῦρον.

Optandum est, ut auctor brevissimo tempore alteram ἀνεκδότων syllogen indicibus fontium et nominum propriorum instructam publici iuris faciat, sed ita, ut ipsae facetiae sive narratiunculae ad certas normas temporum, personarum, rerum revocatae legentibus proponantur.

Stanislaopoli Z. Dembitzer

Responsorium

Omnibus hoc spatio usuris monitum: Ne longius cogamur, responsa singulis data stilo rubricoso vel caeruleo notare, quod necessarium erat ad nomina distinguenda, petimus hodie, quemadmodum saepius ipsis fecimus epistulis, ut lectores ficticium nobis quoddam nomen indicare velint, quo imposterum in responsorio utamur.

S. B.: Quod Romanis vehes, nobis ‚fuder' dicitur, idem in scriptis medii aevi ‚k(c)arrata' vel ‚k(c)arraca' esse (a carrus nomine) nuper audivi a quodam illarum rerum peritissimo.

M. S.: Knoeteli opus quod non continet Homeri carmina, magnopere dolet, Lucretium autem ceterosque comparare tibi studebo. Exspecto, quos promisisti, commentarios tuos latinos, quos dignos esse lectorum commendatione minime dubito.

L. E.: Exempla versionum, e quibus tantum te fructum dicis percipere, continuabuntur.

Libri libellique dono accepti:

90 Jahre „In Treue fest". Festschrift zum 90. Geburtstage und 25jähr. Regierungs-Jubiläum des Prinzregenten Luitpold von Bayern. München, Dr. Wilds Buchdruckerei, 1911. XVIII + 239. Pr. ?

F. Teichmüller, Das Nichthorazische in der Horazüberlieferung. Berlin, Ernst Hofmann u. Co., 1911. 304. 4 M. (inde a kal. Mai. 6 M.)

G. Fumagalli, L'Ape Latina. Dizionarietto di 2588 frase, sentenze etc. latine, vive nel uso moderno. Milano, U. Hoepli, 1911. XIV + 353. Pr. 3.50 l.

F. Schulze, B. G. Teubner 1811—1911. Leipzig, B. G. Teubner, 1911. VI + 520, cum multis imagg. Pr. ?

Maurice v. Stern, Wilhelm Jordan. Ein deutsches Dichter- und Charakterbild. Frankfurt a. M., H. Lüstenöder, 1910. 158, c. Jordani effigie. Pr. 2 M (3 M.)

Corrigenda

In pag. 102 (in fine commentat.) lege: **per eorum** simulationem pro: porcorum, in pag. 103: **Wochenschr. f. klass. Philol.** pro: Berliner Philol. Wochenschr.

Periodica

Juventus. (Ed. Dr. Steph. Székely, Budapestini IX) Ann. II, num. 13: Mensis Martius — Irsik, Ad Crucifixum — Major, Ne sutor ultra crepidam — De Pompeis (XI) — Argonautae (II) — Verba publica — Gymnica — Geographica — Aeronautica — Nuntii recentissimi — Danczer, Quo vadis (III) — Salse dicta — Aenigmata — Epistolia officialia.

Sententia

Ridet homo,
Plorat homo,
Numine consulente.

Sophocles (lat. vert. S.)

Prima quaeque ad nos data epistula

praeter mittentis urbisque, unde scribit, nomen viae quoque significationem contineat velimus, quibus indiciis si caremus, aut nullum possumus aut tardum dare responsum.

Ed. et Red. S. L.

Sententiae latine vertendae:

¿A qué multiplicar los testimonios de los pedagogos más insignes y sabios y académicos eminentes, unánimes todos en declarar que las literaturas y lenguas antiguas deben ser profundamente estudiadas en la segunda enseñanza, convirtiéndolas en materia de concentracion del espíritu, en instrumento eficazmente educativo de todas las potencias del alma? Y si Inglaterra, Alemania, Austria, Rusia, los Estados Unidos de América, cuyas lenguas nacionales no se derivan del latin, han elegido principalmento esta lengua, como todos sabeis, para asignatura de concentracion como instrumento adecuado y eficaz para la formacion intelectual de su juventud, ¿con cuánta más razon no habremos nosotros de seguir su ejemplo, pueblo latino que habla lengua derivada del latin, del cual heredara la flexibilidad, la fluidez, la armonia, la abundancia y la majestad soberana con que se expresaba el pueblo rey?

Dr. Campos

(‚Revista Cristiana', 31. 3 1905)

Huic penso qui satisfecerit optime, Scriptorem Latinum gratis accipiet per VI menses. Versiones intra sexaginta dies huc pervenire debebunt.

Veteres Civis Romani Anni

praeter I^{um} et $\mathrm{II}^{\mathrm{um}}$

|| omni tempore mandari possunt a redactore. ||

Aenigmata num. VI soluta:

1) LAPIS — APIS 2) radere, rodere, ridere 3) telum — letum

Solverunt omnia: Roesch, Peltenburg, Kraus, Fischer, Nordström, Draheim, Hoerenz, Hertel, Lesche, Ferguson,

e quibus praemium sortitus est

Lesche Herzbergensis.

Aenigmata

composuit

Saravinus.

De caelis recreo nocturno tempore flores,
Me sol aethereum cogit adire polum;
Adjice literulam: flos sum, qui signat amorem;
Litera praecedat: vincio corda tenax.

Firmiter haud poterit sine me domus aedificari;
Divide me medium! nomen habes geminum:
Cum primo Goliath pastor prostravit atrocem,
Dimidiumque frequens silva pilosa tegit.

B designat bestiam,
R caeleste donum,
D sponsae pecuniam,
E praecedit thronum
Phoebi, C est medium
Falces acuendi,
M designat habitum
Hominum vivendi.
Sed, ne prodam omnia,
Adde nunc, quae latent;
Ceterum aenigmata
Luce clara patent.

Ex iis, qui omnia haec solverint aenigmata, unus sortitus accipiet

IIL pulcherrimas chartulas variis coloribus pictas

praecipuaque urbis Romae aedificia ac loca exhibentes.

Hae chartulae, quae prodierunt ex graphica artificina **J. G. Huchii Brunsvicensis,** ut melius, quam possent verbis, commendarentur, quattuor hic adiectae sunt illarum imagines, quas adeo placituras esse lectoribus, ut emere eas cupiant, vehementer spero, praesertim cum modico prostent **1,25 M** pretio.

Red.







Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), *pecuniae vero, epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,* Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., *Eschersheimer Landstrasse 112.*

Nomina et domicilia

eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Krakow — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Krakow — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach (Bav.) — J. Tasset, Tonnerre — C. Thieme, Parochus, Calbeck — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Lectoribus Monitum!

Ultimi tres huius anni numeri intra proximos quinque menses edentur certo antea tempore non statuto, ita quidem, ut nova Scriptoris Latini series mense Octobri incipiat. Tunc omnes libelli servato utique menstruo ordine prodibunt.

Ed. et red. S. L.

Typographus: Carolus Wiechert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus VIII: Numerus X

— Procurant negotia —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
in Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. VIII | Francofurti a. M., Mense Iunio MCMXI | Num. X

AËROVEHES (VULGO AREOPLANO)

ODAM
cecinit
Angelus Nardis Italus.

Nunc est ovandum! Summa per aethera
Instar volucris machina pervolat,
Audaxque mortalis superbum
Tendit iter, propiore caelo.

O mira virtus ingeni in omnia
Niti potentis! Fabula Daedali
Portendit omnes ire ad astra
Tutius Icario volatu.

Caelum petentem nunc aquilae virum
Mirantur alis non homini datis;
Victaeque stridentes acute
Aufugiunt, properante plano.

Navis, citatae cui subeunt rotae,
Alata planis rite patentibus;
Inclusa vis, spiralium ordo,
Eximia micat arte moles.

Campi patescunt: ausibus arbitri
Haerent stupentes, corda silentia
Pulsat pavor, conscendit heros
Naviculam celeremque adurget.

Io triumphe! Haud aufugit alitum
Regina in auras viribus acrior,
Ut praepes in nubes aquosas
Antevolat nova cymba caeli.

At si quid abnorme implicuit rotas,
Horrende ab alto corruit aethere
Fatale monstrum, ingens ut ales
Fulgura quam iaciunt in imum.

Sed quae tenacem propositi virum
Unquam retardant? Cedere nescius
Per damna, per caedes, ab ipsa
Ducit opes animumque clade.

Salve, vir, almae victima gloriae!
Arcana rerum sanguine poscimus:
Dat fortibus virtus triumphum,
Perpetuae pretium coronae.

Nil arduum, audax Iapeti genus,
Tibi! Canamus publica commoda
Viresque naturae retectas,
Quaeque recens tulit ampla saeclum.

Frustra obstiterunt dissociabiles
Terrae, vel Alpes cautibus horridis,
Silvae, ferae, pontique fluctus
Atque poli glacie rigentes.

En!..... Tu coerces ignea fulmina,
Navem per auras dirigis arduas:
Vehisque fumanti vapore
Pulsa vorat gemino axe campos.

Num tu procellas Oceani nigras
Times? Videmus monstra natantia
Secare pontum et ferre merces
Et fera bella agitare in undis.

Electricam vim ducimus undique;
Terras penetrat ruraque possidet;
Currit, redit, magnaque mole
Praecipites trahit igne currus.

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. VIII — Francofurti a. M., Mense Iunio MCMXI — Num. X

AËROVEHES (VULGO AREOPLANO)

ODAM
cecinit
Angelus Nardis Italus.

Nunc est ovandum! Summa per aethera
Instar volucris machina pervolat,
Audaxque mortalis superbum
Tendit iter, propiore caelo.

O mira virtus ingeni in omnia
Niti potentis! Fabula Daedali
Portendit omnes ire ad astra
Tutius Icario volatu.

Caelum petentem nunc aquilae virum
Mirantur alis non homini datis;
Victaeque stridentes acute
Aufugiunt, properante plano.

Navis, citatae cui subeunt rotae,
Alata planis rite patentibus;
Inclusa vis, spiralium ordo,
Eximia micat arte moles.

Campi patescunt: ausibus arbitri
Haerent stupentes, corda silentia
Pulsat pavor, conscendit heros
Naviculam celeremque adurget.

Io triumphe! Haud aufugit alitum
Regina in auras viribus acrior,
Ut praepes in nubes aquosas
Antevolat nova cymba caeli.

At si quid abnorme implicuit rotas,
Horrende ab alto corruit aethere
Fatale monstrum, ingens ut ales
Fulgura quam iaciunt in imum.

Sed quae tenacem propositi virum
Unquam retardant? Cedere nescius
Per damna, per caedes, ab ipsa
Ducit opes animumque clade.

Salve, vir, almae victima gloriae!
Arcana rerum sanguine poscimus:
Dat fortibus virtus triumphum,
Perpetuae pretium coronae.

Nil arduum, audax Iapeti genus,
Tibi! Canamus publica commoda
Viresque naturae retectas,
Quaeque recens tulit ampla saeclum.

Frustra obstiterunt dissociabiles
Terrae, vel Alpes cautibus horridis,
Silvae, ferae, pontique fluctus
Atque poli glacie rigentes.

En!..... Tu coerces ignea fulmina,
Navem per auras dirigis arduas:
Vehisque fumanti vapore
Pulsa vorat gemino axe campos.

Num tu procellas Oceani nigras
Times? Videmus monstra natantia
Secare pontum et ferre merces
Et fera bella agitare in undis.

Electricam vim ducimus undique;
Terras penetrat ruraque possidet;
Currit, redit, magnaque mole
Praecipites trahit igne currus.

Filo loquaci currit aheneo
Verbum, damus dum signa loquentibus:
Longis ab oris vocem amici
Excipimus tenerosque sensus.

Dispellit umbras nocte sub aspera
Splendor, refulgens sole micantior:
Urbesque momentoque rura
Insolita nituere luce.

Marconii laus nuper in aethera
Audita! Vibrans agmine praepete
Vis dat remotas signa ad oras
Mox procul excipienda terris.

Salvete, nostri gloria saeculi,
Scientium stirps, quae nova posteris
Arcana pandis; cui suprema
Templa poli patuere tandem.

Cessas quid ultra? Tramite sospite
Adire regnum disce vel altius,
Quo diva Libertas Fidesque,
Quo sociae revocant et artes.

De Latine Scribendi Utilitate

pauca quaedam exponebat

Ernestus Hora, Austriacus.

(Pergitur et absolvitur)

Queramur licet linguam Latinam superiore imprimis saeculo eo gradu, quem cum magna gentium utilitate diutissime obtinuerit, paulatim depulsam esse, tamen huius linguae vere universalis tanta etiam nunc exstant vestigia, ut ei collatae omnes omnino linguae illae commenticiae, quamvis a quibusdam ephemerides conscribillantibus praedicentur, tamquam crepundia puerilia esse videantur. Etiam nunc enim apud omnes fere populos cultu atque humanitate expolitos pueri ea lingua erudiuntur, libri et periodici commentarii Latine confecti typis describuntur, etiam nunc cum hominibus doctis aliarum gentium per litteras Latinas colloqui possumus. Eadem vero lingua non modo ad praestantissima antiquitatis Romanae monumenta, sed etiam ad plerosque fontes rerum per haec duo milia annorum gestarum aditum patefieri neque quemquam in historia sive rerum civilium sive litterarum vestigium ponere posse huius linguae cognitione destitutum, quis est, qui neget? Verum sunt, qui, cum veterem linguam ad scripta superiorum temporum cognoscenda perquam necessariam esse dictitent, iidem Latine scribendi consuetudinem e scholis exterminandam censeant. Hoc qui suadent, errant, ne quid gravius dicam. Nam praeterquam quod linguae cuiusvis cognitio, nisi scribendi saltem facultas ad legendi accessit, manca ac debilis est, saluberrimo hoc scribendi exercitio scholae Latinae nullo pacto carere possunt. Stilo enim exercendo non tantum auctorum lectioni et intellegentiae succurritur, sed etiam citius quam legendo efficitur, ut discipuli, id quod discentibus maximum incitamentum est, suarum quisque virium conscii fiant.

Quae cum ita sint, quid tandem impedit, quominus ea ipsa lingua, quam plerique etiam nunc viri docti calleant, pristinam sibi provinciam ex aliqua saltem parte recuperet? Neque vero me praeterit id fieri nequaquam posse, nisi prius obstacula quaedam removeantur non magis Latinae quam cuivis alii linguae exitiosa. Quae ut planius exponam, paulo altius repetendum est. Aevo medio qui Latine scribebant, quamquam formam orationis non omnino aspernabantur, tamen ad res imprimis intellegendas omnem fere industriam et diligentiam conferre solebant. Verborum autem cura non nimis obstricti in oratione conformanda liberius versabantur neque nova nomina novis imponere rebus religioni habebant unum id spectantes, ut, quae scripsissent, ab aliis intellegerentur. At saeculo XV. exstiterunt, qui formam orationis neglectam vindicantes ad sola antiquorum exempla orationem Latinam emendandam esse dicerent neque suis maioribus turpissimam barbariei notam inurere vererentur, quasi vero minus in moribus quam in voculis barbaries sita foret. Ut erant plerique superbia

inflati, sese antiquitatis studia e tenebris excitasse gloriabantur non cogitantes nihil iam reliqui futurum fuisse, quod excitarent, nisi illi ipsi barbari thesauros antiquitatis per tot saecula a temporum iniuria quam maxima fide tutati essent. Jam vero succedebant, qui ceteris Romanorum scriptoribus spretis unius Ciceronis imitatione acquiescerent, laurea sese dignos esse rati, si ex illius voculis et locutionibus ieiunam ac famelicam orationem contexuissent. In tam exiguum autem gyrum compulsam non modo vigore privari linguam Latinam sed etiam omni utilitate exui necesse erat. Nam quae potest esse utilitas eius linguae universalis, qua nisi lexicis continuo inspectis ne versiculum quidem recte conscribere possis?

Verum lingua Latina, dum illi barbarie vera aut opinata eam purgare properant, ad tantam paulatim inopiam redacta est, ut variis disciplinis enarrandis minus apta esse inciperet. Atque illis iam temporibus usus Latine scribendi perisset, nisi viri docti longe plurimi, cum evidentissimam linguae universalis utilitatem perspexissent, cavillationibus Nizolianorum contemptis pristinum fere scribendi genus retinuissent. Neque inter eos, qui litteris, quas vocabant, renatis maximopere favebant, deerant, qui, quantum vulnus sermoni Latino praepostera illorum diligentia inferretur, non sine metu viderent. Ludovicus quidem Vives*), Hispaniae lumen: „Plus tertia parte", inquit, „bonorum vocabulorum ex aerario linguae Latinae reiecimus tamquam adulterinos nummos et in tanta egestate fastidiosi pauperiores in dies fimus, dum unusquisque quo diligentior videatur aerarii praefectus, aliquid repudiat, nemo infert. Ideo sermonis inopia cotidie laboramus." Illud autem Ciceronianismi malum, quamquam primo a multis irrisum non ita periculosum videbatur, tempore tamen procedente tantas vires assumpsit, ut postremo viris doctis Latine scribendi fastidium iniceretur. Neque vero Ciceroni, quem maximi facimus, id culpae tribuendum est, sed iis, qui illum paucosque alios eius aetati suppares solos imitandos esse clamant posterioresque Latinitatis auctores tamquam spurcos relegant, quasi vero ideo vetere lingua instituamur, ut cum Cicerone certamen eloquentiae inire possimus. Ita fit, ut quo quis doctior sit maioremque litterarum copiam sibi paraverit, eo magis in scribendo cavere debeat, ne quid sibi lectionis varietate inducto excidat, quod ab usu classico abhorrere videatur. Quid mirum, si viri in gravissimis rebus indagandis occupati totamque hanc lexicorum evolvendorum opellam exosi linguae universalis commoda nimio pretio constare arbitrantur? Neque iniuria multi linguam Latinam disciplinis in immensum excrescentibus iam imparem esse queruntur. Sed quorum id culpa factum est nisi eorum, qui fulgore praestricti classicismi, cuius in scholis parva, in vita nulla utilitas est, nimium angustis cancellis linguam illam circumscribere studebant? Eorundem culpae assignandum puto, quod ea lingua, quam poeta quidam aevi medii reginam linguarum (aller sprache künigin) ob usum latissime patentem appellavit, iam truncus prope inutilis a nonnullis habetur. Attamen cum exitiosam paucorum auctorum imitationem impugno, non continuo formam omnino neglegi aut barbariem ullam reduci cupio. Est inter Tanain quiddam socerumque Viselli!

Eo autem liberiore scribendi genere utamur, quo superioribus saeculis principes philologorum Heinsii, Gronovii, Scaligeri, Bentleii, Gesneri alii usi sunt. Laudandus erit, qui, quae scite excogitarit, orationis etiam blanditiis distinxerit, non vituperandus, qui, dummodo rerum copiae consulat, orationis elegantias minus curaverit. Recte igitur Moshemius ad Morhofii libellum D e p u r a d i c t i o n e*) haec annotavit: „Haec et alia eius generis praecepta [sc. de eleganti puroque sermone] ad eos pertinent, qui in eloquentiae studio aetatis partem consumere et aliis ad eam duces esse volunt. Reliquis, qui ad alia studia ani-

*) De disciplinis 1531 p. 71.

*) Hanov. 1725 p. 10.

mum appellere statuerunt, sufficit, si proprie et perspicue cogitationes efferre discant. Et consilii inops ille foret, qui in observandis Latini sermonis elegantiis consenesceret nec res verbis vocibusque longe praestantiores esse secum cogitaret."

Ciceroniani superstitiosa sua imitandi ratione per saecula decurrentia communi gentium linguae maxima detrimenta attulerant, cum nuper nova pestis ingruit. Inter eos enim, qui in novarum methodorum quisquiliis salutem scholarum consistere autumant, reperti sunt, quibus Latinitas in scholis usitata etiam nunc iusto locupletior videretur. Itaque singulas voces et constructiones, quotiens quaeque apud auctores scholasticos occurreret, ad calculos revocabant neque alio id consilio faciebant, quam ut paulo rariora, etsi optimae auctoritatis essent, e libris grammaticis relegarent. Admiremur, credo, hanc paedagogulorum nostrorum sapientiam, qui, cum Latinam linguam in usum scholarum undique data opera circumciderint, discipulos ex reliquiarum tenuitate maiorem etiam voluptatem percepturos esse somniant! Clamores autem eorum, qui rerum discendarum multitudine puerorum ingenia obtundi queruntur, illis lenimentis adhibitis nusquam obmutuerunt, Latinae vero linguae nova detrimenta illata sunt.

Ut paucis comprehendam, non externa illa, quae his temporibus non tantum linguae Latinae, sed toti antiquitatis studio instant pericula magnopere mihi metuenda videntur, interna et domestica reformido, ut in meum usum vertere libeat illud Thucydideum: Μᾶλλον πεφόβημαι τὰς οἰκείας ἡμῶν ἁμαρτίας ἢ τὰς τῶν ἐναντίων διανοίας.

Nam si ipsi philologi eo amentiae progrediuntur, ut vel classicismi vel methodorum excolendarum nomine vineta sua caedere delectentur, quam possumus sperare salutem? Proinde tueamur veterum Latinorum linguam tamquam hereditate nobis a maioribus relictam et illud, quod abhinc septuaginta annis E. G. Fabri*) praeclare dixit, auriculis nostris animisque subinde instillemus: „Inter has impugnantium Latine scribendi consuetudinem contentiones philologos decet providere, veteris instituti laudem ne dimittant neve, verbis cum discrepent, re ipsa adversariis concedere de victoria arguantur!"

*) Praefat. ad Liv. lib. XXIII.

Lectoribus Monitum!

Rogatos volo amicos, ne, ut plerumque solent, subnotationis pretium persolventes mandatoriam vel traditoriam, quae vocatur, pecuniam addere obliviscantur. Lucrum enim editionis tam pusillum est, ut ex crebriore huiusmodi neglegentia haud parvam accipiamus iacturam. Si quis igitur lectorum marcas quattuor sit ad nos missurus, quinque nummulos supra expendat velim.

Praeterea id moneri hoc loco velim commentarium nostrum, cum annuus eius cursus non respondeat calendario, non posse interim mandari per tabellarios, lectores vero in locis, ubi non sunt bibliopolae, habitantes sine maiore sumptu illum accipere ab editore.

Ed. S. L.

Pii X. Pp.

Motu Proprio

quo quaedam statuuntur leges ad modernismi periculum propulsandum

(Pergitur)

IVRISIVRANDI FORMVLA

„Ego... firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per **visibilia** creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianae Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelligentiae esse maxime accommodata. Tertio: Firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, quum apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum, apostolicae hierarchiae principem eiusque in aevum successores, aedificatam. Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia; pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab Eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae. Quinto: certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse coecum sensum religionis e latebris **subconscientiae** erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

„Me etiam, qua par est, reverentia subiicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris **„Pascendi“** et in Decreto **„Lamentabili“** continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. — Item reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse. — Damno quoque ac reiicio eorum sententiam, qui dicunt, christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur. — Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitis, **rationalistarum** commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur. — Sententiam praeterea illorum reiicio qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae, aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem antè conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari. — In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo **modernistae** tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod

longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuantium. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate **veritatis certo,** quod est, fuit eritque semper in **episcopatus ab Apostolis successione** (1); non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut **nunquam aliter credatur, nunquam aliter** intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata (2).

„Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus etc."

(1) IREN., 4, c. 26. (2) Praescr. c. 28.

DE SACRA PRAEDICATIONE.

Quandoquidem praeterea diuturna observatione sit cognitum Nobis, episcoporum curis ut annuntietur divinum Verbum pares non respondere fructus, idque, non tam audientium desidiae, quam oratorum iactantiae tribuendum putemus, qui hominis verbum exhibent magis quam Dei, opportunum censuimus, latine versum evulgare atque Ordinariis commendare documentum, iussu Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII a Sacra Congregatione episcoporum et regularium editum die XXXI mensis Julii anno MDCCCXCIV et ad Ordinarios Italiae atque ad religiosarum Familiarum Congregationumque moderatores transmissum.

1. „Et in primis quod ad ea pertinet virtutum ornamenta quibus sacri oratores emineant potissimum oportet, caveant ipsi Ordinarii ac religiosarum familiarum Moderatores ne unquam sanctum hoc et salutare divini verbi ministerium iis credant qui nec pietate in Deum nec in Christum Filium eius Dominum nostrum caritate ornentur ac redundent. Istae enim si in catholicae doctrinae praeconibus desiderentur animi dotes, quavis tandem ii polleant dicendi facultate, aliud nihil profecto quam **aes sonans, aut cymbalum tinniens** (1): neque unquam id ipsis suppetet a quo evangelicae praedicationis vis omnis ac virtus derivatur, studium videlicet divinae gloriae aeternaeque animorum salutis. Quae quidem oratoribus sacris apprime necessaria pietas, eluceat oportet etiam in externa vitae eorumdem ratione: ne sermone celebratis praeceptis institutisque christianis disserentium mores refragentur: neve iidem opere destruant quod aedificant verbo. Ne quid praeterea profani pietas eiusmodi redoleat; verum ea sit praedita gravitate, ut probet eos esse revera **ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei** (2). Secus enim, ut scite animadvertit Angelicus, **si doctrina est bona et praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae doctrinae Dei** (3). — At vero pietati ceterisque christianis virtutibus comes ne desit scientia: quum et per se pateat, et diuturna experientia comprobetur, nec sapiens, nec compositum, nec frugiferum dicendi genus posse ab iis afferri, qui doctrina, praesertim sacra, non affluant, quique ingenita quadam freti celeritate verborum, suggestum temere adscendunt ac ferme imparati. Hi profecto aerem verberant, et inscii divina eloquia contemptui obiiciunt ac derisioni; plane digni quibus aptetur divina illa sententia: **Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi** (4)".

2. „Igitur episcopi et religiosarum familiarum antistites divini verbi ministerium ne cui sacerdoti committant, nisi ante constiterit, ipsum esse pietatis doctrinaeque copia rite instructum. Iidem sedulo advigilent ut ea tantum pertractanda sumantur, quae sacrae praedicationis sunt propria. Quae vero cuiusmodi sint Christus Dominus tunc aperuit quum ait: **Praedicate evangelium...** (5) **Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis** (6). Ad quae verba apte S. Thomas: **Praedicatores debent illuminare in credendis,**

(1) I Cor. XIII, 1. (2) I Cor. IV, 1.
(3) Comm. in Matth. v. (4) Os. IV, 6
(5) Marc. XVI, 15. (6) Matth. XXVIII, 20.

dirigere in operandis, vitanda manifestare, et modo comminando, modo exhortando, hominibus praedicare (7). Et sacrosanctum Concilium Tridentinum: **Annuntiantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant** (8). Quae omnia fusiore calamo persequutus f. r. Pius IV, haec scripit: **Non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes, sanctissimae religionis nostrae dogmata et praecepta, iuxta catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ac splendido orationis genere, populo clare aperteque annuncient; peculiaria singulorum officia accurate explicent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles, Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere et caelestem gloriam consequi valeant** (9). Ex quibus omnibus perspicuum fit, symbolum Apostolorum, divinum decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacramenta, virtutes ac vitia, sua cuiusque conditionis officia, novissima hominis et cetera id genus aeterna vera, haec esse propria argumenta de quibus oporteat concionari".

3. „Sed rerum talium copiam et uberrimam et gravissimam recentiores divini verbi ministri haud raro nil pensi habent; uti obsoletum quid et inane negligunt ac paene abiiciunt. Hi nimirum quum probe compertum habeant recensita rerum momenta captandae populari gratiae, cui tantum inhiant, minus esse idonea; **quae sua sunt quaerentes, non quae Iesu Christi** (1), eadem plane seponunt; idque vel ipsis quadragesimae diebus ac reliquis solemnioribus anni tempestatibus. Una vero cum rebus immutantes nomina, antiquis concionibus recens quoddam ac minus recte intellectum alloquendi sufficiunt genus, quod CONFERENTIAM dicunt, menti cogitationique alliciendae magis aptum quam impellendae voluntati atque instaurandis moribus. Hi profecto haud secum reputant conciones morales omnibus, **conferentias** vix paucis prodesse; quorum si moribus diligentius prospectum foret per inculcatam saepe castitatem, animi demissionem, obsequium in Ecclesiae auctoritatem, hoc ipso praeiudicatas de fide opiniones exuerent lucemque veritatis promptiore animo exciperent. Quod enim complures de religione prave sentiunt, maxime inter catholicas gentes, id effrenatis animi cupiditatibus potius est tribuendum, quam vitio aberrantis intelligentiae, secundum divinam sententiam: **De corde exeunt cogitationes malae... blasphemiae** (2). Hinc Augustinus Psalmistae referens verba: **Dixit insipiens in corde suo: non est Deus** (3), commentatur: **in corde suo, non in mente sua".**

(Proximo absolvetur numero.)

(7) Loc. cit. (8) Sess. V, cap. 2, De Reform (9) Litt. Enc. IX Nov. MDCCCXLVI. (1) Philip. II, 21.

(2) Matth. XV, 19. (3) Psal XIII, 1.

Ex Epistulario Redactoris

Vratislaviae, d. 27mo m. April. 1911.

Carissime!

Postquam accepi et legi Scriptoris numerum IX, summae hercle mihi est voluptati, de origine carminis a F... P.... laudati te certiorem facere, ut precibus viri doctissimi — ni fallor: F. Palatae, prof. gymn. Prossnitiensis, socii nostri — satisfacere possis.

Auctor igitur lepidissimae illius versionis carminis Goethiani „Anacreons Grab" est Dr. Rudolfus Kuenstler, gymnasii Ratiborensis olim rector (nat. 8. 7. 1837 Naumburgi ad Salam, mort. Ratiborae 23. 2. 1877), praeceptor meus dilectissimus, cuius praematuram mortem hodie quoque vehementissime lugeo (cf. si placet epistolam meam a. d. XVI. Cal. Jun. 1910 ad te datam, quam num. II Scriptoris, p. 27, proposuisti lectoribus). Publicatam equidem habeo illam versionem in libro, qui inscribitur: „Rudolf Kuenstler. Aus dem Leben und Wirken eines deutschen Schulmanns. Von Prof. Dr. Gustav Weck, Director des Königl. Realgymnasiums in Reichenbach in Schles. Mit Portrait." — Berlin, Weidmann, 1883-4., pgg. 132. Pret. 3 M. cons.

Kuenstler non solum permulta carmina Germanica ipse Latine — idque artificiosissime — vertit, sed etiam discipulos suos iterum atque

iterum admonuit, ut arti versificandi operam darent, eosque hac in arte perpetuo exercuit. Notissima haud scio an sit eius „Epistola ad collegas data, qua exercitationes metricas commendavit earumque usum specimine addito illustravit" (edid. F. Hirt Vratisl. a. 1869.) — Utrum omnia Kuenstleri carmina publici iuris sint facta necne, me quidem fugit, sed nonnulla etiam hodie in manibus olim discipulorum viri praestantissimi esse putaverim. In libello, de quo supra dixi, etiam insunt versiones carminum Schilleri „Hectors Abschied" et Chamissonis „Schloss Boncourt" et fabulae Lessingianae „Die Grille und die Nachtigal" eaeque distichis compositae; quas si vis cognoscere, libenter libi mittam.

Salve valeque!

Tibi addictissimus

G.. L...

V...., prid. Id. Sext. MCMX.

Carissime Domine!

Risi neque desinam ridere, donec homunciones quidam de iis rebus quae nobis placent iniussi verba facient profana. Redactorem actorum illorum, quorum mihi misisti particulam vel scribam illum minime intellexisse quid velit ephemeris nostra equidem non miror, qui nihil, si fieri potest, mirari in vita didici.

Nonne recte suspicatus sum? Carmina mea actis diurnis in quibuslibet urbibus Germaniae prodeuntibus publicari semper nolui atque aegre tuli, quod me publicationibus reluctantem non audiisti. Novi illos redactores: carminibus Latinis omnibusque rebus, quae ad studium liberalium doctrinarum pertinent, aeque maledicere solent ac parentes, quorum filii in schola a lingua Latina abhorrent studiumque discendi desidia mutare cupiunt. Atque talia acta in Germania multa prodire equidem facile credo.

Quare haec sunt quae abs te peto: ne miseris alia mea carmina diurnorum actorum redactoribus publicanda; non opus est eos vacuum spatium obtrectationibus — quae quidem stomachum mihi non movent — implere. Paucis placere volo, plausum hominum nihil nisi acta diurna magis minusve laudabilia legentium non appeto. Scribas deinde, si tibi non molestum est, cuius urbis sint acta, e quibus mihi misisti schedulam, et quid illis sit nominis; facias me certiorem, publicaverintne alia quoque acta carmina mea et quae fuerint iudicia editorum, qui omnium rerum scientiam prae se ferre solent. Deuique scribas quaeso, num quid responsurus sis illi „T. H."

Scriptori Latino me amicum perpetuo assidueque mansurum noli dubitare. Numerus Scriptorem hac in urbe legentium me filioque meo auctoribus crescit. Crescat in aeternum!

Fac valeas, vir optime.

Tibi semper addictissimus

G... L...

Vir humanissime! Obtemperavi Tuae voluntati, sed ipse videbis, quam parum sufficiens sit antiqua lingua ad verba verbis exprimenda, imprimis ubi Nietzscheanae philosophiae propria vocabula aguntur, et quam melius sit verba Germanica afferre quam tempus misere interpretando terere. Infirma enim manet et debilis translatio et cogitur formas fingere, veluti immoralista, anarchista, similes, quibus sermo Latinus caret, nisi uteris circumlocutionibus inhabilibus aut claudicantibus. Estne: num honestum negligendo virtuti nocemus? idem quod scribit Nietzsche: Ob wir Immoralisten der Tugend Schaden tun? Longe mihi videtur differre. Sic „anschiessen" addito telo seu sclopeto Latine attenuatur, nam vix percipitur: virtutem transfigendam esse. Sed satis. Vale!

C... H...

Lectoribus Monitum!

Ultimi duo huius anni numeri intra proximos quattuor menses edentur certo antea tempore non statuto, ita quidem, ut nova Scriptoris Latini series mense Octobri incipiat. Tunc omnes libelli servato utique menstruo ordine prodibunt.

Ed. et red. S. L.

Suum cuique
sive
de iure dominii litterarii tuendo quaestiuncula

(Scripsit F. P.)

Prof. dr. G. Weck in opusculo, quod inscribitur: „Rudolf Künstler. Aus dem Leben und Wirken eines deutschen Schulmanns. (Berlin, Weidmann 1884)", ubi de Künstleri facultate poetica eiusque exercitiis metricis disserere instituit, hunc in modum pergit (pg. 96): Noch sei bemerkt, dass die sehr interessanten metrischen Aufgaben, welche K. seinen Schülern gestellt hat, anscheinend vollständig erhalten sind .... Es finden sich darunter fast alle Balladen Uhlands und Schillers ..... Die „Klage der Ceres" beginnt:

Iam redit ambrosii vitali flamine veris
formosum terrae, quod fuit ante, decus;

das „Eleusinische Fest" (Sacra Eleusinia):

Nectite iam spicis flaventia serta superque
iam cyani flores addite caeruleos;

„Des Sängers Fluch" (Vatis dirae preces):

Temporibus priscis longe lateque per agros
arx stetit effulgens caerulum ad oceanum;

ein Chor aus der „Sponsa Messanensis" (Durch die Strassen der Städte, vom Jammer gefolgt etc.):

Urbis per plateas gravem
gressum Parca ferox amat
ferre........

Schliesslich mögen hier noch zwei vollständige Gedichte dieser Art Platz finden: „Hektors Abschied von Andromache" und „Schloss Boncourt".*)

1. Hector in pugnam discessurus.

Ergo non unquam rediturus (in) tecta paterna,
Hector amate, tua cedis ab Andromache?
Cedis et invictis manibus qua saevus Achilles
Patroclo mittit funera maesta suis? ......
Amplius haud ferrum nostras circumstrepet aures,
cessabunt rigido tela relicta situ.
Praeclarique genus, quod floruit hactenus altum,
Laomedontiadae te pereunte cadet ....

*) Ne longus sim, ex utroque carmine selectos tantum versus exhibeo

2. De arce, cui nomen est Boncourt.

Ecce senis redeunt puerilia tempora menti!
Mersa quid e Lethes surgis imago lacu?
Stat domus umbrosa circumdata saepe corusca;
pons, pinnae, turres, ostia nota mihi ......

Nunc evolve — sis —, lector benevole, opus: „Varia variorum carmina latinis modis aptata .... offert Henr. Stadelmann (Onoldi 1854)" et lege mecum:

1) pg. 367 Cereris querimonia.

Num redit ambrosii vitali flamine veris
formosum terrae, quod fuit ante, decus?...

2) pg. 351 Sacra Eleusinia.

Nectite vos spicis flaventia serte superque
iam cyani flores addite caeruleos! ......

3) pg. 467 Vatis dirae preces.

Tempore maiorum longe lateque per agros
arx stetit oceani caerula ad usque nitens...

4) pg. 331
Chorus ex Sponsa Messanensi.

Urbis per plateas gravem
gressum Parca ferox amat
ferre.....

5) pg. 283
Hector in pugnam discessurus.

Ergo non unquam rediturus tecta paterna
Hector ab Andromache cedis amate tua?
Cedis et, invictis manibus qua saevus Achilles
Patroclo mittit funera maesta, ruis?......
Amplius haud ferrum nostras circumstrepet aures,
cessabunt rigido tela relicta situ.
Praeclarumque genus, quod floruit hactenus, altum
Laomedontiadae te pereunte cadet .....

6) pg. 17
Arx, cui est nomen Boncourt.

Ecce senis redeunt puerilia tempora menti!
Mersa quid e Lethes surgis imago lacu?
Stat domus umbrosa circumdata saepe corusca:
pons, pinnae, turres, ostia nota mihi .....

Ex hac comparatione instituta quid luce clarius apparet? **Quas Weck in chartis Künstlerianis invenit carminum germanicorum interpretationes manu scriptas et quas Künstlero ipsi vindicavit auctori, eae magnam partem aut ad verbum excerptae aut leviter immutatae sunt ex opere Stadelmann-**

iano. Haec autem pace et Künstleri, qui iam dudum vita defunctus est, et Weckii, qui num adhuc »superis vescatur auris«, ignoro, dicta esse velim; neutrius enim laudibus obtrectare mihi in animo fuit. Sed »suum cuique«!

Varia

Backa — bacca

Paucos ante menses, cum acta diurna multis de locis nuntiarent homines, qui margarina illa vel butyro facticio, quod a coquendo (germanice: backen) monstruoso nomine ‚Backa' appellabatur, usi essent, partim mortifere aegrotare coepisse, partim mortuos esse, in Berolinensi hebdomadario, qui Kladderadatsch' inscribitur, hos inveni versus iocosos:

Warnung

Die Beere heisst bacca,
Und vacca die Kuh.
Trau' ruhig der vacca,
So ruf' ich dir zu,
Nicht aber der Backa!
Die Beere kann giftig sein,
Nie doch die Kuh.

Quos sic verti latine:

Cavete!

Fructus sunt baccae,
Et vacca est bos.
Confidite vaccae,
Hoc moneo vos,
Sed non tamen Backae!
Bacca sit venenosa,
Sed nunquam bos.

In eodem Kladderadatschii numero festivus quidam homo illos duos viros, quorum alter tritiore paulo nomine Müller, alter Schultze nuncupatur, qui quasi exempla sint Berolinensium ingenia et mores exhibentia, hoc modo facit colloquentes:

M. Komisch!
S. Wat denn?
M. Mit die Marjarine.
S. Det nennste komisch? Ick nenn' et tragisch.
M. Ach wat! Ick wundre mir, dat jrade die Backa-Marjarine so jefährlich geworden is. Wenn et noch die bekannte Marke Mohra jewesen wäre!
S. Woso?
M. Schafskopp! Heesst et periculum in Backa oder periculum in Mohra?

Latine:

M. Risum vix teneo.
S. Quare, cedo?
M. Tune de margarina audisti?
S. Hoc tibi risum movet? Tristis mihi quidem res videtur ac miseranda.
M. Nugae! Miror Backam potissimum tam fuisse periculosam. Iam si Mohra fuisset, butyrum illud notissimum!
S. Quid ita?
M. Etiam quaeris, stultissime? Diciturne »periculum in Backa« an »periculum in Mohra«? — L.

Tempora mutantur.

Notum est in Germania ac saepius summorum iudicum sententiis confirmatum cuilibet per leges licere eum in iudicium vocare, qui odium ut significet adversus illum, epistulae suae finem imponit his verbis: M i t g e b ü h r e n d e r vel: v e r d i e n t e r H o c h a c h t u n g . . . .

Nunc vero audiamus, quod Ludolfus, magister Hildensis, dicit in libro suo nuper laudato, cui inscribitur ‚Summa Dictaminum' (II, 1: De Salutacione):

Item inimicus inimico sine aliquibus adiunctis semper preponit se ei, et titulum salutacionis — scilicet ut scribat s a l u t e m vel aliud simile — obmittit, sed scribit s a l u t e m p r o m e r i t i s. L.

Est, est, est...

In Varronis de lingua Latina libro octavo legimus:

Quod si analogia sequenda **est** nobis, aut ea observanda **est** quae **est** in consuetudine aut quae non **est**. Si ea quae **est** sequenda **est**, praeceptis nihil opus **est**.

Num quid clarius demonstrat illius viri doctissimi in scribendo incuriam, quem »minus suavem eloquio« dixit Augustinus? Ms.

Stultior esto prior!

Cum Jacobus princeps Carrarae anno 1318 cum Can Grande, praefecto Patavii, conveniret, traditur accidisse, ut ambo ad angustum transitum pervenirent neuterque praeire vellet. Tum coprea, qui aderat: Stultior, inquit, esto prior! Et praeivit Carrarensis modestia motus. Ceterum in disceptandis conditionibus nequaquam stultitiae crimine dignum se praestitit. Lp.

Sexti Anni Aenigmatum Solutiones

(errore redactoris olim omissae)

Num. I: 1) Quaestus sine impendio non instituitur. 2) Qui canem alit peregrinum, huic praeter funiculum nihil fit reliqui. 3) Pisces, qui extra nassam sunt, volunt intrare, qui intus, volunt exire. 4) Assiduus usus uni rei deditus et ingenium et artem saepe vincit. II: — III: — IV: — V: — VI: 1) Omnia prius experiri verbis quam armis sapientem decet. 2) Neque imbellem feroces progenerant aquilae columbam. 3) Nemo tam infans est, quem non dolor faciat eloquentem. 4) Nihilo melius quam

perpetuo dolore dolorem vinco. VII: — VIII: 1) navis, avis 2) sum, mus 3) hamus, ramus 4) aquilo, aquila IX: 1) cochlea; 2) Quando | nigre | scit nox | rem la | tro patrat | atrox vel: Quándo ni | gréscit | nóx || rém latro | pátrat a | tróx. X: — XI: 1) COR 2) ovum 3) meum, tuum 4) EVA, AVE XII: —

Praemium num. VI i sortitus est Peltenburg Soeterwoudensis, num. VIII i Hilgenfeld Tremoniensis.

Septimi Anni Aenigmatum Solutiones

(errore redactoris olim omissae)

Num. I: 1) Alpes, apes 2) LVX 3) cursus 4) mus-ca-tum II: — III: 1) porcus, Orcus 2- fuligo, uligo 3) pollex, Pollux, lux 4) capo, caupo IV: 1) muscus, musca 2) ara 3) ramus, remus 4) arista V: — VI: — VII: — VIII: 1) aer, remus, sura, arbor, rubigo, otium, mors, sitis, sol 2) APIS, PILA, ILEX, SAXO — VOLA, OLOR, LORA, ARAR

Praemium num. Ii accepit J. van Seters.

Schilleri de Ulysse Disticha*)

(Ph. H. Welcker, Selecta Schilleri Carmina. Gothae 1840.)

Ut patriam quaerat, vada quaeque pererrat Ulysses,
Scyllae latratus, ora Charybdis init,
Et maris infesti rabiem terraeque pericla;
Error et ad manes detulit ipse virum.
Sors Ithacae somno pressum tandem admovet orae.
Surgit; at haud noscit regna paterna gemens.

*) Cf. Civ. Rom. VII, 4, (pgg. 54/56) et Script. Lat. pg. 29.

Scriptores Romani in Sermone Parvorum

V. Cicero

Aliquid de vite

Vitis natura caduca est et, nisi fulta est, fertur ad terram. Claviculis suis autem quasi manibus, quicquid est nacta, complectitur. Ita se erigit. Ars agricolarum amputat serpentem vitem ferro. Amputata non silvescit sarmentis et in omnes partes nimia non funditur. Ineunte vere in iis, quae relicta sunt, exsistit ea, quae gemma dicitur, a qua oriens uva se ostendit, quae et suco terrae et calore solis augescit. Primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit. Vestita pampinis nec modico tepore caret et nimios solis defendit ardores. Quid potest esse fructu laetius, aspectu pulchrius? Non solum natura, sed etiam cultura me delectat: adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio et propagatio vitium, amputatio et inmissio sarmentorum, irrigatio, fossiones et repastinationes agri, quibus fit multo terra fecundior, stercoratio.

Revali, M. Marte MCMXI.

A. Behrsing.

Catalogi antiquarii:

Mayer u. Müller, Berlin — Cat. 254: Class. Philol. 3 (Altertumswiss.), pgg. 50.

J. J. Lentner, München — Cat. IV: Drucke d. XV. u. XVI. Jahrhund., num. 1—890. (Aldinen, Bibelausg., Curiosa, Incunabeln, Neulateiner, Manuskripte, Latein. Autor. etc.) Mit 43 Facsim. u. Regist.

J. J. Lenter, München — Cat. V: Klass. Phil., Archaeol., Paedag., Theol. d. XVI. u. XVII. Jhrh., num. 1—732 (Aldinen 1—38, Aut. lat., Neulat., Bibelausg. 69—77.)

J. Baer & Co., Frankfurt a. M. Cat. 579: D. Balkanhalbins. u. d. Archipel vom Verfall d. Röm. Reich. bis z. Gegenw., num. 1—3715.

J. Gamber, Paris — Cat. 57: (num. 1—2850) Archéol., Epigraphie 1—1314, Empire romain, Philol. 2324—2727.

E. Geibel, Hannover — Cat. 107: Klass. Phil., num. 1—2451 (Lat. Aut. u. Neulat. 766—1567.)

W. Jacobsohn & Co., Breslau — Cat. 240 (pgg. 74): Alte Drucke, Incun. 12—29, Class. Phil. 63—72.

J. Rosenthal, München — Bibliotheca Paedagogica (Cat. 42—44): Alte Werke d. Erzieh. u. d. Unterr. bis Ende d. 18. Jhrh., Human., Neulat., num. 1—3804; Griech. u. Lat. Aut. 3805—6218; Univers.-, Schul- u. Gelehrtengesch. etc. 6219—8062, Nachtrag 8063—8241.

Schweitzer & Mohr, Berlin — Cat. 11: Studenten-Silhouetten, num. 1 bis 1355 (Student.- u. Universitätw. 1259 bis 1355.)

E. Geibel, Hannover — Cat. 140: Klass. Phil. I, num. 1—1882 (Lat. Schriftst., Neulat. etc.)

R. Heger, Wien — Cat. 42: Klass. Phil. u. Altertumsk., num. 1—2120 (Script. lat. 1335—2004.)

K. W. Hiersemann, Leipzig — Cat. 367: Klass. Phil. u. Altertumsk., num. 1—895 (Script. lat. 236—365, Mittel- u. Neulat. 366—435, Manuskr. 859—879.)

Süddeutsches Antiquariat, München — Cat. 106: Klass. Phil. und Altertumsk., num. 1—2659 (Griech. u. lat. Schriftst. d. klass. u. nachklass. Zeit 1 bis 1665.)

M. Lempertz, Bonn — Cat. 223, num. 1—1558 (Klass. Phil. 1—125, Griech. u. röm. Klass. 348—774.)

R. Strohmetz, Ulm — Cat. 7: Klass. Phil. u. Altertumsk., num. 1—4117 (Script. lat. 1222—2560.)

E. Geibel, Hannover — Cat. 119: Sprachwissenschaft, num. 1—1662 (Latein. 1330—1492.)

Th. Ackermann, München — Cat. 571: Biblioth. philol. class. II, num. 1573—3263 (Neolat., Opuscula etc. 1573 bis 1825.)

H. Lüneburg, München — Cat. 90: Bibliothekswerke, Seltenheiten, num. 1—199.

Mayer & Müller, Berlin — Cat. 259: Class. Philol., pg. 16 (Lat. Aut. pg. 7—10.)

Lipsius & Tischer, Kiel — Cat. 95: Philologia, num. 1—1726 (Aut. lat. 1075—1668.)

Gustav Fock, Leipzig — Cat. 392: Klass. Philol. u. Altertumsk., num. 1—6163 (Lat. Schriftstell. 1818—2773, Lat. Schriftst. vom Mittelalt. bis z. Neuzeit 2843—3015.)

Censura Librorum

„90 Jahre ‚In Treue fest'. Festschrift zum 90. Geburtstage und 25jährigen Regierungsjubiläum des Prinzregenten Luitpold von Bayern." München, Dr. Wild's Buchdruckerei (Gebr. Parcus), 1911. XVIII + 240. Pr.?

Cum Bavarorum gens superiore anno, ut Luitpoldo principi regnum regenti 12mo die mensis Matrii h. a. nonagesimum natalem acturo pietatem suam sinceram, caritatem singularem, venerationem eximiam demonstraret, festis splendidissimis lautissimisque diem illum pararet celebrare, princeps omnibus virtutibus cum regalibus tum civilibus ornatissimus vehementer exoptavit, ne sollemnia sumptuosa fierent aut tumultuosa, libentissime autem permisit, ut per totum regnum haberetur collatio pecuniarum, quibus utilitati salutique communi ac beneficentiae prospiceretur exercendae. Quam in rem ut ipsi quoque stipem conferrent, Fratres Parci Monacenses conscribendum curaverunt edendumque librum supra citatum.

Continet libellus primum quidem chirographa Pii P. P. X mi, imperatoris nostri Guilelmi II i, Francisci Josephi Austriae imperatoris, plurimorum principum Germanorum; deinde descriptionem vitae et studiorum laborumque Luitpoldi principis a viro doctissimo H. Reidelbachio Monacensi amantissime confectam; denique magnum numerum sententiarum, narratiuncularum, poematum, imaginum ad Luitpoldum pertinentium, quibus scriptis tabellisque viri nobilissimi et spectatissimi, in his potestates, magistratus urbani, archiepiscopi, academiarum rectores et professores, praefecti exercituum, artifices, scriptores, alii, ostendi volunt Bavaricae genti totique orbi, quibus excellat virtutibus princeps, quam carus sit populo, quanta insit in eo humanitas et benignitas, quas quantasque res domi militiaeque pro salute patriae gesserit.

Neminem profecto esse crediderimus, quin summopere delectetur hoc libello; nam qua est iucunditate gravitati coniuncta, eum dignissimum putamus, qui ab omnibus civibus bonis non Bavariae solum, sed totius Germaniae iterum atque iterum perlegatur. Sine ulla dubitatione testis dici potest liber cum egregii Bavarorum erga principem amoris tum summae admirationis venerationisque, qua in omnibus Teutonicae linguae terris colitur Luitpoldus. Itaque nos iuvat libellum enixissime commendare.

Consentientibus editoribus ad verbum exscribimus litteras Pii P. P. principi gratulantis ac benedicentis:

„Dilecto filio Serenissimo Principi Luitpoldo Bavariae Regnum Regenti, in communi subditorum laetitia, quos Ipse provide gubernat, vitae suae annum nonagesimum feliciter explenti, de longitudine dierum, aeternae beatitatis praesagio, gratulantes ex animo, dum a divina clementia enixe poscimus, ut Principem Nobis et huic Apostolicae Sedi addictissimum diu sospitet, Serenissimam Domum Eius omni vera prosperitate cumulet, et Bavarorum gentem in concordi Ecclesiae et Civitatis consensu per Ipsum fortunet, paternae praecipuaeque benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis
die 24 Januarii 1911.

Pius P. P. X."

Item lubet ex poematis adiungere viri doctissimi Pernwerthi de Baernstein, arcano consilio regio adscripti, carmen in illud monumentum pacis et belli, quod Luitpoldus exercitui Bavarico sacravit et Monaci in porticu memoriae imperatorum ducumque dedicata collocari iussit:

Monaci stat porticus,
Quae Bavaricorum
Est sacrata ducibus
Agminum clarorum.

In hac vides statuam
Aeneam, erectam,
Quae demonstrat feminam,
Bellatore tectam.

Femina est symbolus
Dulcis almae pacis, —
Bellatoris gladius
Adiacet pugnacis.

Dissipet hic gladius
Hostes aggredientes
Et exstinguat funditus
Bellum inferentes!

Bello vero melior
Semper pax infracta: —
Hac aeterno fruitor
Patria intacta!

Condidit hunc symbolum
Luitpoldus rector,
Pacis atque artium
Clemens qui protector.

Aeri firmo adaequat
Fides Bavarorum,
Quae, o princeps, perennat
Fugam per annorum!

Nestorem principum Germanorum, pacis, artium, litterarum protectorem, regentem altissimum, venerandissimum, dilectissimum ut diu salvum fortunatumque velit esse Deus optumus maxumus, una cum gente Bavarica nos quoque pie precamur.

Guil. Lehmann Vratisl.

Friderici de Schiller carmina optima eademque a Ioanne Dominico Fuss conversa edidit Ioseph Plassmann phil. Dr. — Monasterii Guestfalorum 1909. In aedibus Aschendorffii. VII + 150. Pret. M. 1,50 cons., M. 2,00 comp.

Germanica poemata Latine convertere qui susceperint, eos iam pridem non omnibus placuisse, praecipue autem nostra aetate multis displicere non ignoramus. Non enim unquam defuerunt neque desunt hodie, qui reprobantes artem vertendorum aut imitandorum carminum hanc exercentibus cum Ovidii patre dicere soleant: „Studium quid inutile tentas? 1) et existiment pulchriora esse et elegantiora nostratium poemata, quam quae iucundiora et amabiliora fieri vertendo possint. Quod quidem nemo nisi insanus infitiabitur; attamen vituperatores illi non memores sunt virorum praestantissimorum et litteris eruditissimorum, qui, ut Philippus Melanthon, exercitationes metricas vehementer laudaverunt probaruntque nec discipulos suos ad eas impellere dubitaverunt, quippe quibus adolescentes ad linguas alienas recte cognoscendas, discendas, utendas optime adduci posse censerent. 2) Nec sane iniuria. Atque omnibus temporibus viri docti illa reprehensione non deterriti convertendis Latine vel Graece carminibus non modo se, verum etiam alios summopere iuverunt et delectarunt. Quorum in numero habendus est Ioannes Dominicus Fuss, philologiae classicae in universitate litterarum Leodensi olim professor. 3) Hic anno 1837 opus edidit, quod inscribitur: „I. D. Fuss. Poemata latina adiectis et graecis germanicisque nonnullis hoc volumine primum coniuncta. Insunt Schilleri, Goethei, Guil. Schlegel, Klopstockii, De-Lamartinii aliorumque poetarum carmina vertendo aut imitando latine expressa. Accedit, praeter notas in carmina, de linguae latinae cum omnino ad scribendum tum ad poesin usu deque poesi et poetis neolatinis dissertatio. Leodii, typis H. Dessain, impensis auctoris. A. 1837, XLVII — 214 p.“

Hoc ex libro vir doctissimus Iosephus Plassmann Monasteriensis carmina Schilleriana elegit et textibus Germanicis, id quod valde laudandum, additis iterum typis expressa apud Aschendorffium foras dedit. In his quinquaginta versionibus, quae partim distichis metrisque Horatianis, partim metris ab ipso Schillero usurpatis compositae sunt, vix quicquam invenies minus probandum, nisi vituperandum censueris, quod translator in metris vernaculis Latinos syllabarum accentus saepius parum servaverit — ut exempla afferamus: p. 49 felíx o simplex cor et purus; cantús sonát Erinnyum; p. 67 piús qui domini; p. 73 aquá vim ignis socia; missús qui primus venerit; p. 81 comés inhorruit; flammás monstrabant hilare; carús tibí non purus sic; alia — et hiatum diverse curaverit, i. e. evitaverit modo, modo admiserit, velut p. 3 mene⁀aeternum; cara⁀ardente; hasta⁀in aula; p. 65 cara⁀imago; p. 67 quumque⁀illo, — at contra p. 5 cui | amicus; p. 49 theatri | orbem ambiens; p. 105 festo | hoc pulcherrimo; p. 121 umbo | ambitus! alia, et uno in versu: p. 21 fracta⁀aestuat unda | et aestuat. — Maximam deberi existimamus gratiam libri recentis auctori, utpote qui de omnibus Schillerianae poesis amantibus perbene meruit hoc libro specie nitidissima summaque elegantia confecto, quo potestas nobis datur versionum Latinarum facilius cognoscendarum, quam fieri potest e vetere neque ita impetrabili Fussii libro. Itaque sine ulla dubitatione dignissimum putamus libellum, qui diligentissime legatur non solum ab amatoribus talium versionum sed etiam a spretoribus, eumque omnibus cum litterarum tum Latinitatis studiosis et cupidis, qua est suavitate et subtilitate, gratum acceptumque fore speramus.

Guil. Lehmann Vratisl.

1) Ovid. trist. IV, 10, 21.

2) Cf. verba Melanthonis in „Visitationsbüchlein v. Jahre 1528“ (Corp. Reform. vol. XXVI pagg. 49—96), praeterea epistulam, quam M. ad Eobanum Hessum dedit (Corp. Reform. vol. I p. 573).

3) ab anno 1817 ad annum 1848. Natus erat Fussius d. 2. m. Ianuarii a. 1782, diem supremum obiit d. 31. m. Ianuarii a. 1860.

D. Th. Elsaesser, Linguam discito lingua. Grammatica latina in dialogum redacta. Roulers, Jules de Meester, 1910. 462. Pr. 4.50 frc.

Mirum videatur, quod his nostris temporibus, cum vix ullo in ludo ingenuarum litterarum lingua latina ad docendum usurpatur, grammatica latina latine conscripta in publico proponitur. Cuius novitatis quid causam intulerit, amice lector, tibi paucis exponam. In docenda grammatica, ut usum ad doctrinam adjungerem, experiendi causa initio quaedam, procedente vero tempore omnia fere quae ad syntaxim pertinent praecepta summatim litteris latinis mandata ediscenda curavi. Quod cum animadvertissem non solum in nimiam non incurrere difficultatem, verum etiam discipulos hac ratione semel assuefactos tum linguam latinam majore cum delectatione et studio curare tum ad loquendum ac scribendum fieri aptiores, in cogitationem incidi eandem rationem paulo accuratius elaboratum et aliis qui lingua latina delectarentur exoptatam fortasse atque utilem esse posse. Quod ad tractandam libri materiam dialogi forma sum usus, expertus scio, quam aridum sit studium grammaticae plerumque angustae ac concisae, cum dialogus sua natura non solum ad delectationem sit natus, verum etiam ad explicandas res difficiliores maxime aptus. Ceterum nihil mihi in consuetudine novanda sumpsi licentiae, nisi quod occasione oblata res utiles potius quam stricte ad grammaticam pertinentes quasi in transitu perstrinxi. Quamquam praeterea partes syntaxis latinae omnes subtiliter persequendas esse putavi, majoris tamen momenti res velut usum pronominis reflexivi, consecutionem temporum, sententiam hypotheticam, conjunctiones et alia enodatius explicavi. Frequentia denique, quae singulis praeceptis adjunxi exempla, maximam partem ex praestantissimis latinitatis auctoris sunt deprompta.

D. Th. Elsaesser

S. Dörfler, Beiträge zu einer Topik der römischen Elegiker. (Jahresber. d. k. k. Staatsgymn. in Nikolsburg 1905-6.)

Quamquam, quibus certi quidam veteres poetae in describendo amore uti soleant imaginibus, plures iique peritissimi exposuerunt viri, tamen vix reperiatur libellus, quo copiosius, quam noster facit auctor, de universo Romanorum illam rem tractantium genere disseratur. Tota commentatio, quae satis multis exemplis illustrata est, in octo dividitur partes, in quibus a crebriore ad minus frequentem procedentes usum amorem adhibita similitudine pugnae, servitio, morbo, tum igni, navigationi, venationi aliisque quibusdam rebus comparari videmus. De Graecis poetis qui sit libellus proxime edetur.

S.

Przewodnik antykwarski, dwutygodnik dla bibliofilów i zbieraczów, poswiecony bibliografii oraz milosnictwu ksiazek i zabytków sztuki i kultury.*) Prodit bis in mense Varsaviae Polonorum, via Mokotowska, 54. Primus numerus kal. Dec. 1910 prodiit. Pretium annuae subnotationis extra Russiam est 15 Marc.

In praefatione (quam in num. I pag. 8. invenimus) legimus hunc commentarium eo esse conditum consilio, ut de veteribus litterarum bonarumque artium monumentis, praesertim autem de veteribus libris viri docti subtilius edoceri queant. Nihilominus longiora quoque scripta commentarius saepissime continebit. Sed nimirum Polonicorum monumentorum, quae in alienis nunc sunt manibus, ut Polonis recuperari possint, imprimis ratio habebitur. Insuper in quoque numero epistolarum commercium suum obtinebit locum ut de rarissimis libris notitiam aliis lectoribus alios percontandi facultas detur.

Ante nos duos habemus numeros, quorum secundi initio perpulchrum legimus scriptum de „Bibliophilis, qui dicuntur, Francogallicis“ a Johanne Lorencowicz exaratum, initio autem primi numeri scriptum „De antiquos libros conquirentibus Polonis“ auctore Josepho Weyssenhoff.

Praeterea quicumque huius „antiquarii ducis“ utrumlibet fasciculum evolvit, primum diversis diversarum societatum notitiis ac decretis occurrit, deinde litteras bonasque artes pertinentium scriptorum, quae nonnunquam politicis ephemeridibus inseruntur, indici, tum antiquariorum catalogorum, qui nuperrime prodierunt, tum proscriptarum auctionum in quibus bibliothecae divendentur, indici, variis denique librorum venalium indicibus etc.

Commentarium M. Rulikowsky, rerum veterum scrutator diligentissimus, qui in eo redigendo primas agit, maxima cum cura ac mirabili quadam diligentia conscribit totoque animo ac studio in eum incumbit.

Ex quo sequitur, ut haec antiquaria ephemeris et cuique fere utilissima et a multis magni sit aestimanda. Itaque non solum omnibus veteres libros conquirentibus bibliophilisque, qui dicuntur, sed etiam plurimis viris doctis est maxime necessaria, quoniam hunc commentarium adhibentes, praecipue autem per supra scriptum eius redactorem, veterum librorum notitiam facile habere poterunt multi, quam adhuc saepe diutissime exspectare cogebantur, aut nunquam accepturi erant.

Quam ob rem „dux“ etiam atque etiam commendetur!

Lad. Lud. Podobinski

*) Venia est a lectoribus nostris Polonicae linguae peritis petenda, quod typis deficientibus non possumus quasdam literas satis accurate exprimere. Red.

Aenigmata

1

Salutatio mysteriosa:
Mitto tibi lunam, solem simul et canis iram,
Quae reddas, a te, tu mihi amice, precor.

2

Terra fuit, nimirum alio nunc nomine nota.
Primam mutato: vestes hominum tibi porto;
Primam deme: vetus fluvii dico tibi nomen.
G.

3

Sole calente nimis crucio te forte migrantem:
Etsi me vertis, non levius fit onus. Lhm.

Horum aenigmatum qui solverit duo intra triginta dies, unius sortis particeps erit in urna, qui omnia, duarum. In sortitionem dabitur libellus:

ΠΑΙΓΝΙΑ ΑΝΩΝΥΜΑ. Sine Nomine Lusus. Goritiae, Ioa. Logar, 1909.

Aenigmata num. VI. soluta:

1) ara 2) speculum, specula 3) is ter, Ister 4) aper, caper

Solverunt omnia: Roesch, Ferguson, Weller,
tria: Meunier, Palata, Lehmann, Draheim, Kiock, Stelzner,
duo: Hertel, Lesche.

Praemium accepit

— Weller Ehingensis —

qui hanc misit solutionem poeticam:

1

Dixit: **ara!** genitor: primus sudavit arator,
Araque de campis dona resecta tulit.

2

Inspiciens **speculum** nil non mortale videbis:
Aetquora de **specula** non peritura vides.

3

Tristis erat docto Nasoni barbarus **Ister:**
Is male devovit **terque** quaterque Getas.

4

Sunt sua tela feris: cornu **caper** excipit hostem:
Dente canum turbam dissipat hirtus **aper.**

Sententiae latine vertendae:

Babel

As if there were not more than a sufficiency of languages in the world already, those who have nothing better to do with their time have been inventing, and doing their best to persuade people to adopt, universal languages, which will enable all nations to converse after a fashion, without any acquaintance with each other's tongues. A short time ago we dealt with this subject of a universal language, and the result has been a rain of pamphlets. The votaries of Esperanto, Volapuk, and the Langue Bleue have all urged the claims of their respective jargons, to be the one world-wide universal language. So far as can be judged from a very cursory glance through the rival tongues, the most sensible of all and the most easily understood would appear to be Esperanto, for the simple reason that it is founded more closely than the others on Latin. But this at once raises the question, Why should it be thought necessary to invent a new international language when one already exists, and one which has been the universal language of civilisation for nearly two thousand years. Most people know something of Latin, and the Chinese, the Fiji Islanders, and others who do not might very profitably devote their spare time to studying a universal language with a magnificent literature behind it. There is absolutely no need to attempt to build another Tower of Babel in the present year of grace.

The Globe, London (25. 5. 03.)

Huic penso qui satisfecerit optime, gratis accipiet librum
L. Laurand, De M. Tulli Ciceronis Studiis Rhetoris. Paris, Picard et Fils, 1907. Pr. 3 frc.
Versiones intra sexaginta dies huc pervenire debebunt.

Wilhelm Jordan. Ein deutsches Dichter- und Charakterbild. Von M. R. von Stern. Mit einem Bildnis von Max Schüler. 102. Frankfurt a. M., Hans Lüstenöder, 1910. Pr. 2 (3) M.

Quamquam longe aliter de rebus divinis humanisque sentio atque Jordanus et is, qui de vita et operibus eius scripsit, tamen maximum gratiam habeo et illi, qui non solum praecepta sed etiam exempla poeticae maximeque epicae artis dederit praeclarissima, et huic, qui vitam poetae rhapsodique a pueritia usque ad mortem scripserit. Fuit Jordanus profecto vir vere Germanicus idemque praeceptor Germaniae et resuscitatis heroum Germanicorum laudibus et Shakespearii Homeri Sophoclis carminibus translatis. Eme, lege hunc librum; multa disces ipsumque Jordanum adamabis et magistrum habebis.

Lp.

Sententia

Patet omnibus veritas: nondum est occupata. Multum ex illa etiam futuris relictum est. **Seneca.**

Singulares grates existimavimus hoc loco agendas his viris, qui indicatis latine scientium nominibus mirum nos in modum adiuverunt:

W. Zuidema (Amsterdam) — A. Nardis (Aquila) — G. Fisch (Wien) — H. Hansen (Pellworm) — D. Rouse (Cambridge)

Speramus alios quoque publice nominandi nobis datum iri occasionem omnesque salutamus lectores **Ed. et Red. S. L.**

Librariorum Praeconia

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem, Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., Eschersheimer Landstrasse 112.

Nomina et domicilia
eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Krakow — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prof. Semin, Aquila (It.) — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach (Bay.) — J. Tasset, Tonnerre — C. Thieme, Parochus, Calbeck — N. Woll, Sacerdos O. S. B., Aachen — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Typographus: Carolus Wiechert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus VIII: Numerus XI

— Procurant negotia —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
in Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. VIII — Francofurti a. M., Mense August MCMXI — Num. XI

LECTOR CARISSIME!

Non sine causa haec intra ferias eduntur folia. Nam cum ne otiantes quidem suo carere commentario lectores volumus, immo verum otium esse non posse sine illius lectione existimamus, tum nullum nobis tempus aptius videtur ad novos rei nostrae amicos acquirendos. Curru ferreo veheris viaeque levandae causa Scriptorem legis: quid mirum, si omnium una vehentium oculi specie illius ac titulo alliciuntur? Quaerit unus, quid sibi velint libelli, quanto constent, ubi veneant — habet enim secum puerum gymnasium frequentantem — iamque huic se illos dono emere velle laetus promittit. Sic in vehiculo, in balineo, in horto, inter cenam quoque aut dum ludis seu ambulas seu quiescis, omni denique tempore te Scriptorem legere Latinum significare poteris eiusque notitiam inter homines felici quadam sorte obvios propagare. Habes igitur, quod agas, amicissime: age adiuva nos, et si plura huius numeri desideraris exempla, fac nos, quaeso, certiores. Fiet, quod petiveris, citissime. Di vero ferias tibi tuisque fortunent vosque reduces penatibus reddant corporibus animisque confirmatis! **Editor.**

Johannis Vahleni ad „Opuscula Academica“ *)

Praefatio

„Ad formam quod attinet, nemo eorum qui nunc sunt hominum potest, quod huic par sit operi, praestare nec est ullus populus, ne inter eos quidem, qui et olim abundabant latine scribentibus et nunc quoque colunt haec studia, qui glorietur libro huic nostro comparando.“ Haec fere verba sunt Buecheleri de Vahleni Opusculis Academicis iudicantis in commentariis, qui „Berliner Philologische Wochenschrift“ inscribuntur. Et alius quidam rerum philologarum existimator: „Debent, inquit, philologiae imprimis studiosi his prooemiis quantam possunt operam dare, quae meliora iis offerent latine dicendi scribendique exempla quam Antibarbarorum vel aliorum eius generis librorum praecepta.“ Haec quoque praecipua, si non sola, causa est, cur totam opusculorum illorum praefationem hic describendam putaverimus, nec quicquam magis cupimus

*) I: Prooemia Indicibus Lectionum Praemissa I—XXXIII (1875—1891). Lipsiae, B. G. Teubner, 1907. XI + 511. Pr. 12 (14.50) M. II: Prooemia XXXIV—LXIII (1892—1906). Ibidem 1908. IV + 646. Pr. 14 (16.50) M.

quam ut unus alterve lectorum emat hoc opus, quod, ut pauca, demonstrat, quantum debeat philologia Vahleno, et quam multos, ut ita dicam, laterculos conferri oportuerit ad magnificam illius disciplinae molem exstruendam. Sed iam ipsum audiamus auctorem.

Commentationes philologae in variis scriptoribus Graecis Latinisque versatae, quarum pars prior in hoc volumine, posterior in altero edentur, cum primum scriptae et emissae sunt, prooemia erant indicibus lectionum in universitate Friderica Guilelma habendarum praemissa. Etenim obtinuit ille mos paene una cum universitatis origine natus scholas academicas quae quovis semestri haberentur Latine edicendi eamque enumerationem, ne ἀκέφαλος esset, praefatione instruendi qua rector et senatus, quorum haec auctoritate fiebant, eos qui ad studia capessenda huius universitatis civitatem appetebant sua voce alloquerentur admonerentque, ut ex proposita disciplinarum copia et varietate quae sibi suisque commodis maxime convenirent rite eligerent in electasque cum cura et contentione se insinuarent.

Qua consuetudine usus Augustus Boeckhius, qui primus in hac universitate hoc munus sustinuit multosque annos praeclare gessit, ut erat homo imprimis ingeniosus, saepe insigni dicendi ac sentiendi venustate indici lectionum praefatus est. Sed facile intelligitur, ne ingeniosissimum quidem posse diu huic officio finitis temporum intervallis recurrenti satisfacere nisi ad certum quoddam argumentum sententias suas accommodare licet. Itaque factum est, ut quae admonitio erat paulatim prolusio litteraria exsisteret ex communibus litteris quae olim vocabantur h. e. ex scriptoribus Graecis et Romanis disputandi materia petita, ut tamen ea quoque quae huius modi scribebantur rectoris et senatus nomine scriberentur et ad adulescentes studiosos si non omnes, eos certe qui ad has potissimum litteras incumbere vellent adhortandos et incitandos pertinerent. Eoque modo et consilio Boeckhius ipse praefationis loco luculentas quasdam de antiquitate quaestiones exhibuit; et in Boeckhii locum iam senescentis Carolus Lachmannus succedens paucis et egregiis commentationibus lectionum indices ornavit. Sed qui tertius accessit Mauricius Hauptius multos annos singulari studio hoc genus disserendi coluit, quod ille maxime ad emendandos poetas Graecos et Romanos convertit, sed is quoque quae scripsit scripsit ita ut adulescentum his studiis deditorum commoda respiceret, loqueretur autem sic ut rectorem et senatum loqui censeres, non Hauptium, cuius nomen nusquam apparebat, non magis quam titulus quasi commentationis eruditae.

Hauptio a. MDCCCLXXIV mortuo hunc morem indicendi lectiones vetustate sacratum et claris nominibus decoratum, quamquam iam tum erant qui abolendum esse instarent, ii quorum publica universitatis cura erat conservari quam interire maluerunt. Itaque cum eodem anno ad Hauptii provinciam suscipiendam vocarer, mihi hoc quoque negotium iniunctum est, invito, qui non tam molestiam indices redigendi fastidirem quam vererer ut mihi suo semper tempore ex litterarum penu in promptu esset quod utiliter eo loco edi posset. Sed semel susceptum munus per annos triginta duo omni virium contentione ita tueri temptabam ut quae prooemiandi causa indicibus praemitterem nec universitatis honorem dedecerent nec nihil utilitatis, si fieri posset, iis afferrent qui his studiis se dare cuperent. Retinui autem harum scriptionum speciem externam quam ab initio tralaticiam Hauptius potissimum excoluit, ut nomen scriptoris nullum esset, nulla inscriptio argumenti, et quae scriberentur tamquam ex ore rectoris et senatus proferrentur seque converterent ad eos quorum in usum indices proponebantur.

Qua quidem ex re hoc consecutum est, ut haec quae tamen eruditionis specimina erant, quamvis publici iuris facta essent, re vera iure publico vix uterentur, quae nec in bibliopolarum tabernis versarentur nec in librariorum vel antiquariorum indicibus umquam apparerent, nec a doctis legerentur ne ab iis quidem quorum vel ma-

xime intererat ea cognita habere. Bibliothecariis autem eadem odio fuerunt, quia quae nomine et titulo carerent non uti par esset suo loco notari et collocari possent. Quin etiam, ut patefiat quam exigua haec subinde benevolentia excepta fuerint, meo quoque tempore eruditi homines nonnumquam ita existimarunt, haec φιλολογούμενα, quibus nihil esset cum lectionibus indicatis, hinc removenda et si opus foret ad ephemerides philologiae dicatas ableganda, ubi talia commodius inter sui similia legerentur. Qui mihi videntur, si licet verum dicere, nec prooemiorum originem et naturam considerasse umquam subtilius nec haec mea qualiacumque, priusquam damnarent, exigere voluisse, quo consilio instituta quam forte suo loco utilitatem habere possent. Nam ut mittam haec scripta semper et cum indicendarum lectionum officio publico, cui rector et senatus praeerant, coniuncta et commilitonum ad causas et commoda expressis verbis relata fuisse, commentatio ipsa minime eo stilo perscripta est, quo doctis hominibus scribi solet aut quae ephemeridibus edi volumus: quid intersit, poterit si tanti est cognoscere cui libuerit cum prooemiis meis conferre quae ‚Variorum' titulo per aliquot Hermae volumina ab a. MDCCCLXXV cum doctis communicare perrexi. Etenim in illo scribendi genere non hoc secutus sum, ut meam aliquam sententiam quantum satis esset argumentis probarem, sed quemadmodum saepe dixi me ibi non doctis scribere sed discentibus, ita hoc egi potissimum, ut rationibus explicandis et a suo principio deducendis viam monstrarem, qua via posset qui hoc ageret argumentando aut refellendo quod vellet aliis persuadere; voluique hunc praeter ea quae vivo ore prodocerem quasi alterum praecipiendi modum esse, quo ratiocinandi vi et exemplorum usu principiis artis philologicae instituerem primum eos qui his litteris se dedunt, tum quoniam haec ars demonstrandi a nullo doctrinae genere aliena est etiam alios aliarum disciplinarum alumnos. Quod consilium edocendi quomodo intelligi voluerim vel ex iis percipi potest quae principio prooemii Aristophanei a. 1884-85 p. 254 scripsi: — – at nos quibus persuasum est summum esse in philologia non divinare sed intelligere, ad eam persuasionem navorum adulescentum, quibus haec studia cordi sunt, prospicere commodis solemus; qui nobis etiam atque etiam admonendi videntur, ne novarum opinionum dulcedine corrupti iudicare prius velint quam assidua et multiplici lectione adiuti intelligere didicerint. Itaque iis si qui in Aristophane cognoscendo operam collocaturi sint, auctores simus, primum ut centies repetita lectione in familiaritatem quandam poetae sese insinuent, deinde interpretatione grammatica vires exerceant ita ut verborum vim et usum impensa cura perspiciant, sententiarum motus, orationis formas, sermonum naturam et itinera, poetae in hoc omni genere consuetudinem ac libidinem subtili ac minuta observatione persequantur eqs; aut quae de Platone cum agerem a. 1891 p. 487 praefatus sum: — — ita plerumque agere solemus ut expositis rationibus demonstrando si forte aliquid evincamus, aut si id fieri non potest, hoc tamen patefiat quo nomine imperfecta sit demonstratio et quid ad eam perficiendam quaeri aut probari amplius oporteat. Quae res cum alibi tum maxime in Platone utilis ac necessaria esse visa est, quia nimis saepe videmus in hoc principe dialecticorum dialecticam a philologis adhiberi nullam, cum critici qui sibi fidunt probandi molestia procul habita ὥσπερ οἱ τέλεοι σοφισταὶ εὖ ἴσθι, inquiunt, sic est scribendum, qui vero aliter sentiunt, cum redarguere illorum opinationes aggrediuntur, in eo plerumque subsistunt ut negent, quae falsa esse argumentis firmare non possunt. Ita fit ut inter aientes et negantes sententiae ridicule vacillent, et qui non satis ab arte exercitati accedunt, incerti haereant neque se expedire sciant, aut adeo adducantur, ut hanc esse veram philologiam putent quae adversantium sibi opinionum tamquam tesserarum lusu iucundissime tempus fallat; vel cum Liviani sermonis observationem commendarem prooemio a. 1890 p. 447: Enumeratio lectionum academicarum, quas indicimus commilitonibusque commendamus,

ut suam habeat praefationem litterariam, observationes sermonis Liviani proponimus, paucas et exiguas, sed quae tamen exemplo esse possint, magnae rem cautionis esse veterum scriptorum emendationem, ne dum prava corrigere instituimus, depravemus ultro quae recte scripta sunt. Nam id quidem facile est, si quid quod alienum videtur a communi more sermonis aut ab explorata scriptoris consuetudine discedit suspicionem vitii movet, dicere quid recte scribi potuerit, quod genus inventa multa magnorum criticorum specie legentes decipiunt, sed ne sensu saepe fallaci inducamur, magis illud quaerendum est, cur recte scribi non potuerit, quod fide vetustatis propagatum est. Id autem qui argumentandi vi sedulo demonstrare aggreditur, non potest non multas et minutas res operosa saepe observatione persequi, ut et quid tribui scriptori recte possit et quid ab eo abiudicari oporteat stabili iudicio sciat distinguere eqs. Quibus adde quae in prooemio Callimacheo altero p. 433 memoranda duxi. Haec et quae similia multis locis disserui qui reputarit intelligat necesse est, non fuisse has commentationes philologas, quae seorsum ab indicandarum lectionum munere quolibet loco pari iure edi aut legi potuerint. Quae vero universe in his principiis praecipiendo aut dehortando explicui, ea operam dedi ut in disputatione ipsa per arguendi aut redarguendi itinera et adhibitis exemplis planius patefierent et confirmarentur. Petii autem disserendi materiam plerumque ex disceptandis veterum scriptorum locis singulis aut etiam pluribus eiusdem scripti vel scriptoris: sic enim existimabam nulla re magis philologiae discipulos esse exercendos quam ut interpretandi arte recte uti discerent, id sibi persuadentes, non libidine in his rebus agi sed iudicio, quod parari non posset, nisi quis in controversiis natis rationes in utramque partem excutere et suis quasque ponderibus examinare sciret. Scriptores, quibus hanc tractandi rationem adhiberem, ut muneri quod unum erat aliquid varietatis admisceretur, variis temporibus varios selegi, pedestres et poetas, Romanos et Graecos, sed praecipue colui eos, quorum auctor esse discipulis solebam ut familiaritatem quandam indefessa lectione et accurata observatione affectare vellent, Sophoclem dico, Euripidem, Aristophanem, Platonem, Ciceronem, Horatium, Vergilium, Livium. Quorum vero scriptorum locos expendendos sumpsi, eorum fere generatim condicionem criticam explanavi, quo certius iudicari de singulis posset; alibi defendendi aut emendandi causa quosdam dicendi usus proprios vel peculiares scriptorum, nimis saepe ab interpretibus neglectos, observandi diligentia patefacere studui, qualia vel illa sunt quae de Platonis Philebo vel Symposio aut in duobus prooemiis Livianis exsecutus sum; atque omnino nihil antiquius habui, quam in vim et sententiam verborum inquirere, quod esse fundamentum interpretandi discentibus inculcare consuevi; quod quid valeat documento esto quod in tractatis versibus Ranarum Aristophanis ostendi quandam ἐπὶ praepositionis significationem ignoratam aut neglectam turbas creasse, quibus critici versus istos obruerunt; nonnumquam ex singulis locis pensitandis exspatiandi occasionem arripui, ut quaestiones quasdam latius patentes vel ad plures pertinentes pertractarem, velut de genere quodam emendandi ex litteris transpositis, de iteratione et traiectione verborum apud poetas Romanos, de desideratarum vocum indiciis apud Livium, de repetitis versibus apud Horatium, de sententiis comparativis apud Theocritum et alios, de luxurie orationis in sublimitatis libello, de Luciano Cynicos contemnente, de Aristophanis ludibrio quo suas semet personas illudentes facit, multa alia. Saepius verba feci de interpungendo non solum in eo prooemio quo dedita opera distinctionis usum criticum declarare conabar, sed alibi quoque variis occasionibus; in qua re saepe dixi, non virgulas et puncta agi, sed id potius ut orationis forma et structura penitus perspiceretur, quo nihil gravius est aut magis necessarium si volumus sententias sententiarumque connexiones recte intelligere. Quam rem negligere nec

sic ut oportet attendisse quam perniciosum fuerit multis multorum scriptorum exemplis cognoscitur. Itaque, ut hoc afferam, vel in Iuvenalis satiris quasdam sententiarum conformationes huic poetae familiares persecutus multa olim damnata vera esse et ipsius poetae more confirmari edocui. Fuit etiam cum ad scholiorum veterum memoriam recurrendum esset: quae quia aetate superant codices qui nobis vetustissimi in promptu sunt, saepe habent quo fidem traditorum firmare aut pro depravatis veram scripturam exhibere liceat. In qua re tamen cautionis est, ne ex interpretum ambagibus, quae saepe specie fallunt, tamquam nova et scriptoribus reddenda ducantur, quae inania sunt cassae nucis instar. Magis etiam cavendum est, ne quadam vetustatis verecundia moti, quae isti interpretes ex suo sensu vel iudicio pendentes tradant, non posse non pro veris haberi confidamus. Erraverunt interpretes, nec solum Porphyriones sed etiam clari nominis grammatici Graeci. Id igitur exemplis quibusdam ostendere conatus adulescentes admonere volui, ne nimis se auctoritate ista constringi patiantur sed libertate quadam sentiendi utentes undique quaesitis argumentis quid verum videatur explorare periclitentur.

His paucis hoc effici volui, ut hae scriptiones, toties cum olim tum nuper falso aestimatae, ratione et instituto earum declaratis, in posterum rectius iudicarentur. Quae scripta mea, antea singillatim suis temporibus dimissa, quod nunc in unum collecta emittuntur, quamvis non me nolente, non tamen meo consilio factum est. Nam ego ubi condicio haec edendi, quam amicorum favore permotus redemptori olim feci, non sine aegritudine mea repulsam tulit, desperavi talia qualia haec essent, et Latine scripta et ad veterum scriptorum intelligentiam pertinentia, aut a quoquam desiderari aut a librario sumptibus lucri spe exaequatis recipi ac propagari posse, eamque curam et cogitationem paulatim ex animo dimisi eo facilius quo magis dubitare coepi, num haec repetita tantae utilitatis forent quantae quorundam humanitas mihi persuadere vellet. Interim eo fere tempore, quo ego aetatis vacatione usus a prooemiis scribendis redigendisque lectionum indicibus recessi, nonnulli docti homines, qui olim auditores mei fuerant, nunc sunt professores gymnasiorum aut doctores academici, quippe sodalitate quadam philologa multos annos consociati, id consilii inierunt, ut me insciente ipsum adirent clarissimum bibliopolam, ex cuius officina cum alia mea exierunt, tum haec nunc eduntur, ecquanam condicione prooemiorum meorum editio perfici posset, quam ipsi se suis sumptibus certa parte exemplarium in se recepta adiuvare velle professi sunt. Convenit inter eos et re mecum communicata, quamquam aegre ferebam horum virorum benignitatem mea causa tanto munere se obligasse, tamen a me impetrare non potui, ut tam magnum benevolentiae testimonium recusarem. Itaque et illis et redemptori ad me condicionem factam perscribenti respondi me accipere propositum et paratum esse omnia exsequi quae necessaria haberentur, ut haec quondam a me perscripta et edita nunc idoneo nec inutili modo renovarentur.

Feci autem haec potissimum: contextum commentationum praeter rara additamenta exempli alicuius vel brevis sententiae intactum reliqui: scribendarum vocum modum et omnino externam scriptorum speciem in his quae per longa temporis intervalla exarata sunt exaequare studui, id quod iam video mihi non ita ut optavi contigisse. In adnotationibus (et a prioribus quidem segregata) adieci si quae essent ab aliis post me aut contra me de iisdem rebus exposita, non omnia quae nossem, sed quorum commemorationem non inutilem fore existimavi; maxime vero si quid ipse haberem quo quod olim probatum ivi stabiliri vel ab obiectis vindicari posse videretur, id addendum curavi, idque cum brevitate, nec umquam, quamvis facile esset, cumulare exempla volui nisi certo consilio motus.

Alteri volumini addentur indices et rerum et locorum; eidemque si quae erunt ‚Addenda' et ‚Corrigenda'. In typothetarum mendis tollendis fideliter me adiuvit Aemilius Thomas.

Scr. m. Novembr. a. MDCCCCVI.

PROGRAMMA

Certaminis Poetici In Academia Regia Disciplinarum Neerlandica Ex Legato Hoeufftiano

in annum MCMXII indicti

A. d. III. Id. Mart. in consessu Ordinis litterarii iudices de XXXII carminibus sibi missis hunc in modum rettulerunt.

Octo carmina nimis exilia visa sunt statimque seposita: *In laborem, Fraternitas generis humani, Ad iuvenem Christi Sacerdotem, Laudes Galilaei, Alpes a Georgio Chavez traiectae, Andromache domi, Vita rustica et urbana, Nugae.*

Paulo minus displicebant: *Psalmus secundus, Divinatio de provectione mulierum, Spreti numinis ira.*

Sequuntur quindecim carmina quae propter formam laude non carebant nec tamen digna visa sunt quae ederentur: *Alma domus Lauretana, Pio X, Unicuique suum in sciolos recentiores, Phyllostrophis, de Asiatica lue, Aristaeus, Proteus alter, Villa Rappolti et Mons Othilianus, Pax hominibus, Redeamus ad agros, Pax, Mutua Caritas, November, Domus lugens, Itinera.*

His longe praestabant quinque carmina quae sequuntur: *Fanum Vacunae, Petronius, Pascua montium, Avia, Ravenna.*

Ex his, etiamsi oeconomia carminis non omni ex parte satisfaciebat, tamen praemio dignissimum iudicavimus *Fanum Vacunae*, cuius auctor apparuit Johannes Pascoli Bononiensis.

Itidem prelo subicientur quatuor reliqua, si schedulas aperiendi veniam dederint poetae, quod iam fecerunt Franciscus Sofia Alessio Radicenus, auctor *Petronii*, Camillus Morelli Romanus, qui *Pascua montium*, et Adémar d'Alès Parisinus, qui *Avia* composuit.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ianuarias proximi anni mittant *Hermanno Thomae Karsten*, ordinis litterarii Academiae Ab-actis, munita sententia, item inscribenda schedulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transscribendo portabile prelum Britannicum *(typewriter)* adhibere velint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, quando schedulae aperiendae venia dabitur.

Exitus certaminis in consessu Ordinis mense Martio pronuntiabitur,[1]) quo facto schedulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami
m. Mai. MCMXI

P. D. Chantepie De La Saussaye
Ordinis Præside

[1]) Vulgabitur mense Martio in diariis Italicis his: Gazetta ufficiale del Regno, Bollettino ufficiale, Tribuna, Vox Urbis, La Nazione.

Lectoribus Monitum!

Sententiarum superioribus sex numeris propositarum — plures adhuc versiones exspectantur. —

— Carmina Germanica —

latine vertit
Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

G. C. Pfeffelii de Cicindela et Bufone Fabula

Cicindela, nescia
Sui luminis,
Molli super herbula
Sedit nemoris.

Hanc prorepens putrido
Musco bufo clam
Omni suo toxico
Sparsit accolam.

„Eheu, numquid laesi te?‘
Vermis gemuit.
„Ah, quid fulges splendide?“
Monstrum rettulit.

Ein Johanniswürmchen sass,
Seines Sternenscheins
Unbewusst, im weichen Gras
Eines Bardenhains.

Leise kroch aus faulem Moos
Seine Nachbarin,
Eine Kröte, her und schoss
All ihr Gift auf ihn.

Ach, was hab ich dir getan?
Rief der Wurm ihr zu.
Ei, fuhr ihn das Untier an,
Warum glänzest du?

Schilleri Carmen „Der Jüngling am Bache“

Fonti puer assidebat
  Serta nectens floribus,
Quae videbat fluctuari
  Undae rapta saltibus.
Sic et dies mei raptim
  Fontis instar fugiunt!
Et iuventas mea tabet,
  Sicut serta pereunt.

Quare lugeam vigore
  Florens, ne quaesieris!
Sperant omnes ac laetantur
  Veris dono reducis.
At recentis mi naturae
  Illa vocum milia
Graves invehunt maerores
  Pectoris in intima.

Gaudium, quod praebet nobis
  Suave ver, quid iuvat me?
Unam capto: quamvis adsit
  Haec, est semper peregre.
Ingemens dilectam peto
  Brachiis imaginem,
Heu, sed assequi non possum,
  Cor nec aufert requiem!

Fac descendas, diva dulcis,
  Castro tuo regio!
Flosculos in tuo ponam
  Vere natos gremio!
Audin? cantus implet lucum,
  Pura salit scatebra!
Binos quos beavit Amor,
  Casa capit minima!

Pii X. Pp.

Motu Proprio

quo quaedam statuuntur leges ad modernismi periculum propulsandum

(Absolvitur)

4. „Haec tamen non ita sunt accipienda quasi sermones id genus per se omnino sint improbandi, quum contra, si apte tractentur, perutiles possint esse aut etiam necessarii ad refellendos errores, quibus religio impetitur. Sed amovenda omnino est a suggestu pompa illa dicendi, quae in quadam rerum contemplatione magis quam in actione versatur; quae civitatem spectat propius quam religionem; quae denique specie nitet melius quam fructuum ubertate. Ea nempe omnia commentariis et academiis magis accommodata, dignitati atque amplitudini domus Dei minime congruunt. Sermones autem, seu **conferentiae,** quae propositam habent religionis tuitionem contra hostiles impugnationes, etsi quandoque necessarii, non omnium tamen humeris apti sunt, sed validioribus. Atque ipsis quidem oratoribus eximiis magna est adhibenda cautela, quod eiusmodi defensiones haberi non decet nisi ubi tempus aut locus aut audientium conditio eas necessario postulent, spesque adsit non fore fructu vacuas: cuius rei iudicium legitimum penes Ordinarios esse ambiget nemo. Oportet praeterea in sermonibus id genus probandi vis sacris doctrinis multo plus quam humanae sapientiae verbis innitatur, omniaque nervose dicantur ac dilucide, ne forte mentibus auditorum haereant altius impressae falsae opiniones quam opposita vera, neve obiecta magis quam responsa percellant. Ante omnia vero illud cavendum, ne talium sermonum frequentia moralium concionum dignitatem deminuat ab usuve removeat, quasi hae inferioris ordinis essent ac minoris faciendae prae pugnaci illo dicendi genere, adeoque concionatorum et auditorum vulgo relinquendae; quum contra verissimum sit conciones de moribus plerisque fidelibus esse maxime necessarias; dignitate vero contentiosis disceptationibus minime cedere; ita ut vel a praestantissimis oratoribus, coram quovis elegantiori frequentiorique coetu, saltem identidem summo cum studio essent habendae. Quod nisi fiat, multitudo fidelium cogetur audire semper loquentem de erroribus, a quibus plerique ipsorum abhorrent; nunquam de vitiis ac noxis, quibus eiusmodi auditoria prae ceteris inficiuntur."

5. „Quod si vitiis haud vacat argumenti delectus, alia, eaque graviora etiam, querenda occurrunt si animum quis referat ad orationis speciem ac formam. Quae, prout egregie edisserit Aquinas, ut reapse sit **lux mundi, tria debet habere praedicator verbi divini: primum est stabilitas, ut non deviet a veritate: secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate: tertium est utilitas, ut quaerat Dei laudem et non suam** (1). At vero forma hodierna dicendi saepenumero non modo longe abest ab illa evangelica perspicuitate ac simplicitate quae iisdem deberet esse propria, sed tota posita est in verborum anfractibus atque abditis rebus, quae communem populi captum excedunt. Dolenda sane res ac prophetae deflenda verbis: **Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis** (2). Sed illud etiam miserius, quod saepe his concionibus deest illa species religionis, afflatus ille christianae pietatis, illa denique vis divina ac Sancti Spiritus virtus interius loquentis et ad bonum pie permoventis animos: qua sane vi ac virtute sacris praeconibus semper essent usurpanda Apostoli verba: **Sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis** (3). Iidem contra freti **persuasibilibus** humanae sapientiae verbis, vix aut ne vix quidem animum ad divina eloquia intendunt et ad Scripturas Sanctas, quae sacrae praedicationi potiores uberioresque recludunt latices, uti diserte docebat nuper Sanctissimus Dominus Leo XIII hisce verbis gravissimis: „Haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam

(1) Loc. cit. (2) Thren IV, 4. (3) I. Cor. II, 4.

victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille non loquitur **in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa** (4). Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enunciant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei, eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: **Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus** (5). Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam; id quod Augustinus pervidit diserteque arguit (6), atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo, affirmarunt (7)."

„En igitur eloquentiae sacrae fons facile princeps, Biblia. Sed qui ad nova exempla componuntur praecones, dicendi copiam non e **fonte** hauriunt **aquae vivae,** sed abusu haud sane ferendo, se ad **humanae sapientiae cisternas dissipatas** convertunt, et seposita doctrina divinitus inspirata, vel Ecclesiae Patrum et Conciliorum, toti sunt in profanorum recentiorumque atque adeo viventium scriptorum nominibus sententiisque proferendis: quae sane sententiae saepe interpretationibus ansam praebent, aut ambiguis aut valde periculosis. — „Alterum offensionis caput iniiciunt qui ita de rebus religionis disserunt, quasi omnia caducae huius vitae emolumentis commodisque metiantur, futurae ac sempiternae pene obliti: qui fructus quidem a christiana religione illatos hominum societati praeclare persequuntur; officia vero ab iisdem servanda dissimulant; Christi Servatoris unam efferunt caritatem; iustitiam silent. Inde istius praedicationis exiguus fructus, qua audita profanus homo persuasionem secum fert, etiam non mutatis moribus se fore christianum, dum dicat: Credo in Christum Iesum (1)". — Verum, quid ipsorum interest fructus colligere? Non id sane propositum habent, sed illud maxime, ut auditorum **prurientes auribus** iisdem assententur; dumque templa referta videant, vacuos animos remanere patiuntur. Hac nempe de causa mentionem iniiciunt nullam de peccato, de novissimis, aliisque maxime momenti rebus, sed in eo toti sunt ut **verba placentia** effundant, tribunicia magis et profana eloquentia quam apostolica et sacra, ut clamores plaususque aucupentur, contra quos ita Hieronymus: **Docente in Ecclesia te, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: auditorum lacrimae laudes tuae sint** (2). Quo fit ut istorum conciones, quum in sacris aedibus tum extra, scenicum quendam apparatum exhibeant, omnemque speciem sanctitatis et efficaciam adimant. Hinc ab auribus populi et plurium etiam e clero migravit voluptas omnis quae a divino verbo hauritur; hinc bonis omnibus iniectae offensiones; hinc vel admodum exiguus, vel plane nullus aberrantium profectus, qui, etiamsi interdum concurrant audituri verba placentia, praesertim si magnificis illis illecti centies resonantibus **humanitatis adscensum, patriam, scientiam recentius invectam,** postquam dicendi peritum effuso prosequuti sunt plausu, templo iidem qui antea discedunt, haud eorum absimiles, qui **mirabantur, sed non convertebantur** (3).

„Volens igitur haec Sacra Congregatio, ex mandato Sanctissimi Domini Nostri, tot ac tam improbandos abusus cohibere, Episcopos omnes et eos, qui religiosis familiis institutisve ecclesiasticis praesunt tamquam supremi moderatores, compellat, ut apostolico pectore sese iisdem opponant omnique studio extirpandos curent. Memores igitur eorum, quae a SS. Concilio Tri-

(4) I. Thess I, 5. (5) Hebr. IV, 12.
(6) De Doctr. christ. IV, 6, 7.
(7) Litt. encycl. de Studiis Script. Sacr., XVIII Nov. MDCCCXCIII.

(1) Card. Bausa, Archiep. Florentin., ad iuniorem clerum, 1892.
(2) Ad Nepotian.
(3) Ex Aug. in Matth. XIX, 25.

dentino praescripta sunt (4) - **Viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere tenentur,** - in hoc negotio perquam diligenter cauteque se gerant. Si de sacerdotibus agatur suae dioecesis, impense caveant Ordinarii ne unquam iidem ad id muneris admittantur, quin **prius de vita et scientia et moribus probati fuerint** (5), hoc est nisi facto periculo aut alia opportuna ratione illos idoneos esse constiterit. Si vero de sacerdotibus res sit alienae dioecesis, neminem suggestum adscendere sinant, idque solemnioribus praesertim diebus, nisi prius ex testimonio scripto proprii Ordinarii vel religiosi Antistitis constiterit eosdem bonis moribus esse praeditos eique muneri pares. Moderatores vero sui cuiusque Ordinis, Societatis vel Congregationis religiosae neminem prorsus ex propriae disciplinae alumnis obire sinant concionatoris munus, eoque minus litterarum testimonio commendent locorum Ordinariis, nisi eiusdem perspectam habeant et morum probitatem et facultatem concionandi, uti decet. Si quem vero commendatum sibi litteris oratorem exceperint ac subinde experti cognoverint, eum in concionando a normis praesentium Litterarum discedere, cito in obsequium adigant. Quod si non audierit, a suggestu prohibeant, iis etiam, si opus fuerit, adhibitis canonicis poenis, quas res videatur postulare".

Haec praescribenda censuimus aut recolenda, mandantes ut religiose observentur, gravitate permoti succrescentis in dies mali, cui serius occurri non potest sine summo periculo. Neque enim iam res est, quemadmodum ab initio, cum disputatoribus prodeuntibus **in vestimentis ovium,** sed cum apertis infensisque inimicis, iisque domesticis, qui facto foedere cum Ecclesiae capitalibus hostibus, propositam habent fidei eversionem. Sunt hi nempe, quorum audacia adversus deductam caelo sapientiam quotidie consurgit, cuius corrigendae sibi ius arrogant, quasi esset corrupta; renovandae, quasi esset senio confecta; augendae aptandaeque saeculi placitis, progressionibus, commodis, quasi eadem non levitati paucorum, sed bono societatis esset adversa.

Hisce ausibus contra evangelicam doctrinam et ecclesiasticam traditionem nunquam satis opponetur vigilantiae aut severitatis nimium ab iis quibus commissa est sacri huius depositi custodia fidelis.

Quae igitur monita et salutaria mandata Motu hoc proprio ac certa scientia ediximus, ab universis catholici orbis quum Ordinariis tum etiam regularium Ordinum institutorumque ecclesiasticorum supremis Magistris religiosissime servanda, rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die I mensis Septembris, anno MDCCCCX, Pontificatus Nostri octavo.

PIVS PP. X

(4) Sess. V, c. 2, De reform.
(5) Conc. Trid., Sess. V, c. 2, De reform.

Ex Epistulario Redactoris

Herbert Linden et tota quinta gymnasii P... H... maximam dicunt salutem auctori fabulae pulcherrimae suis latini.

S. v. b. e. n. v. Cum „suem latinum" legissemus, tam vehementer risimus, ut magister nos oraret, ne amplius rideremus. Cum nunc demum in classe quinta simus, multae fabulae nobis graviores sunt, quam ut tam facile eas comprehendamus. Itaque cum illa fabula nobis admodum placuerit, te oramus, ut brevi aliam fabulam pro classe quinta scribas. Hanc fabulam magnopere desideramus.

Datum P... H... a. d. V. Kal. Jun. MDCCCCXI.

Qui iuventutem sibi conciliarit — ut dicunt Germani — vincet! Videamus ergo, ut Scriptor noster, quod saepius monuit Tassetius, magis magisque amicus quoque fiat scholarum. Habent sine dubio multi nostrum, quod latine vertere vel etiam ipsi conscribere possint, quod iunioribus non utile modo sit, sed delectet etiam eos eorumque nobis studiisque nostris animos conciliet. Messis, ut aiunt, exspectat messores! L.

Sententia

Eadem aut turpia sunt aut honesta: refert, quare aut quemadmodum fiant. Seneca

Varia

De cantore, qui visu nocere dicebatur

Imperio Francogallico secundo inito artificum in theatro Parisiaco musicis spectaculis dedicato in scaenam prodeuntium Parisiensibus omnium gratissimus fuit Massol, vir arte cantandi excellens, sed mire moratus, natura tristi ac recondita, asperis moribus; cuius in oculis nigris cum tetrici arderent ignes, inimici obtrectatoresque famam dissipabant ‚visu nocente esse' hominem. Et ut quibuslibet ineptiis, quamvis magnae sint, libentius creditur, sic ne Parisiis quidem deerant qui, ut erant superstitiosi, conspectum cantoris illius vitarent; maior vero pars Parisiensium incundissima et dulcissima voce eius inflammabatur et imprimis feminae studio atque amore Massolis flagrabant contemnentes exitialem illam naturam a stultis hominibus cantori imputatam. — Illo tempore Parisiis crebro agebatur fabula Halevii ‚Carolus VI. Rex' inscripta, in qua illud canticum, quod a precibus diris nomen (‚Flucharie') ducit, auditoribus praecipue probari et, quotiescunque audiebatur, clamores facere solebat. Quod carmen Massol cum cantaret primum, animo ad partium suarum rationem intento oculos convertit ad caelum superos orans, ut quas diras inimico imprecaretur adducerent ad effectum. Vix spiritus trahentes qui aderant ad cantorem animos attendebant, atque cum desiisset canere, exorta est acclamatio antea ne in his quidem aedibus saepenumero audita. At repente obmutuere plaudentes: ex alto, quod adspexerat cantor, unus ex operariis scaenariis decidit in scaenam et exanimis asportatus est. Hoc casu tristissimo, e quo omnium pectora summum accipiebant dolorem, factum est, ut aliquamdiu fabula illa non ageretur. Quae intermisso spatio cum iterum veniret in scaenam, Massol memoria ac recordatione illius calamitatis commotus in cantando carmine dira precante oculos non sursum ad laquearia, sed deorsum ad symphoniacorum sedes intendit. Sed vix conticuerat cantor, cum illorum magister nomine Habeneck, ortu Alsata, coepit aegrotare: statim domum vectus est curru; tribus diebus post excessit e vita. Quo facto nimirum fama, qua visu nocente laborare Massol ferebatur, magis magisque percrebuit: ipsi considerati quoque sapientesque homines tacuerunt propter res non infitiandas. Itaque cum tertium fabulam acturi essent cantores, theatrum spectatores non cepit, neque fieri potuit quin excluderentur sescenti. Qui erant admissi, intentissimis animis carmen illud exspectabant metu imbuti, ne denuo cui quid accideret. Non sine animi permotione, sed eodem cum effectu, quo prius auditores rapuerat, Massol cantavit id intuens cubiculum, in quo solo forte nemo inerat. Etenim hoc erat mercatoris cuiusdam iuvenis et divitis, qui parando itinere longinquo in theatrum tempore venire prohibitus erat; quo factum est, ut non prius quam cum ipsum canebatur carmen intraret aediculam suam, ex qua actu finito decessit. Non contigit illi in locum petitum pervenire: in oppidulo in finibus Galliae sito cordis repentino morbo affectus diem obiit supremum. Ex hoc tempore Massol canticum dira precans omisit cantare: postquam denique rem scaenicam pertaesus in privatam vitam concedere constituit, die 14mo m. Januarii a. 1858 Parisiensibus vale dicere in animo habuit et hunc in finem Rossinii fabulam ‚Tell' inscriptam elegit agendam. Illo die patricii primoresque imperii recentis in theatrum convenerant, ut ultimum audirent artificem discessurum. Cum autem imperator et imperatrix, ut ipsi quoque spectaculo adessent, in theatrum veherentur, nefandum illud comitis Felicis Orsinii eiusque sociorum scelus factum est, quo Napoleonis quidem vitae, quam exstingui voluerant malefici, temperatum est, sed plus centum hominès, qui fortuito prope erant, necati sunt vel mutilati. Imperator eiusque coniux, quamquam ipsi ambo leviter vulnerati erant, tamen in theatrum sese contulerunt et spectaculo usque ad finem impavidi interfuerunt, dum foris criminis auctores compre-

henduntur et corpora mortuorum avehuntur. Hoc casu atrocissimo confirmatum est fatum, quod cum actionibus Massolis erat coniunctum.

Guil. Lehmann Vratisl.
(sec. „Schles. Familienbl." Nr. 113, 26. 4. 11.)

Horti publici quanto constent

Quindecim fere anni sunt, cum in America Septentrionali exstiterunt, qui communi civium saluti providentes hortos publicos per urbes disponendos esse censerent. Cui consilio agrorum possessores omnibus initio viribus adversabantur. Metuebant enim, ne, si tantae areae domibus omnino relinquerentur vacuae, possessiones illis contiguae aliquantum pretio minuerentur. Quod quam perperam sit iudicatum, ex iis apparet, quae Georgius E. Kessler nomine virorum hortariam, ut ita dicam, rem in urbe Kansas City tractantum *) scribit in recentissimo eorum commentario annuo.

Ibi enim quamquam centies centena milia dollarorum i. e. marcarum milia plus quadringenties centena impensa sunt in hortos urbanos vel, quae Francogallis ‚boulevards' dicuntur, hortenses vias aedificandas, tamen, quemadmodum accurata quadam computatione adiuvantibus fundorum negotiatoribus inventum est, finitimorum pretia agrorum nequaquam deminuebantur, sed crescebant paulatim postremoque plus duplo augebantur. Quamquam et hic valet proverbium nullum uno ictu cecidisse quercum. Multos enim per annos acerbissimeque pugnandum erat, dum, qui urbi ipsi, qui reipublicae, qui iudiciis praeerant, propositas sibi rationes comprobarunt. Tandem vero bona triumphavit causa. Nam quindecim, ut supra dixi, post annos in illa urbe viarum hortensium quadraginta quinque milliaria i. e. chilometra erant septuaginta duo, hortorum autem publicorum centum circiter et viginti acres, ut Britannorum more loquar. Tamen, quod maximum est, non de publico praestabantur impensae, sed sumptus e ratione, quae Benefit District System vocatur, inter adiacentium fundorum possessores dividebantur. Mox nova aedificandi ratione multa in melius mutata sunt, velut ubi sordida fuerant angiporta, domus exstiterunt specie cultiores, negotiatores autem agrarii, cum pretia agrorum hortis vicinorum brevi tempore duplicari, immo etiam triplicari viderent, ipsi magistratus urbanos in re continuanda adiuverunt. Ita factum est, ut magistratus urbani, si inita via procedere volunt, non iam pecunias a possessoribus exigere cogantur. Tam multi enim ex contrario nunc petunt, ut suo sibi sumptu hortos aedificare eosque communi usui tradere liceat, ut omnibus obtemperari nullo modo possit. Utile sane ac dignum, quod nos quoque imitemur, exemplum. (Bodenreform, 1911, 13.)

Qua re homines primum ad bella gerenda inducti sint

Eae Africae partes, quae solis ardore torrentur, patria sunt formicarum et termitum. Quo fit, ut iis, qui per Dschaggarum agros iter faciunt, cotidie fere occurrant agmina praedantium formicarum nigrarum, quae aut termitum domos quaerunt aut inde suam quaeque necatam termitem secum trahentes domum remeant. Ea ex re sumpta est materia huius narratiunculae, qua Dschaggae, unde bellum ortum sit, demonstrant.

Antiquissimis temporibus homines cotidie formicas nigras videbant praetereuntes et candidas formicas vincentes victasque secum trahentes. Tum Masaii aliquando inter se dixerunt: Agitedum iam experiamur, ipsine possimus homines vincere victorumque res auferre! Et profecti cum homines invenissent, hos vicerunt multaque pecora domum duxerunt. Ac deinde homines vincere perseveraverunt. Quod cum alii vidissent, illorum prudentiam imitati ipsi quoque ad bellum proficisci aliosque vincere coeperunt. — Masaii potissimum ideo primi narrantur bella gessisse, quia omnibus ceteris hominibus sunt bellicosiores.

(Ex optimo libro, qui instar exempli esse potest: Bruno Gutmann, Dichten und Denken der Dschagganeger. Beiträge zur ostafrikanischen Volkskunde. Mit 12 Abbildungen. Leipzig 1909.) Lp.

---

*) Board of Park Commissioners

Catalogi antiquarii:

Antiquarii velim attendant titulos librorum, qui a lectoribus nostris desiderantur, ut, num venales illos habeant et quo pretio, indicare nobis possint.
Antiquariate werden um gefl. Beachtung unserer Desideratenlisten und um Einsendung von Offerten gebeten.
Lüstenöder.

H. Hugendubel, München — Cat. 55: Auswahl wertvoller u. seltener Werke (Alte Drucke, Inkunab., Elzeviers, Manuskr. etc.), num. 1—694.

G. Nauck, Berlin — Cat. 100: Varia et Rara (Wertvolle Büch., meist aus d. 16.—18. Jhrh.), num. 1—604 (Klass. Phil.. Archäol. etc. 391—456)

F. Malota, Wien — Cat. 77: Kunst und Architektur, num. 1—2416 (Antike Kunst 1078—1400)

J. Lentner, München — Münchener Bücherfreund I, 2-3: Curiosa, Sprichwörter, Studentica etc., num. 269—801.

M. Ziegert, Frankfurt a. M. — Cat. 13: Flugschriften d. 16. Jahrhund. mit Holzschnitteinfassungen von Beham, Cranach, Dürer, Holbein etc., Incunabeln, Manuskr., Reformationsschrift., num. 1—773.

Censura Librorum

Kleine Texte. Für Vorlesungen und Übungen herausgegeben von Hans Lietzmann. Bonn, A. Marcus u. E. Weber.

Series haec libellorum, quae ad sextum iam et septuagesimum pervenit numerum, a professore Lietzmann Bonnensi eo editur consilio, ut minora et veterum et recentiorum opera, quae quam difficile sit saepe conquirere nemo ignorat, quoquo scripta sint sermone, parvo pretio et a viris suae artis peritissimis edita novissimisque litterarum subsidiis instructa omnibus, qui ad ipsos fontes revocare studia sua velint, suppeditentur. Qua in re licet academicum imprimis editor spectet usum, tamen et in gymnasiorum disciplina et ubicumque opus est unicuique discentium unum ad manum esse exemplum, immo privatis etiam litterarum studiosis magnae erunt libelli utilitati. Nos quidem eos quam maxime possumus commendamus. Hi autem ad nos missi sunt fasciculi:

13. Ausgewählte Predigten II: Fünf festpredigt. Augustins in gereimt. prosa, her. v. H. Lietzmann. 1905. 16. 0.30 *M.*

Continet ex editione Maurinensi sermones 184 (In natali Domini), 199 (In epiphania Domini), 220 (In vigiliis Paschae), 228 (In die Paschae ad populum et infantes), 227 (In die Paschae ad infantes de sacramentis). Syllabae similiter sonantes cursivis quae dicuntur litteris notatae sunt.

2. Die drei ältest. Martyrologien, her. v. H. Lietzmann. 1911. 18. II. 0.40 *M.*

Insunt: Depositio Episcoporum et Martyrum a. 354, Martyrologium Carthaginiense a Mabillone a. 1682 primum editum, Martyrologium Syriacum a. 411-12 Edessae scriptum, quod editor germanice vertit brevique apparatu critico instruxit.

29-30. Res Gestae Divi Augusti, her. u. erklärt v. E. Diehl. 1910. 40. II. 1.20 *M.*

Textus (latinus eiusque versio graeca) Mommsenianam sequuntur editionem (a. 1883) nec tamen neglectis Bergkii, Hirschfeldii, Woelfflinii aliorumque lectionibus. Commentarius omnia continet ad rem ipsam scitu digna.

4. Ausgewählte Predigten I: Origines' Homilie üb. d. Prophet. Jeremias. her. v. E. Klostermann. 03. 16. 0.30 *M.*

Textui graeco ex sua Originis editione descripto auctor versionem apposuit latinam, quam ipse ex duobus mss. saec. IX et XII confecit.

Joseph Fonts, Nova Lyra. Barcinone, Guinart & Pujolar, 1910. Juvenis sacerdos Hispanus orbi litterato carmina proponit, incensum erga ecclesiam catholicam eiusque principes (ut Thomam Aquinatem. Balmesium, Leonem XIII) amorem sublimiore spiritu et elatiore orationis flumine testantia. Lectori vel mediocriter in scriptis poetarum recentiorum versato primo obtutu apparet auctorem opusculi et scientia linguae Latinae et arte versificandi institutum, nobile sibi proposuisse, quod sequeretur, exemplar — carmina dico Leonis XIII. Quae ratio inter utrumque poetam intercedat, si quis inquirere velit, in comparationem potissimum vocet Leonis carmen in sct. Constantium et Fontsii hymnum in honorem B. Petri Almató (pg. 44 sq.). Sed cum Leo optimorum tantum veterum poetarum exempla secutus in Latinitate aetatis aureae acquieverit, Fonts saepius nulla cogente necessitate novicio mori indulgens ad Latinitatem aetatis posterioris et recentioris descendit et vocabula admittit, quae sunt: deitas, blasphemia, scandalum, incendiator, medium (remedium), iocosus (gestiens), incicur, vis mentalis, carneus, adunare, placidare, radicare, glorificare, pulverare, autve (pro simplici aut) aliaque. Quibus si abstinuisset, elocutionis elegantiae magis consuluisset. Imprimis in prolegomenis prosa oratione exaratis multa insunt, quae ab emendato veterum dicendi genere abhorreant. Etiam prosodiae leges diligentius observandae erant poetae, in quas — ut exemplum afferam — in una eademque pagina (70) non minus quam ter peccatum est: tributas (i prod.), mater (a corr.), sedens (e prod.). Menda typographica enumerare supersedeo; iusto plura sunt saepiusque aut sensum aut metri rationem obscurant; velut pg. 100. claudicat versus

alcaicus: „partum excecrandum (errore typi pro exsecrandum) colendam", ubi una vocula (fortasse iam) typothetae incuria omissa esse mihi quidem videtur. — Sed desinamus iam maculas quaerere in opusculo, ubi plura nitent et potius omnia fausta precemur optimae spei iuveni, qui poeseos Latinae studium resuscitat in regione, unde iam dudum Musa Latina exsulabat. F. P.

J. Vahlen, Gesammelte philologische Schriften. I: Schriften der Wiener Zeit 1858—74. Leipzig, Teubner, 1911. VIII + 658. Pr. 14 (16.50) *M.*

Facere non possumus, quin iam nunc, paucis licet verbis, animos lectorum nostrorum ad eum convertamus librum, qui latina Vahleni opuscula continuabit quasi atque absolvet. Illa enim, ut non minore sermonis elegantia quam subtilitate iudicii insigniuntur, tantam omnibus litterarum amantibus germanica quoque scripta cognoscendi attulerunt cupiditatem, ut auctor, quamvis initio repugnans, haec quoque collecta edere haud longius dubitarit, ita vero, ut primo volumine, quae Vindobonae, altero, quae Berolini scripsit, opuscula philologa continerentur nec exciperentur, nisi quae, ut „Beiträge zu Aristoteles' Poetik" et „Laurentii Vallae Opuscula Tria", iam tum, cum in Vindobonensis academiae programmatis publicabantur, tam copiosa erant, ut, si de novo retractarentur, totum facile efficerent librum. Temporis ordo hic non est servatus, sed dissertationes eandem tractantes materiam componuntur. Alterum tamen volumen ea, quae Vahlenus in Berolinensi olim legit academia, completens sicut latina opuscula annos simpliciter sequetur editionis. Posteriora de iisdem scriptoribus opera brevibus notis significantur. P—n

Libri libellique dono accepti:

Bibliotheca Paedagogica. Verzeichn. d. bewährtest. u. neuest. Lehrmittel sowie von Werk. der Erziehungs- u. Unterrichts-Wissenschaft. 20. Ausg. 1911. K. F. Koehler, Leipzig. LXIV + 752. Gratis.

H. Muzik u. F. Perschinka, Kunst und Leben im Altertum Wien, F. Tempsky, 1909. XVI + 195. Pr. 4.40 M.

Lukian von Samosatas Sämtliche Werke. Aus d. Griech. übers. v. Dr. M. Weber. I. Bd. Leipzig, Verl. f. Literatur, Kunst u. Musik, 1910. V + 193. Pr. 3 M.

Dr. R. Gall, Lateinisches Lesebuch. Proben z. röm. Literat. der Republik u. d. erst. Kaiserzeit. I. Teil: Text. Wien u. Leipzig, Franz Deuticke, 1910. VI + 236. Pr. 2.60 (3) K.

Deutschland (Germany) Organ of the German Intercommunication Interests. *American Travellers' Edition 1911.* 112, with numerous illustrations. Düsseldorfer Verlagsanstalt A.-G. Pr. 1 M.

Sex Carmina in Certamine Poetico Hoeufftiano magna laude ornata (I. Pascoli, Ecloga XI sive Ovis Peculiaris; A. Casoli, De Regicidio Ulyssiponensi; I. A. Rocco, Aeronavis; A. d'Alès, Puellae Aurelianensi; F. X. Reuss, Diluvium; A. Zappata, Multum Demissus Homo). Amstelodamo, Io. Muller, 1909. Pgg. 16 + 10 + 12 + 26 + 14 + 17.

F T. Moltedo, Amico Monita Rebus Novis Adversanti (Opusculum addendum carminibus ao. MCMIX laudatis) Ibidem 13.

I Pascoli, Pomponia Graecina, carmen praemio aureo ornatum. Accedunt IV poemata laudata (E. San Giovanni, Oasis; A. Zappata, Cervisia; V. Ussani, Ecloga Zanclaea; A. Casoli, De Agrorum Cultura Fovenda ad Italos). Ibidem. Pgg. 23 + 22 + 18 + 16 + 11.

A. Faverzani, Comoedia, carmen magna laude ornatum. Ibidem. 14.

I. Giannuzzi, De Siciliae et Calabriae Excidio, carmen magna laude ornatum. Ib. 32.

Allgemeines Hochschultaschenbuch. Breslau: Sommer-Sem. 1911. Breslau, W. Finsterbusch. 104. Pr.?

O. Crusius, Wie studiert man klassische Philologie? München, E. Reinhardt, 1911. 57. Pr. 0,60 M.

Henri du Fais, Carmina neo-latina. Berlin-Leipzig, Curt Wigand, 1909. 25. Pr. 1,50 M.

G. Kob, Q. Horatius Flaccus im Licht des Evangeliums. Leipzig, Fr. Richter, 1893. XV + 116. Pr. 2 M.

H. Zimmern, Keilinschriften und Bibel Berlin, Reuther u. Reichard, 1903. 53, 9 Abbild. Pr. 1 M.

Idem, Zum Streit um die „Christusmythe". Ibidem 1910. 66. Pr. 1 M.

O. Koenen u. W. Eicker, Hochschulführer I. Leipzig, E. Demme, 1911. 61. Pr. 0.60 M.

G. Budde, Allgemeine und individuelle Bildung in Vergangenheit und Gegenwart Langensalza, J. Beltz, 1910. VI + 240. Pr.?

Idem, Das Gymnasium des 20. Jahrhunderts. Langensalza, H. Beyer u. Söhne, 1910. 102. Pr. 2.50 M.

G. Panconcelli-Calzia, Über die aspirierten und nichtaspirierten Verschlußlaute sowie den Frageton im Suaheli. (Sonderabdruck aus: Zeitschrift für Kolonialsprachen I (1910,1), 4.

F Palata, Nugae Metricae Carmina poetarum Bohemicorum et Germanicorum Latine refícta. H. Lüstenöder, Francofurti a. M., 1911. Pr. 1.80 M.

Libri a lectoribus desiderati:

Gedicke Fr., Liber latinus juventuti regni Hungariae accommodatus. Pressburg, Weber, 1825.

Erasmus Rot., Colloquia ed. Stallbaum. 2 voll. Lipsiae, Hinrich, 1828.

Seyffert, M., Aretalogus sive epigrammata. Brandenburg, Ad. Mueller, 1841.

Schmid, Vademecum classicum: Axiomata, proverbia etc. Augsburg, Wolff, 1857.

Epigramma

olim ad Benedictum Niese professorem missum:

Non sternutanti, natalem sed celebranti
Haec tibi vota libens: SIS BENEDICTVS! ago.

Periodica

Archäologischer Anzeiger. Beiblatt zum Jahrbuch des Archäologischen Instituts (4 fascic. in anno, 4 M). 1911, I. (12. 6. 11.): Otto Puchstein †, Reinhard Kekule von Stradonitz † — A. Schulten, Ausgrabungen in Numantia (2 Beil., 2 Abbild.) — Archäolog. Gesellsch. zu Berlin: April-Sitzung 1910 (darin: W. v. Diest, Nysa am Maeander), Mai-Sitz. 1910 (darin: H. Pomtow, Die Statuen des Kleobis u. Biton in Delphi; A. Frickenhaus, Das Heraion von Tiryns; A. Trendelenburg, Der Dioskurentempel in Neapel) — Verkäufliche Gipsabgüsse — Zu den Institutsnachrichten — Bibliographie.

Juventus. II, 19: Gallia luget — Venusinus, De pietate antiquorum — De Solone et Croeso — Verba publica — Geographica — Aeronautica — Gymnica — Nuntii recentissimi — Danczer, Quo vadis? (VII) — Salse dicta — Aenigmata — Epistolia officialia.

Unterricht und Sprechmaschine. (W. Violet, Stuttgart, 6 fasc. in anno, 1,20 M, III, 3: A Reko, Programmfragen — E. Fischer, Die Ausbildung von Berufssängern durch die Sprechmaschine — Physikalische Experimente mit Sprechmaschinen — E. Surkamp, Über die Verwendung des Aufnahme-Phonographen beim Sprachstudium — Die Sprechmaschine im Dienst des Unterrichts — Rundschau — Violets Sprechmaschinen „Echo".

Aenigmata num. VII! soluta:

1) gravis, ravis, avis, vis, is, s 2) passer, asser 3) frons

Omnia solverunt: Peltenburg, Draheim, Meunier, Baar, Malyniak, Palata, Lehmann, Bodenstein, Sjövall, Kiock, Ferguson, Betke,
duo: Roesch, Nordström, van der Tak, Hertel, Lesche,

e quibus praemium accepit
Kiock Vratislaviensis.

Aenigmata

composuit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

1

Litterae: A B E M M O R R
S S U U U U V V

in areis quadrati ita ponantur, ut, seu dextrorsum seu deorsum legis quamque seriem, eadem verba formentur.

2

Sit breve mi caput: utilis, at modo bestia parva
Exemplum semper sedulitatis eram.
Sit longum caput: antiquis ego, bestia magna,
Temporibus divo cultus honore fui.

3

Insula sum, prisci et praeclari vatis origo;
Eximii pretii munera larga tuli.
Sed paemultima si mutatur littera, quondam
Princeps audaci crimine clarus eram.

Ex horum aenigmatum solutoribus unus sortitus accipiet libellum
F. Palata, Nugae Metricae. Francofurti a. M. 1911. Pr. 1.80 M.

Pro solutis aenigmatis si quis non acceperit praemium, scribito sine mora ad editorem!

Sententiarum num. III° propositarum

versiones ad nos missae sunt tres, inter quas facta sortitione praemium adiudicavimus
— Professori Dr. H. Geist Darmstadiensi. —

Ex Frenssenii Orationibus de Rebus Divinis Rure Habitis:

Hammoniae cum abhinc paucos dies commorarer, ad tabernam librariam accedens ampliorem, ubi, qui novi essent libri, specularer, ecce de libris plus viginti, qui prostabant modo editi, quinque vel sex in morte, re obscurissima, versantes repperi. Quibus inscripta cum non satis teneam, tamen recordor unum fuisse, in quo de ipso ageretur moriendo, alterum, in quem, quibus rationibus manere animos post mortem aut contra interire eos morte confirmatur, eae collatae erant et collectae, tertio de mortuorum vita beata aeternaque multa esse diligenter prodita. Reliqui similes. Ac multos quotannis de morte et mortuorum vita libellos et commentariola emitti ab hominibus illius rei studiosis didici. Qui libri quod emittuntur plurimi, inde, cum illi et auctorum et legentium studio nitantur, satis elucet, quantopere ea re homines alliciantur atque teneantur. Allicimur autem ea nos homines nati, quod et angimur morte et divinamus ac perspicimus ipsum mundi opificem illud nobis quasi aenigma quoddam proposuisse et digito monstrantem, quis sit soluturus, quaerere. Et inest penitus in nobis et in animis inhaeret conscientia quaedam vitae, quam post mortem simus acturi, et multorum magnorumque miraculorum, quae visuri simus.

G.

Sententiae latine vertendae:

Rosa, die Rose.

Das ist das erste Wort im Lateinischen. Und dieses erste Wort des Lateinischen, das aus grosser Höhe und grosser Ferne in das Schweigen herabfällt, rührt, bezaubert und erhebt die kleinen Buben.

Es beginnt in ihnen zu dämmern, dass sie zu einer Art höherer Weihe auserlesen sind. Sie dringen in das Geheimnis des heiligen Haines ein. Sie wagen sich in den Schrecken der verbotenen Umfriedung. Sie dringen in das Allerheiligste des erhabenen Tempels, dessen Bronzepforten von der Sphinx bewacht sind. Sie empfinden plötzlich eine gewaltige Achtung vor sich selbst und ein wenig Mitleid mit den andern.

Ihre Mamas können nicht Latein. Die Frauen können nicht Latein. Man lehrt die Mädchen nicht Latein. Das Lateinische ist eine geheime Sprache. Das Lateinische ist eine sehr alte Sprache und erinnert an andere sehr alte Sachen, wie die Häuser mit spitzen Ziegeldächern, die Leute in schwarzen Talaren, die Bücher in Pergamentband. Das Lateinische ist eine tote Sprache. An den Kirchensteinen, auf den Apothekergefässen, auf den Pflanzenetiketten sind lateinische Aufschriften.

Es geht etwas vor. Ein Abstand tut sich auf, um sie ein für allemal von dem Geschwätz der unberufenen Seelen zu trennen. Sie werden Wesen höherer Art. Sie sind nicht mehr kleine Fratzen ohne Ansehen und Würde. Sie sind nicht mehr unbedeutende Knirpse, die man mit ihren Kindermädchen zum Essen schickt, wenn Gesellschaft im Hause ist. Ihre Tauglichkeit ist erkannt, ihr Geschlecht geweiht. Sie sind würdig. Man kann sie in das Geheimnis der Dinge einführen und man führt sie ein. Man lehrt sie Latein.

Rosa, die Rose.

(Ph. Monnier, Blaise der Gymnasiast München, A. Langen. Pr. 4 M.)

Huic penso qui satisfecerit optime, gratis accipiet librum
— C. Val. Vonck, Lectionum Latinarum II. II. Traiecti Vibtor. 1745. —
Versiones intra sexaginta dies huc pervenire debebunt.

Hodierno numero Dr. A. Hartl Lentiensis schedulam adiecit de lingua sua commenticia, quam Lingva Perfect dicit, tractantem. Peto, ut lectores bene attendant illam quidque sentiant de conatu, hisce foliis palam exponant. Red.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), *pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,* Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., Eschersheimer Landstrasse 112.

Nomina et domicilia
eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Krakow — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prof. Semin, Aquila (It.) — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach (Bay.) — J. Tasset, Tonnerre — C. Thieme, Parochus, Calbeck — N. Woll, Sacerdos O. S. B., Aachen — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Typographus: Carolus Wiechert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus VIII: Numerus XII

— Procurant negotia —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57–59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
in Russia: K. L. Ricker, St Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. VIII Francofurti a. M., Mense Octobri MCMXI Num. XII

De Ovidiano Codice Gissensi

scripsit

Henricus Roese,

cand. phil., seminarii Gissensis sodalis.

Invenitur in bibliotheca universitatis Gissensis, olim Senckenbergiana, codex saec. XIV. chartaceus quidam, quo in quinquaginta octo foliis, quae possessor libri numeris LVII consignavit, cum folium vicesimum numerare omitteret, Ovidi Heroidum epistulae omnes continentur praeter Cydippae epistulam, cuius nihil nisi sex disticha servata sunt, quibus quattuor nullo alio libro tradita disticha sunt adiecta. Quem codicem Gissensem (bibl. acad. LXVI) descripserunt viri docti Jo. Val. Adrian (Prof. Publ. Ord. et Bibliothecae Acad. Primus Praefectus) in Catalogo Codicum Manuscriptorum Bibliothecae Academiae Gissensis (Francofurti ad Moenum 1840) p. 20 sequ. et F. W. Otto, qui nonnullas lectiones epistulae primae comparavit cum lectionibus, quae inveniuntur in Burmanni editione, in Commentariis Criticis in Codices Bibl. Acad. Giss. (Graecos et Latinos, Philologicos et medii aevi Historicos et Geographicos, Gissae 1842) p. 78 et Henricus Stephanus Sedlmayer in Prolegomenis Criticis ad Heroides Ovidianas (Vindobonae 1878) p. 21. Quod Sedlmayer notavit in libro suo de hoc codice, suppletum est a Guil. Peters in Observationibus ad P. Ovidii Nasonis Heroidum Epistulas (Lipsiae 1882) p. 8, n. 2, qui in prima pagina codicis a manu recente scriptum: ‚Ex bibliotheca menteliana' et cum totius libri tum singularum epistularum inscriptiones subscriptionesque omissas esse addidit. Equidem adicere possum, quae in primae paginae margine leguntur omnia: Ex bibliotheca menteliana.

J. mss. codd.

Ovidii epistole Heroidum.

Valde doleo, quod de illa bibliotheca Menteliana nihil comperire potui. Neque autem dubito, quin aliquis virorum doctorum benevolentissimorumque lectorum, qui Scriptorem Latinum inspiciant, me de hac re possit certiorem facere. Atque Mentelianum quendam codicem, quem iam Heinsius in Burmanni edit. tom. I p. 30 laudavit, eundem librum fuisse atque hunc codicem Gissensem censeo. Etiam Jahn in editionis (Lipsiae 1828) notis affert lectiones codicis, quem vocat Mentelianum. Notum est hunc codicem Giss. olim in bibliotheca Senckenbergii fuisse, qui totam bibliothecam suam Academicae bibliothecae donavit. Sed nihil umquam dixit ille vir, unde et a quibus codices suos receperit. Atque etiam huius codicis primae paginae nihil nisi Senckenbergii signum (num. 133) impressum est.

Lectiones huius cod. nonnullas iam Welcker vir doctissimus dignas putavit, quas in medium proferret (cf. Welcker, kleine Schriften II: Sappho von einem herrschenden Vorurteil befreyt p. 117, n.). Sed illum non diligenter codicem legisse omnesque fere

lectiones falso exscripsisse commemorare non praetereamе.

Tamen Dilthey in libro de Callimachi Cydippa (Lipsiae 1863, p. 60, n.) Welckerum huic vili codici nimium tribuisse censuit. Sedlmayer autem Wigandiana collatione, quam Loers in editione sua ediderat, usus in proll. de hoc codice dixit p. 51:

‚Hic liber, ni omnia fallunt, redit ad exemplar antiquius quam ceteri omnes‘ et p 52: ‚verum alii insuper exstant loci, quibus 6 vincit Parisimum‘ et p. 53: ‚fuit aliquot locis purior quam P‘.

Postquam tamen Peters, qui ipse cod. Giss. oculis inspexit, in observ. p. 8, n. illam collationem miratus incredibilem Wigandii neglegentiam damnavit et Sedlmayer collationem viri docti Guil. Clemm, prof. Giss., recepit, ipse illud prius iudicium correxit in edit. p. IX. Sed cod. Giss. illos versus ep. II. 18, 19 solum servavisse id, quod Sedlmayerum etiam tum credidisse e verbis ipsius apparet, et Peters l. l. p. 13 et Leo (Deutsche Literaturzeitung 1887, p. 87) sine ulla causa reiecerunt. Sed esse certissime Ovidii illos versus et Petersium, qui in obs. hunc codicem nullius esse pretii dixit, non omnino recte iudicavisse ipse in dissertatione me ostentaturum esse spero. Sed postquam multas notas inter lineas et in marginibus scriptas oculis inspexi, et spem deceptam esse totam neque ullius esse pretii permulta verba, quae addiderit incultus obscurusque quidam scriba, ipse Gissensis equidem confiteor verbis invitis.

Narratiunculas Polonicas

latine vertit

Lad. Lud. Podobinski.

I

Hedviges Chrzaszczewska:

Fabula de ciconia

Mundo creato Deus universa ad Se convocavit animalia atque eis, ut Sibi servirent, imperavit.

Ciconiae dixit:

— „Magnas alas tibi dedi, dedi robur virium. Cape hunc saccum et fer eum per aera, super montes, silvas et maria ad magnam usque voraginem, quam ad extremum videris. Ibi sacco reiecto ad Me revertes. Haec autem tibi praecipio: Quamvis laxandi ac solvendi sacci maximo feraris studio, noli id facere. Ne hoc feceris! Memento! nam magnum inde hominibus exoriatur malum!“

Ciconia valido rostro saccum cepit, sublime petiit et volat. Unum mare, alterum transmisit, unos, alteros, plures montes, praetervolavit silvas et prata, illa autem vorago nusquam conspicitur, nondum oculis occurrit.

Ciconia se defatigavit, quamquam, si vera fateri volumus, saccus minime ei erat oneri, iussu enim Dei tamquam pluma levis erat. Sed ciconiam ingens cognoscendi, quid sacco inesset, cupiditas vehementer incitabat: Quam ob rem saccus ferendus curque in voraginem remittendus?

Deinde sic secum reputat:

— „In terram devolabo, ut paulisper conquiescam.“

Quod quidem fecit. Saccum humi deponit, pedes mutat, acquiescit et iterum iterumque oculos in saccum ex obliquo convertit. Quid intus esse potest?

Certe aliquid, quod vivit: saccus enim movetur, incurvatur, distenditur. Quid? si nonnihil scindam atque introspiciam . . . . .

— Non licet, Deus vetuit.

Arripuit ciconia saccum et in altum alarum ope est enisa. Sed nondum se satis refecisse videtur, saccus enim sua mole eam premere incipit, ciconia autem mirum quantum ad cognoscendi sacci studium fertur.

„Inspiciendum, an non?“ — cogitat.

„Deus saccum aperire me vetuit, sed nonnihil scindere non sum vetita. Scissura non nocebit, nihil mali afferet.“

Praeterea nescio quam vocem audire videtur: „Inspice, inspicito!“

Jam sibi, quin saccum solvat, temperare nequit neque se continuit. Humum devolavit et rostro funiculi nodum sursum molita est.

Quae vix fecerat, cum repente funis resiluit, ex sacco autem viperae, an-

gues, bufones, ranae, angues fragiles et cetera omnis generis reptilia excurrere coeperunt.

Ex vinculis se expediverunt et in omnes partes discucurrerunt!

Ciconia fugientes persequitur; unum, alterum captat inque saccum immittit, sed reptilia ex rostro elabuntur ac fugiunt: unum cepit, alterum interea effugit.

Hoc modo omnia quoquoversus sunt dissipata: in foveas, sub lapides se abdiderunt, in rimas irrepserunt.

Vero Dei timore affecta primumque in sua vita timore perculsa est ciconia. Immobilis longis stat ales pedibus tamquam arbor. Repente vocem audit:

— „Quomodo mandatum es exsecuta?"

Erubuit ciconia ita, ut rubor in rostro ac pedibus appareret.

Tamen paulo post se collegit seque excusare incipit: „Gravis erat saccus. Reptilia movebantur . . ." Aliter atque aliter dicit. Una excusatio mendacior quam altera.

Silentio a Domino audita est ciconia. Tandem Deus dixit:

— „Imperio Meo non obtemperavisti, insuper, cum te excusares, mentita es. Culpam poena premit comes. Vola igitur et quaere perpetuo reptilia, quae dimisisti. Reptilia tuus erunt cibus. Quoniam autem voce tibi praebita ad fraudandum ac mentiendum usa es, adimo tibi eam in perpetuum. Et omni tempore hunc ruborem retinebis."

Hanc agrestes narrant de ciconia fabulam.

II

De longe laboriosissimo rege

Cmetones vici cuiusdam supplicem petitionis libellum regi Sigismundo Augusto*) oblaturi erant. Summa igitur ope enitebantur, ut apte componerent illum, etsi, quo honoris nomine rex appellandus esset, maxima afficiebantur difficultate. Erant enim rustici, qui nec ipsum regem nec reginam umquam viderant. Dum animo anguntur viresque ingenii ad id excogitandum bene contendunt, cmeto quidam: „Appellemus", inquit, „regem non aliter ac si probum virum appellaturi simus." Hac de re diu consultant: alii regem longe ditissimum, alii longe potentissimum appellari volebant, sed nec divitiae nec potentia optimum, homini autem convenientissimum attributum esse videbatur. Tandem unus ex eis: „Appellemus eum", inquit, „longe laboriosissimum; dominus enim noster vere dignus est, qui longe laboriosissimus appelletur". Cui quidem consilio cuncti paruerunt; petitionis igitur libellum „Ad longe laboriosissimum regem nostrum" inscriptum unus de eis Cracoviam rettulit. Cum rex proceribus ac senatoribus praesentibus libelli sibi traditi inscriptionem perlegisset, vehementer gavisus est, quamquam proceres regem laesum esse arbitrabantur. Sed rex: „Non impie," inquit, „fecerunt subditi nostri, qui me hoc modo appellaverunt. Cancellarie, satisfac petentibus idque celeriter. Profecto nullus rex eodem umquam honore quo ego hodie auctus est".

Qui titulus Sigismundo Augusto merito debebatur, quia vere omnia regis munia diligentissime obire consuerat. Nulla imbecillae valetudinis suae ratione habita in conventum ordinum provincialium frequens veniebat; aegrotus quoque se cum lecto in locum conventus inferre iubebat aut senatores legatosque, qui sibi, de qua re consultaretur quidque legatis placuisset, renuntiarent, ad se evocabat. Praeterea cum amplissimum Polono-Lituanicum regnum, ut gravis momenti negotia expediret nec non lites controversiasque componeret, peragraret, nec valetudini nec viribus suis parcebat.

III

Henricus Wernic:

— Amor fraternus —

Ubi nunc Hierosolyma, agri olim duorum fratrum erant. Messe peracta fratres mergites in duas aequales diviserunt partes et in agro reliquerunt. Sed noctu alter eorum sic secum reputat: „Sum solus, at fratri uxor est ac liberi. Iniquum esset, si tantum fru-

*) Sigismundus II Augustus, Polonorum rex, Jagellonum ultimus, Sigismundi I filius unicus, regnavit ab a. 1548 ad 1572. 52 annos natus diem supremum obiit.

menti haberem, atque ille." Surrexit e lectulo, in agrum se contulit et . . . . aliquot suas mergites fraternis adiecit. „Coniectura non prospiciet, quae feci; nam, si coniceret, accipere nollet." Primo autem mane alter frater experrectus est et sic cum animo suo reputat: „Frater meus est me natu minor, nemo ei in operibus conficiendis adest; iniquum esset, si ex agris aequos haberemus fructus." Surrexit igitur ipse, in agrum se contulit et . . . . aliquot mergites fratris acervo adiecit. „Coniectura non providebit, quae feci" — inquit. „Aliter abnueret mihi." Postero die uterque in agrum venerunt. Ubi suas partes aequas conspexerunt, magnopere sunt mirati. Nocte, quae secuta est, idem fecerunt, sed, quoniam cotidie totidem alter alteri mergites adiciebant, acervi non mutabantur. Tandem tertia nocte in agro eodem ipso tempore, quo mergites manibus portabant, sibi occurrerunt. Nunc intellexerunt, quam ob rem utriusque partes aequae essent. Reiecerunt mergites atque alter alterum suaviter sunt amplexati. Eodem autem loco, quo duo fratres hoc eximium fraterni amoris specimen dederant, templum posteriore tempore aedificatum est.

Nicolai Vernulaei

De Peregrinatione

in Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam
dissertatio

Oratio III: Galli Oratoris

Miror vehementer sane, et haec hodie concertatio non parum me movet. Dubitarene potest aliquis, quam in provinciam potissimum sit peregrinandum? Posita est in Europae meditullio Gallia. Quamobrem? Ut omnes Europae populi in illam, velut in centrum suum, aliquando decurrant. Gallia terrarum est nobilissima, humanae felicitatis epitome, deliciarum omnium et elegantiarum paradisus. Gallia mundi ocellus est et gemma, Gallia serenantis fortunae domicilium et regiam obtinet, nullis aut paucissimis incommodatibus afflicta. Quamobrem? Ut illam tamquam optimam mundi partem exteri omnes perlustrent. Gallia bonorum omnium fertilis est nec apud alios tam rarum carumque aliquid invenitur, quod Gallis domesticum non sit et commune. Quamobrem? Ut tot in Gallia hominibus, cum indigenis, tum advenis, nihil desit. In Gallia nulla solitudo, omnia itinera, omnes viae aedificiis, domibus, arcibus, pagis, oppidis, urbibus sunt plenae. Caelum ipsum salubre est, benignum et temperatum. Quamobrem? Ut in Galliam nullo negotio proficisci, in Gallia sine damno remanere peregrini possint. Ita provida instituisse Natura videtur, ut cum ceteras videre provincias utilissimum sit, tum Galliam perlustrare potissimum atque in ea aliquo tempore sedem figere omnes vellent. Et vero cum allicere detinereque peregrinantes iucunditas imprimis soleat, ubi obsecro maior esse quam in Gallia potest? Tota Gallia urbs una in regiones et vias varias distincta videtur: vix aliquid ex oculis elabitur et alia decem circumspicienti comparent. Sub Henrico Secundo, cum paroeciarum iniretur numerus, supra viginti quattuor milia octingentae viginti septem sunt inventae, quibus nec Pictiones nec Burgundiones accensebantur. Cogitate vos sub tot tectorum myriadibus quantum tandem hominum degit! Nolo tamen populos aut urbes aut arces hodie numerare. Quattuor sunt Galliae magnetes, inquit Boterus, frumentum, vinum, canabis, sal, quae extraneorum attrahere pecuniam solent. Norunt istas tot circumiacentium provinciarum mercatores: at vero morum elegantia, humanitas, fortitudo et eruditio virtutes sunt Gallorum, quae ita exterorum animos percellunt, ut paene barbaros se putent, si Galliam nullo umquam tempore perlustrarint. Quidquid uspiam in moribus est elegantiarum, quidquid honesti cultus, quidquid humanitatis, id totum est a Gallis. Habent indolem ad speciem virilis elegantiae factam; talis est oris intrepidi habitus, talis modus et gestus corporis, ut nihil decere magis videatur. Vestibus suis venustissime componuntur; cum salutant, singulari quodam artificio ita corpus inflectunt, ut omnem simul hu-

manitatem quasi promittant. Prompta sunt membra omnia et habili decore ad quidvis idonea. In iis magna et hilaris iocandi facultas, in iis grata et facilis eloquentia, quam qui audit, non tam in praecordiis quam summo in ore natam arbitratur. Quid de ceteris virtutibus dicam? Tota Gallia quoddam est humanitatis templum. Sunt enim hospitales et candido simplicique virtutis amore peregrinos excipiunt. Si quid in illis eximium sit, sine invidia mirantur, si cuiuspiam virtus augeri mereatur, gaudent sua illum fortuna decorare. Sunt affabiles, sunt comes, sunt familiares et haec virtutum singularium officia grato artificio frontis explicatae et oculorum clementer vibratorum et sermonis blanditiis designant. Taceo de fide, de constantia, de religione, de iustitia, notissimae enim sunt toto orbe Gallorum virtutes. Innata quadam libertate feruntur, qua nunc iocantur securius, nunc titulos ostentant liberius, nunc otium aut tumultum ferunt impatientius. Omnes in adolescentia ad humanitatem nati, in senectute ad prudentiam facti videntur. Qui amplioris sunt fortunae, magnam imperii sui patientiam et demissam erga se plebis reverentiam experiuntur: ipsi vero ingenti amore et prompto obsequio regiam maiestatem honorant. Vultis verbo uno omnia dicam? Gallorum virtutes verae Gallicae, hoc est heroicae sunt. Animata virtus Gallus est. Et quemadmodum virtus libero in animo habitat, ita libertatis et Gallorum idem est servitute depulsa domicilium. Unde fit, ut, si Bodino credamus, cum primum peregrini servi in Galliae fines penetrarunt, eodem paene temporis puncto liberi fiant. Qui nunc igitur sunt, qui humanitatem addiscere et mores cum ad virtutum normam formare tum ad civilitatem, motum gestumque decentem componere desiderant? Eant, eant in Galliam et ad Gallorum similitudinem totos sese transferant, non errore ridiculo, sed honesta aemulatione. Immo qui singularem in omni disciplinarum genere eruditionem amant, apud Gallos acquirant. Tot apud eos illustrissimae et florentissimae sunt academiae, in quibus qui exteri agunt, sibi in ipso sapientiae domicilio versari videntur. Quid imprimis de Parisiensi, illa Europae academiarum matre, dicam? Virtutis et eruditionis officina semper fuit, cuius hoc elogium ad immortalem eius gloriam memoriamque sempiternam iam pridem omnium sermone pervulgatum est: Studium Pariense fundamentum est ecclesiae. Quid de Tolosana, Bituricensi, Aurelianensi, Andegavensi, Pictaviensi, Burdigalensi, Montpelirensi, Rhemensi, Avenionensi, Nemecensi, Cadomensi, quid de aliis? Tanta profecto ex iis omnibus eruditionis ubertas hactenus profluxit et tantus exstitit doctissimorum numerus virorum, ut, quidquid literae habent hodie, quod sit elegans, tersum, politum ac perfectum, id omne in Gallia tantum effloruisse videatur. Quisquis a Sarbona laurum sacram accepit, theologus est perfectus. Quanti vero ac quam illustres sint iurisconsulti, testes sunt tot florentissimae regni curiae, in quibus cum doctiores prudentioresque causarum patroni et senatores esse non possint, tum ii omnes ex Gallicis academis prodierunt. Galli ipsi ad omnia disciplinarum momenta prompti, parati, versatiles sunt, ac semel, quidquid vel visum est vel auditum, illico apud eorum ingenia omnem deponit et amittit novitatem. Quippe illis ac nullis aliis vigorem igneum maturamque celeritatem natura dedit; quoquo incubuere, felicissime se dant, ocissime proficiunt. Gnaviter (praeter artes, mercaturam et arma) literas, eruditionem, subtilitatem, candorem, eloquentiam exercent. Sunt illustribus orti familiis, qui noctes ac dies chartis adhaerent nunquamque non musarum sacris operantur; sunt, qui cum omnium stupore de quacumque re in medium prolata ex tempore, expeditissime, nulla praevia meditatione, methodo admiranda per horas aliquot aut facundissime dicunt, aut subtilissime disputant. An non cum eiusmodi literatissimis hominibus versari eorumque consuetudine uti et colloquio frui est veram ad eruditionis culmen viam tenere? Nolo veterem illam Gallorum gloriam hic repetere — sciunt omnes

Lucium Plotium Gallum teste Suetonio primum Romae latine docere coepisse, tanta laude, ut capere concurrentes locus non posset, Marcum vero Antonium Gniphonem summi ingenii ac memoriae singularis virum nationeque Gallum, tanta quoque nominis sui celebritate famaque eloquentiae praecepta Romae tradidisse, ut eius scholam viri clarissimi amplissimique senatores atque ipse tum praetor Marcus Tullius Cicero frequentarent, adeo ut dicere vere affirmareque possim numquam tantum futurum fuisse Ciceronem oratorem, nisi Galli unius fuisset discipulus oratoris. Ipsa haec nostra tempora testantur, quod si quis paene balbus et infans et rudis in Galliam proficiscatur, cum exacto nondum biennio lingua politum, moribus venustum, mente versatissimum redire. Immo, si quem hodie prompte loquentem ac gratiosum intuemur, illico peregrinatum illum in Galliis fuisse et Francicam industriam sapere iudicamus. Enimvero, etsi tantus doctrinae fructus reportari ex Gallia non posset, tamen adhuc in Galliam propter linguam peregrinandum esset. Illa omnium scientiarum est capax, elegans, lenis, suavis. Illa tantam verborum copiam et venustatem habet, ut cum ea nec cognata Graeca nec mater Latina nec sorores Italica et Hispanica contendere ullo modo possint. Illa est, ex qua sola, si reliquae omnes interiissent, disciplinae et artes denuo possent instaurari. In hoc Belgio nostro, nonne Gallicae linguae quam vernaculae maior est usus? Ita illam suo tempore Carolus V. Imperator amabat, ut in eius aula esset familiarissima. Ita illam quicumque hodie et quarumcumque fere nationum nobiles, ut de ceteris nihil dicam, colunt, ut, qui Gallice non loquitur, vix nobilis esse videatur. Circumduxerunt vos, qui ante me dixerunt, per nobilissimas regionum suarum urbes, ut ad peregrinandum invitarent, ego Franciae urbes hic nec numero nec iacto. Si de amoenitate ageretur, nominarem Montempessulanum, studii medicinae sedem, qua nihil est amoenius salubriusque, si de antiquitatibus cognoscendis, proponerem vobis Nemausam, quae urbs, quemadmodum est spectatissima, ita propter palatium, amphitheatrum, delubrum Vestae, fontem cognominem et olim celebrem, rudera fragmentaque pulchritudinis admirandae, quae cum integris regum aedificiis certant, atque alia venerandae antiquitatis monumenta hoc tempore est famosissima, si de divitiis, Lugdunum vos vocarem, quod aliquando Franciae regi, cum necessitas esset, milliones septem dedit et qua in urbe gloriosa illa ara fuit, ad quam olim rhetores certabant. Sed lateant illae, lateant Massilia, Rotomagum, Valentia, Vienna, Aureliae, lateant omnes et pro omnibus una Parisiorum Lutetia nominetur. Una in urbe hac videre regnum integrum potest. Unde cum Carolus V. Imperator iam audito de ceteris urbibus iudicio, quid de Lutetia sentiret, a Francisco I. rege sciscitaretur. Eam, inquit rex, non urbibus, sed propter amplitudinem, populi frequentiam, rerum omnium ingentem vim provinciis accenseo. Nimirum est quoddam mundi et divitiarum omnium compendium Lutetia, in qua Christophorus, Wirtembergicus dux, non minus hominum esse, quam in universo agro Wirtembergico affirmabat. Urbem an orbem appellent paene ignorant, qui vident, quod autem in ea urbe inveniant, quidquid optare possent in orbe, vehementer admirantur. Quamquam quoniam ita peregrinari volunt aliqui, ac meo quidem iudicio perquam optime, ut rerumpublicarum cognitis apud exteros formis rempublicam ipsi suam reversi administrent, unde obsecro redire quispiam politicus maior quam ex Francia potest? Tam multae summae ac sine provocatione in hoc regno curiae sunt, Tolosana, Gratianopolitana, Burdigalensis, Aquensis, Divionensis, Rotomagensis, Rhedonensis, quas qui praesentes considerant, omnem iustitae administrandae rationem magno suo fructu perdiscunt, et illa curiarum omnium prima Parisiensis, illa parium cura et parlamentum vel sola, quae susceptae in Galliam peregrinationis sit scopus, dignissima est. Nam, quemadmodum Gallia est Europae lumen et Lutetia Parisiorum Galliae oculus, ita

supremi parlamenti curia Lutetiae est pupilla. Est, inquam, illustrissima maiestatis Galliae regum effigies, senatus totius mundi amplissimus et augustissimus, innocentiae custos, aequi et iniqui iudex, principum et regum arbiter. Quippe ad hoc parlamentum tamquam ad Themidis templum reges olim et principes alii concurrebant et suas ad eius iudicium controversias deferebant. Hic prudentiam, quicumque peregrinantur, addiscunt aut nullibi terrarum prudentiam inveniunt. Hic omnes politicorum tabulas explicatas vident; hic tamquam ad prudentiae cotem ingenium et industriam suam acuunt; hic tamquam in eloquentiae foro novos Demosthenes et Tullios facundissimos avidis semper animis audiunt et audiendo ad quandam similitudinem sese transformant. Nullibi fere terrarum tantus est regum amor, quantus in Galliae regno. Aut hic vera aut nullibi monarchia est. Pati regnantis imperium nemo recusat, immo, quantum regi liceat, nefas est in Francia dubitare. Et quod amplius mirentur omnes, ubi vera monarchia est, ibi est vera libertas. Non hoc iam dicam Gallorum gentem armis esse strenuissimam et equestri certamine potissimum optimam; nemo enim id ignorat et tot victoriarum monumenta testantur. Unde, si quis vel armorum tantum causa peregrinari in Galliam vellet, hic tot fere Martes, quot Gallos inveniret, quorum manus ad gladium sunt factae, quorum mentes solertiam et dexteritatem innatam habent, quorum animus summa fiducia semper est plenus. Nihil, audebo dicere, nihil ad hominis cuiuscumque gloriam, perfectionem, utilitatem optari vel excogitari potest, quod addiscere in Gallia peregrinantes ac sibi comparare non possint. Ite in Hispaniam: veniunt in Galliam Hispani; ite in Italiam: habent Italia, quod in Gallia perdiscant; ite in Germaniam: plenae hic sunt Germanis academiae. Galliam autem perlustrate, si lubet: universum in ea fere mundum videbitis, et quidquid quaerere alibi magno labore possetis, id totum nullo fere negotio in Gallia invenietis. Dixi.

Galli Franci mores cum eius laude:

Gallus seu Francus toto notissimus orbe
Foedere, iustitia, religione, fide.
Maternae cultor linguae, cultor peregrinae,
Grandiloquus, constans propositique tenax,
Militia egregius, generoso stemmate clarus,
Corpore et ingenio vividus ac vegetus.
Dissimulat, simulat, cum tempus postulat aut res,
Et connivendo plurima cautus agit.

Magistri et discipuli grammaticus de peculiari usu nominis substantivi dialogus

(D. Th. Elsaesser, Linguam discito lingua. Roulers, Jules de Meester, 1910. Pr. 4.50 frc.)

M. Apud Ciceronem inveni: „Villa abundat porco, hoedo, agno, gallina, lacte, caseo, melle“; et apud Caesarem: „Leporem et anserem gustare fas non putant“. — Nonne mirum videtur, Valentine, quod uterque scriptor in his rebus pro plurali utitur singulari?

V. Mirum quippe est; sed Romani multa nomina, quae ad animalia, gignentia, inanima pertinent, sensu collectivo singulariter usurpare solebant, v. g. T r i t i c u m, f a b a m, l e n t e m, r a p u m serere. F a b a, g l a n d e, p i s c e vescuntur. Pythagorei f a b a abstinuerunt. Ciceris catinus (un plat de pis chiches).

N u x, u v a, p o m u m etc. secundas ornabant mensas. In r o s a et v i o l a potare, dormire. Multa f r a x i n u s, multa p o p u l u s, multa r o s a, multa c a n i s (beaucoup de frênes, de peupliers, de chiens). A e s alienum solvere (des dettes). Multa et lauta s u p e l l e x. T e g u l a publice praebita est. Lenta p r u n a aliquid decoquere. Parant equos, famulos, v e s t e m egregiam.

Belli a p p a r a t u occupatum esse (les préparatifs). Urbs ipsa strepebat apparatu belli. Apparatus ingens belli. Curam intendere in belli apparatum. Belli apparatum non differre. I n s t r u m e n t u m villae (matériel), instrumentum rusticum, instrumentum venatorium (équipage de chasse), militare (bagages). Omne instrumentum diripuit.

Quod autem ex ferro est factum, appellatur: f e r r a m e n t u m, f e r r a m e n t a.

M. Estne hoc latinum: Instrumentum autem eius sceleris erat Cajus?

V. **Instrumentum** de solis rebus dicitur; cum de hominibus agitur, vocabulis utimur **minister, adjutor**: sceleris minister.

M. Licetne dicere: pretiosis vestibus se induere?

V. Optimae latinitatis auctores singulari utuntur: pretiosa veste se induere; scriptores tamen aetate posteriores etiam plurali: pretiosis vestibus se induere; in rosis dormire etc.

Singulariter autem semper usurpantur **indoles** et **scientia**, v. g. Puer praeclara indole. Antiochus ingenio scientiaque putatur excellere.

M. Quid significant **indoles** et **scientia**?

V. Illud gallice significat **dispositions intellectuelles**; puer praeclara indole; hoc significat id quod scio, summam rerum, quas didici, nunquam vero id quod disco.

Itaque non est latinum: Operam dat scientiae juris. Nos docet scientiam philosophiae. Docemur omne genus scientiarum. Latinum est: Operam dat **doctrinae** seu **disciplinae** juris, arti medicinae, his doctrinis, variis disciplinis seu artibus. Cajus tradit disciplinam juris. Illa doctrina maxime delector.

M. Estne hoc emendatum, Albane: Corpus parum multum exercemus?

A. Cum res concreta pluribus attribuitur, Latini utuntur plurali. Suum quisque enim corpus exercet; ergo: **Corpora** parum multum exercemus. Milites **terga** vertunt, **corpora** curant, **corpora** lavant.

Contra singulariter dicimus: memoriam exercemus, quia memoria est res abstracta, quae omnibus communis cogitatur.

Si vero notio corporis cum notione animi comparatur, singulari utimur, v. g. Animi imperio corporis servitio magis utimur.

M. Haud raro invenias nomina, quae materiam aliquam designant, pluraliter usurpata, v. g. vina, ligna, carnes, imbres, nives; quid significat ejusmodi pluralis?

A. Significat aut varia genera materiae, v. g. **vina** (sortes) aut partes, v. g. **ligna** (bûches), **carnes** (morceaux de), aut res ex materia confectas, v. g. **aera** (vasa vel tabulae aenea), aut abundantiam et vim materiae, v. g. **imbres, nives, grandines, pluviae, pruinae.**

M. Paulo ante dixisti nomina abstracta, ut memoria, singularem exigere; qui igitur fit, ut vel optimi scriptores ejusmodi nomina pluraliter utantur, v. g. invidiae, odia, fortitudines?

A. Plurali significant rem ad varias occasiones, res vel homines pertinere, v. g. **Adventus** imperatorum nostrorum in urbes sociorum. **Exitus** bellorum. **Praesentiae** deorum. **Expulsiones** vicinorum. **Asperitates** viarum. **Interitus** exercituum. **Animos** addere militibus. Incurrere in **odia** hominum. **Potestates** magistratuum.

Plurali praeterea significantur varia abstracti genera et actiones, v. g. **mortes, invidiae, iracundiae** (accès de), **insaniae, aegritudines, fortitudines, turpitudines, aetates, dementiae, gaudia, odia, familiaritates.**

M. Quid significat, Beate: **Pueri** illum poetam legimus?

B. Idem est quod: **In pueritia** illum poetam legimus. Romani enim ad significandas varias hominum aetates concretum potius habent abstracto, v. g. Cato admodum **senex** Graecas litteras didicit. A **puero** hoc feci. A **pueris**, a **parvis**, a **parvulis** hoc audivimus. **Juvenis** (**adolescens**) interfuit bello Punico. **Cicerone consule** conjuratio Catilinae detecta est; pro: in consulatu Ciceronis.

Neque tamen illicitum est dicere: a pueritia, ab adolescentia.

Contra ea nonnunquam invenimus abstractum pro concreto, v. g. juventus, nobilitas, posteritas, vicinitas, servitium, legatio, custodiae etc. pro: juvenes, nobiles, posteri, vicini, servi, legati, custodes.

M. Proprium est linguae latinae nonnunquam pro solo nomine personali vel pro pronomine vocabulis uti **animus** vel corpus, v. g. Animum filii confirmavit (pro: filium confirmavit). Imponere corpus lecto (pro: se imponere).

Affer aliquot hujusmodi exempla.

B. Caesar animos militum accendit. Hoc animum meum movet, commovet, turbat, offendit. Animus meus abhorret a sanguine. Hoc cum animo meo cogitavi; hoc apud animum meum statui. Animum suum continere, submittere. Levare corpus (se lever). Corpus applicare stipiti (s'appuyer contre un arbre). Librare corpus (se balancer). Offerre periculis corpus. Corpus suum dedere. Milites corpora humi prosternunt. Animum excolere. Omnium animos sibi conciliare.

M. Similiter invenimus pro homines: vita hominum, v. g. Nulla pernicies major hominum vitae potuit afferri. Sunt philosophi, qui censeant ab iisdem diis hominum vitae consuli et provideri. Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere. Nec eos a quibus vita hominum instructa primis sit, fuisse philosophos arbitrantur.

Quid significat, Damase: Nemo Romanus, nemo patricius?

D. Nemo, quod idem est ac nullus, haud raro conjungitur tam cum adjectivis, quae pro substantivis habentur, v. g. nemo Romanus, nemo mortalis, nemo ingenuus, nemo peregrinus, socius, familiaris, propinquus etc., quam cum substantivis personalibus, ut: nemo miles, poeta, civis, v. g. Nemo pictor est inventus. Nemo vir bonus. Hominem neminem pluris facis. Adhuc neminem cognovi poetam. Nemo unus, nemo quisquam (pas une personne).

M. Quid interest inter: Non nemo hoc probabit; et: Nemo hoc non probabit?

D. Utrumque est affirmativum; illud gallice significat: quelqu'un, plus d'un; hoc: tout homme, il n'est personne qui ne. Eodem modo non nihil (quelque chose) differt a nihil non (tout).

M. Advertite genitivum neminis et ablativum nemine non esse in usu, in quorum locum genitivus nullius et ablativus nullo substituuntur.

Latinum est: Nemo unquam, nemo usquam, nihil unquam.

Quid interest inter: Praetor hoc vobis sine dubitatione concedet; et: Praetor hoc vobis sine dubio concedet?

D. Illud idem est quod: Praetor non dubitabit vobis hoc concedere (il ne fera pas difficulté de; il n' hésitera pas); hoc significat: Non dubium est, quin praetor vobis hoc sit concessurus (il n'y a pas de doute que).

M. Quid praeterea interest inter dubitatio et dubium?

D. Illud est nomen substantivum (doute, hésitation); hoc est adjectivum neutrum (douteux), quod substantivi significationem non habet nisi in locutionibus: in dubio esse; in dubio ponere; in dubium vocare (mettre en doute); in dubium venire (devenir douteux); sine dubio, procul dubio (sans doute).

M. At hodie saepissime invenias dubium conjunctum cum adjectivo vel cum pronomine, v. g. Magnum, leve, ne minimum quidem dubium; tuum, nullum dubium; hoc, illud, quodvis dubium; sine ullo, sine omni dubio; eiusmodi dubio locus non est etc. Quid de hac latinitate judicas?

D. Latinitas nova est veteribus non cognita, qui, cum dubium sit adjectivum ob eamque causam neque cum altero adjectivo neque cum pronomine conjungi possit, in ejusmodi exemplis pro dubium substantivo dubitatio utebantur.

Latinum est igitur: Illud magnam mihi dubitationem attulit (injecit — faire naître). Res nihil dubitationis, nullam dubitationem habet (n'est pas douteuse). Haec lectio sine ulla dubitatione praeferenda est. Litterae tuae mihi omnem dubitationem sustulerunt. Non intelligo tuam dubitationem. Ejusmodi dubitationi locus non est.

M. Adde, quod recentiores haud raro scribunt: absque dubio pro sine dubio, quod priscae latinitatis est et ideo non imitandum.

Schilleri Carmen „Der Tanz"

Chorea

(Ph. Welcker, Selecta Schilleri carmina latine reddita.
Gothae 1840.)

Gressibus en dubiis, ut mobilis unda, feruntur,
Agmen dum rapido vix pede tangit humum!
Num celeres video manes sine corpore? Ducunt
Hic Nymphae, Phoebes luce nitente, choros?
Ut levis, a Zephyro motus, se fumus in auras
Tollit, et ut vitreis cymba movetur aquis:
Pes salit in numerum docilis modulantibus undis;
Effertur blandis corpus, ut umbra, modis.
Nunc audax, tamquam vi rumpant vincla coronae,
Orbes in densos virgoque virque ruunt.
Ante illos via se pandit, tegiturque relicta;
Artibus ut magicis, clauditur atque patet.
Iamque latent ambo: miscetur turbine caeco
Huius non stabilis pulchra catena chori.
Apparent iterum laeti; nodoque soluto
Iam redit in species pulchrior ordo novas!
Diruit et semper gignit Natura novatrix,
Lex regit et faciles clam variasque vices.
Dic, quo fit, semper variatis mille figuris,
Occupet ut constans corpora mota quies?
Liber quisque potensque sui sua iussa sequatur,
Unicum et accelerans ingrediatur iter?
Est Dea Terpsichore, cantu quae pollet et addit
Ecce feris socios saltibus ipsa choros.
Quae, similis Nemesi, numeri tenet aurea frena,
Gaudia queis flectit, nec sinit esse fera.
Consona nonne iuvant coniuncti foedera mundi?
Nec te divini corripit unda soni?
Non alacer motus, naturam qui ciet omnem,
Non vis contorquens, quae super Orbe vago
Mirificis rotat astra viis? — In rebus agendis
Non curas, ludens quem colis ipse, modum.

Pauli Recanatesii Carmen

»Horae Vespertinae«

(P. Recanatesi, Carmina Sacra. Recineti 1908.)

Sol subit et circum turres atque alta domorum
Extremos orbes Cypselus ingeminat.
Hic de more sedens pinus qua personat auris,
Et sonat Adriaci non procul unda maris,
Occiduam lucem pronasque e montibus umbras,
Specto et mens vivis fervet imaginibus.
Ac veluti spatia emensus qui magna viator
Respicit et longum mente revolvit iter,
Sic propior tumulo trudit quo ingrata senectus,
Quae arreptum dura me tenet ungue modo,
Mecum animo reputo transacti temporis annos,
Et iuvat antiquos commemorare dies.

Primaevam aetatem revoco dulcemque iuventam
Cum ferus irrupit nimbus in Ausoniam,
Pravosque adspicio sublimi in sede beatos,
Et, pudor, egregios nullo in honore viros:
Undique luctantes populos convulsaque regna,
Et fracta infesto iura sacrata pede.
Me nido abreptum quosque olim sponte reliqui
Invitum ad patrium tunc remeasse lares.
Ex illo huc usque adveniens quot casibus actus,
Quae laetae et tristes me tenuere vices!
Felix qui has inter factis se ornavit honestis,
Fructibus ut variis ubere laetus ager!
Hunc tandem nox atra premet condetque sepulcro;
Illius at nomen cuncta per ora cluet.
Verum ego quid gessi? Superos qua mente rependi?
Quid mihi, quidve aliis utile promerui?
Ut ratis undosum cursu quae praeterit aequor,
Aut levis aethereo qui volat axe vapor,
Nulla mei moriens post me vestigia linquam
Non vitae exemplis laude nec ingenii.
Saepe, fatebor enim, cernens spectacula rerum
Quis pulchrum formis emicat innumeris,
Almaque mortales acuit sapientia mentes,
Et veri occultas usque recludit opes,
Ceu stimulis actus magnos tentare volatus
Ausus, at inceptis defuit ala meis.
Conatu in medio occubui lassusque resedi
Fulgida nequicquam culmina suspiciens.
Quid mihi sic lapso quaesitae gloria famae,
Aut aliqua exacti non sine laude dies?
Quid mihi collecti Parnasi in vertice flores
Jucundum cum aetas florida ver ageret?
Quo me cunque fero lacrimoso illudor inani,
Vanaque sectanti mundus ut umbra fugit.
Quae mihi deliciae quondam, nunc vilia sordent,
Et sapit ingratam quidquid amaritiem.
Hoc unum ante oculos requies immota sepulcri,
Culparumque, Deo vindice, iudicium.
Talia dum volvo dulcis mihi fertur ad aures
Pertentans sonitus pectora laetitia.
Te matrem nati sub noctem voce salutant,
Te matrem exorant in sua vota piam.
Tu nostras ne sperne preces, spes erige lapsas,
Ac praesens adsis . . . . . . o bona mater, ave.

Varia

Caroli V[i] de gentibus Europae iudicium

Carolus Quintus Imperator dicere solebat ad instruendum iusti exercitus corpus sumendum esse caput ab Italis, bracchia et manus ab Hispanis, pectus a Germanis, ventrem et pedes ex reliqua gentium aliarum colluvie, quod Itali prudentes essent et ingeniosissimi, Hispani fortes et pugnaces, Germani fideles et constantes, ceteri omnes ad munus aliquod apti et utiles.

Vernulaeus

De homine nunquam locuto

In ergastulo Winchesteriensi nuper homo singulari quadam indole, nomine George Montague Hawkins, diem

obiit supremum, qui non unquam locutus erat et sine ulla voce descendit in Tartarum. Quibus causis commotus ille iure dicendi mortalibus permisso uti omnino noluisset, nequaquam apparebat; neque sana mente neque organis ad loquendum necessariis carebat, neque odisse alios videbatur, immo amice et comiter arridebat domesticis, si quando eum alloquebantur, — sed in taciturnitate utique perseverabat. Medicus cum mortifero morbo affectum curaret, ne summo quidem labore effecit, ut aegrotus corporis sui habitum statumque exponeret verbis; attamen Hawkins dicto audientem medico se praebuit. Per undecim annos integros, quos in ergastulo degebat, bis tantummodo assiduum silentium rupit. Ante duos tresve annos, cum quando domo esset exiturus, ‚vestimenta' inquit ‚mea mihi detis velim'; et cum mors iam appropinquaret, ultimum assurgere conans ‚velim .....' dixit. Cum quis ei acrius instabat, ut narraret, quibus ex causis non loqueretur, homo sane mirus umeros tollens nihil respondebat. Idem matre paucos abhinc annos defuncta hereditatem adire iussus ne responsum daret neve subscriberet syngraphum recusavit tota re plane neglecta. Decessit duodesexaginta annos natus.

Guil. Lehmann Vratisl.

Telephonissa et Zaplutus

Non haec commenticia narramus, sed vera, puellis commeatuum vocalium dedicanda.

Duobus abhinc annis locuples de Civitatibus Foederatis ab urbe Sancti Ludovici Londinium adveniebat civis. Qui dum machina colloquendi utitur, tanta dulcedine et imprimis comitate accipit inde vocem, ut cantatricem vocem statim adamarit. Duos annos frustra ignotam sermonum promam, ut nomen suum diceret, obsecravit. Recusavit illa pertinaciter, neque minus ideo locuta est comiter. Tam fideli tamen tacta tandem est admiratione, et voluit Violae sibi nomen esse dicere. Nunc Caio Caia est. Miram mirans duxit.

Tass.

De Italis iudicium

Est enim profecto Italia exterorum ingeniis fingendis animisque ad virtutem varia doctrina excolendis adeo apta, ut vel hoc solo nomine inter Transalpinos quaqua versum praedicetur, vulgoque inde apud eos persuasum sit, eum qui Italorum mores tractu temporis induisset, ubi ad suos reversus fuerit, singulis occasionibus intentum esse posse, simulare cum aulicis, referre elegantia equites Neapolitanos, prudentia vitae civilis Genuenses, peritia rei familiaris Florentinos, sermone Etruscos, cautione Lombardos, consilio Venetos, adeoque accommodare sibi omnium dotes, dum singulos adiisset.

(E Vita Alb. Walsteinii,
quam ex ital. lat. vert. J. Arndius
Rostochiae 1668)

Ex Epistulario Redactoris

Lommatio, clarissimo viro, salutem dico plurimam.

Quoniam, vir doctissime, latini sermonis litterarumque Graecorum et Romanorum peritissime, de re satis gravi Te consulturus sum, noli, quaeso, naribus — ut ita dicam — emunctis grande tollere supercilium. Etenim iterum ac saepius in mentem misero mihi venire scias versiculos aliquot nescio cuius carminis in Sullae Felicis laudes compositi; carmen ipsum et carminis auctorem quominus reperiamus, memoriae nostrae mira quaedam debilitas impedit.

Itaque Tu dolentem, errantem, vagantem, scrupulosa cura vexatum fratrem ut ex Tuae scientiae scaturigine doctrinam haurire passus adiuves, precamur.

Versus, quorum mentionem fecimus, hos nostra mente repositos tenemus:

„Sulla apud Orchomenum pugnans incautius [urbem,
Turpiter ut cernit vertere terga suos:
Desiliens ab equo — furiis incensus et ira
Arripit invicta bellica signa manu" ...

Deinde post aliquot versus oblivione nostra obrutos carminis auctor perrexerat:

„Dedecus hoc nunquam vestris abolebitur [armis,
Quorum perfidia victus ab hoste fui!"

Habes igitur, quod sudore nobilium dignum sit, solvendum aenigma: Quod carmen illos, quos laudavimus, versus Sullam victorem celebrantes exhibet? Quem carminis auctorem fuisse censebis? —

Jam vale, vir clarissime, latinitatis verae magister peritissime! Nobis admodum petulantibus tamen irasci noli! —

Juppiter et Juno et Minerva saepe Tibi faveant! —

Scripsi Tui semper observantissimus a. d. VI. nonas iulias 1911.

Rudolfus Hilgenfeld.

Videte, lectores carissimi, quam parum mercam laudes ab Hilgenfeldio nostro mihi attributas: ipse enim haereo, cuinam auctori illi versus ascribendi sint. Non possum igitur, quin peritiores appellem iudices, qui, quid reppererint, sine mora mecum velint communicare. Red.

Legi nuper, vir humanissime, te commentarium menstruum edere coepisse eo consilio, ut quae classica vocantur studia novo tamquam impetu suscitata colerentur. Quo ego conatu maximopere gavisus, dum tibi tuisque in opere perficiendo sociis ex animo gratulor, cum ipse ex iis sim, qui verbis scriptisque antiquitatem defendant, vehementer abs te peto, ut, qua es liberalitate, unum ephemeridis tuae specimen ad me mittas, de quo censura fiat in Scriptore nostro Latino, cuius tibi vicissim quosdam dono dabimus numeros, si acceperimus, quod desideramus. Interea summa tui observantia permaneo

W. Lommatzsch,
red. Scriptoris Latini.

Hancce chartulam mense Maio Venetiam misi hac inscriptione: ‚All' Amministrazione del nuovo Periodico ‚Hellas' (‚Hellade'), Organo per la Cultura Classica, unde tamen remissa est, quod tabellariis istius generis commentarius non esset notus. Ecquis lectorum me certiorem facere potest, num rectum sit nomen ephemeridis et a quo illa edatur? Red.

Censura Librorum

Vergangenheit und Gegenwart. Zeitschrift für den Geschichtsunterricht und staatsbürgerliche Erziehung in allen Schulgattungen. **Herausgeber: Dr. F. Friedrich u. Dr. P. Rühlmann.** Leipzig, Teubner. Jährl. 6 Hefte. 6 *M.* (singuli fasciculi 1.50 *M.*)

Novum hunc commentarium ab iis praecipue legi volunt editores, qui non, ut quam plurima ediscantur, docendam esse historiam putant, sed ut discipulorum ingenia ad diiudicandas res gestas acuantur, ut iidem nostrae aetatis rationes ex iis, quae ante fuerunt, intellegant officiisque et hominis et civis pro sua parte et quantum poscit patria, satisfaciant. Quae ut fieri possint, novas omnino vias in erudiendis pueris inire oportebit, quamobrem utique necessarium videtur omnes qualibet in schola disciplinam illam tradentes de variis ad assequenda illa rationibus edoceri. Hic ergo verus est commentarii finis. Sperant autem paedagogi — et huius quoque ephemeridis editores paedagogi sunt — iuvenes nova ista ratione eruditos non solum maiorem melioremque civilium rerum scientium habituros sed maiori quoque ipsi rei publicae usui futuros esse, quam qui antea scholas nostras frequentarint, quos a re civili prorsus abhorrere saepius peritissimos quosque viros audivimus affirmantes. Huic ut vitio occurratur, omnes et inferiorum, quas vocant, et superiorum scholarum praeceptores, quatenus historiae operam dant tradendae, sive lectores commentarii sunt, sive conscriptores, communi quodam studiorum vinculo consociantur. Praeclarum sane consilium omniumque civium bonorum attentione dignum! Nam id quoque haud semel questi sunt periti parum suos invicem labores respicere scholarum et universitatum praeceptores. Quid autem absurdius quam, cum una sit veritas historica, alia pueros, alia iuvenes litterarum studiosos doceri? Optima igitur his de rebus sperantes recentissimum hoc aedium Teubnerianarum periodicum summo gaudio salutamus faustaque omnia ac felicia ei deprecamur. L.

Les Quatre Saisons. Ein Übungs- und Hilfsbuch für den Unterricht in der französischen Sprache unter Zugrundelegung der Hölzelschen Jahreszeitenbilder und des Textes der Gourdiatschen Sprechmaschinenplatten von **Professor Victor A. Reko.** Stuttgart, Wilhelm Violet, 1909. 24. 0.60 *M.*

Hic libellus quadripartitus est: continet enim textum descriptionis francogallicum, dialogum, germanicam primae partis versionem, vocabularium eoque editus est consilio, ut linguam discentes ab ipso initio quotidiano peregrini populi sermone imbuantur. Sententiis igitur francogallicis iterum iterumque perlectis et, dum verba e tuba machinae loquentis prodeunt, cum vivo, ut ita dicam, sono itemque versione vernacula comparatis discipulus primum ad interrogata respondere, deinde etiam, quae in imagine vidit, liberioribus exprimere verbis docetur. Tractantur ita ex ordine ver, aestas, auctumnus, hiems, quorum singuli disci professoris Gourdiat Parisiensis voce inscripti tribus constant marcis. Ipsam docendi rationem eiusdem exponit auctoris libellus, cui titulus est: Die Sprechmaschine beim franzö-

sischen Sprachunterricht. Erläuterungen zu Les Quatre Saisons. (0.30 Mark), totam autem huius generis institutionem, qua permulti iam praeceptores utuntur cum optimo successu, idem rursus vir doctissimus illustravit libro: Sprachenerlernung mit Hilfe der Sprechmaschine, Winke für Lehrer und Selbstunterrichttreibende. (0,75 Mark), omnes utilissime ad opusculum supra laudatum possunt adhiberi. Reko enim optime versatus est in hac disciplina utque primus commendavit grammophoni et phonographi usum, ita nunc quoque egregia illa eruditionis instrumenta inter collegas suos impigre verbis scriptisque propagat. L.

Periodica

Acta Apostolicae Sedis. Commentarium Officiale (Romae, 12 l. annue, extra Ital. 15 l.). I, 7: Acta Pii Pp. X. — S. Congregatio S. Officii — S. Congregatio Rituum — S. Romana Rota — Secretaria Status — Diarium Romanae Curiae.

Bibliographischer Monatsbericht über neu erschienene Schul-, Universitäts- u. Hochschulschriften (Leipzig, 5 *M* jährl.). XXII, 12: Klass. Phil. u. Altertumswissenschaft (6229—6236) — Neuere Philol. (6237 — 6269) — Orientalia u. vergleich. Sprachwissensch. (6270—6271) — Theologie (6272 — 6277) — Philos. u. Psychol. (6278 — 6290) — Geschichte u. Hilfswissensch. (6291 — 6309) — Geographie (6310) — Rechtswissensch. (6311—6412) — Volkswirtschaft (6413—6438) — Medizin (6439—6485) — Tierheilkunde (6486) — Beschreib. Naturwissensch. (6487—6503) — Exakte Wissenschaft. (6504—6528) — Chemie (6529—6551) — Techn. u. Handelswiss. (6552) — Land- u. Forstwirtschaft (6553—6558) — Bildende Künste (6559) — Musik (6560)

Das humanistische Gymnasium. Organ des Gymnasialvereins (Jährl. 6 Hefte, 3 *M*.). XXII, 4: Presstimmen über eine neue preussische Schulreform — P. Ankel, Die Herren Spiess und Genossen — Die 26. Generalversammlung des Bayerischen Gymnasiallehrervereins — Ein Gymnasialjubiläum — Literarische Anzeigen — Die Ansprache des Kaisers an die Primaner des Casseler Fridericianums — Drei turnerische Ehrendoktoren — Die Hellasfahrt bayerischer Gymnasiallehrer u. Gymnasiasten im Sept. 1910 — Les étudiants demandent le rétablissement des humanités — Ein deutsches Institut für Ausländer in Berlin — Aus einem Oberlehrerexamen — Einladung zur 20. Jahresversammlung des deutschen Gymnasialvereins.

Vergangenheit und Gegenwart (cf. Censur. Libror. in hodierno num.). I, 3: G. Wyneken, Die Idee des Geschichtsunterrichts — W. Soltau, Die modernen Forschungsergebnisse in altrömischer Geschichte und die Schule — P. Herre, Das Mittelmeergebiet als historischer Schauplatz — G. Lukas, Was fesselt den Schüler an der Geschichte? — E. Weyrich, Über Anschaulichkeit im Geschichtsunterricht — Literarische Neuerscheinungen — Mitteilungen — Aus der historischen Literatur.

Libri libellique censurae causa missi:

P. Ovidi Nasonis Amorum Libri Tres. Erklärt von Paul Brandt. Leipzig, Th. Weicher, 1911. 239. 7 *M* (9 *M*).

H. Rühl, Die lateinischen Genusregeln in 2 Stunden zu erlernen. Ein mnemotechnisches Hülfsmittel für deutsche Lateinschüler. Darmstadt, H. Rühl, 1911. 11. 0.30 *M*.

Idem, Die unregelmässige Declination. Ein mnemotechnisches Hülfsmittel für deutsche Lateinschüler. Ibidem. 11. 16. 0.30 *M*.

F. Cramer, Das römische Trier. Ein Beitrag zur Kulturgeschichte des römischen Rheinlandes. (Gymnasialbibliothek: 53) Gütersloh, C. Bertelsmann, 1911. VIII + 208, cum 47 imag. et 1 tabula. 2.40 (3 *M*).

Catalogi antiquarii

Antiquarii velim attendant titulos librorum, qui a lectoribus nostris desiderantur, ut, num venales illos habeant et quo pretio, indicare nobis possint.
Antiquariate werden um gefl. Beachtung unserer Desideratenlisten und Einsendung von Offerten gebeten.
Lüstenöder.

Göttinger Antiquariat, Göttingen — Cat. 144: Klass. Phil. II, num. 1—1454.

K. Hiersemann, Leipzig — Cat. 389: Kunst u. Kunstgewerbe d. klass. Altertums, num. 1—737.

Theissingsche Buchhandlung, Münster — Cat. 4: Klass. u. Neuere Philol., Philosophie, num. 1—2220 (Script. lat. 228—578).

Libri a lectoribus desiderati:

Gedicke Fr., Liber latinus juventuti regni Hungariae accommodatus. Pressburg, Weber, 1825.

Erasmus Rot., Colloquia ed. Stallbaum. 2 voll. Lipsiae, Hinrichs, 1828.

Seyffert, M., Aretalogus sive epigrammata. Brandenburg, Ad. Mueller, 1841.

Schmid, Vademecum classicum: Axiomata, proverbia etc. Augsburg, Wolff, 1857.

Lallier, Homeri Ilias latino carmine reddita. Paris, Lecoffre, 1868.

Marinelli P., Homeri Ilias et Odyssea latinis versibus redditae. 2 voll. Ancona (ca. 1870).

Hettlingen, Mors Christi nach Klopstok ins Lateinische übersetzt. Solothurn 1884.

Philippi Fr., Carmina nonnulla Schilleri latine reddita. Venezia 1840.
Schultess Fr., Schiller's Spaziergang lateinisch. Hamburg 1898.
Philippi, Der erzählende Lateiner. Dresden 1829.
Welcker Ph. H., Selecta Schilleri carmina latine reddita. Gotha 1840.
Wölfflin Ed., Carmina latina. Ubi? Quando?
Homeri Ilias graeco-latina.
„ Odyssea graeco-latina.
Luciani Dialogi latine.
Heerwagen, Deutsche Lesestücke mit lateinischer Übersetzung.
Philippi, Kleines lateinisches Conservationslexikon. 1825.
Bodinus, Universae Naturae Theatrum. Lugduni 1596 vel alia editio.
Bodinus, Heptaplomeres. Ed. Noack. Schwerin 1857.
H. Fulda, Griech. Lieder übers. aus deutschen Originalen. Halle 1867.
J. Keller, Die Grenzen d. Übersetzungskunst. Progr. Karlsruhe 1892.
B. Davidson, Syriac Reading Lessons. London, circa 1851.
Langii Colloquia. Ubi? Quando?
Antonii Panormitae Hermaphroditus ed. F. C. Forbergius. Coburgi 1824.

Offerantur velim libri pretiis indicatis Bibliopolae H. Lüstenöder Francofurtensi.

Responsorium

R. B.: Ex operibus britannicis haec tibi videntur commendanda: Blackie, Greek Dialogues; G. A. Butterton, Sabrinae Corolla (Lond. 1890); Gladstone, Carmina; B. H. Kennedy, Between Whiles (Lond. et Cambridge 1882). His adde: Scheiffele, Carmina ex Schillero Horatio aliisque graece reddita. Stuttg. 1837. Memineris velim nos omnes libros, qui a lectoribus desiderentur, brevissimo tempore comparare.

S. A.: Bono sis animo: ut Verres testes interficiendo voces exstinguere non potuit, sic alii quidam veritatem non suppriment libros prohibendo. Haec enim nec defensorem patitur nec hostem: vincet et triumphabit.

F. B.: ‚Eines tages' cf. duo q u i d a m, quum iam in alto navigarent, naufragum animadverterunt . . .; ‚als Demosthenes eines tages . . .': Demosthenes q u u m . . .

T. V.: Proposuit alius hunc titulum: H o s p e s L a t i n u s menstrua secum portans symbola ad classica, quae vocantur, studia pertinentia. Nam, ut ipsius utar verbis, ita si appellentur folia, etiam commentationes de locis quibusdam scriptorum Graecorum Latine scriptae accipiendae sint.

Epigramma salutatorium

Posnaniam nuper missum, ubi gymnasiorum praeceptores vigesimum suum habuerunt conventum:

Vivit lingua vetus sociis vivetque peritis,
Quales Posnaniam nunc celebrare parant!

Scriptor Latinus.

Sententia

Est quiddam, quod sua vi nos allicit ad sese, non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate: quod genus virtus, scientia, veritas est. C i c e r o

Dris Aloysii Hartl grammatica infelici quodam errore superiori numero non fuit adiecta. Cuius negligentiae dum veniam petimus a lectoribus nostris, libellum hoc tempore ad omnes perventurum esse speramus.

Ed.

Aenigmata

1. Textus vetustate deletus:

. . . . rae est, omnia p . . . . . ui vitae g . . . . ., et quidquid pr . . ., abs . . . i, in . . . . legibus em . . . . . i . . . . . tuit, hoc n . . . re, ar . . . . e, ca . . . . ., et . . . pendo, si f . . . . st, corr . . . re. Sic nulla e . . . t o . . . a ab omni reprehensione . . . ura. ' . . c, dum iu . . . . . . li . . . . bit urbem lat. o . . . . . s, satyra . . . . abit . . ineptiis. D . . illa sc . . er . . os config . . edict . ., h . . . infi . . . . . di . . . lacesset.

2

Ignem Vergilius cecinit nostrique poetae
Saepius, ignem, quo nullus iniquior est.
Literulas transpone duas, ignesque videbis
Iam permutatos irriguas in aquas.

O. S.

3

Rebus in adversis mortalia pectora rodo
Et tristi facio rore madere genas.
Vertice me trunca! Liquidi secat aequora stagni
Ales, cantator funeris ipse sui.

F. P.

Ex horum aenigmatum solutoribus unus sortitus accipiet libellum:

Cauer, Das Altertum im Leben der Gegenwart. Leipzig, Teubner, 1911.

Aenigmata soluta:

Num. VIII — 1) Timor 2) sanguis — anguis 3) pulex — culex 4) cor — nix

Cuncta solverunt: Stelzmann, Bischoff, Gustafsson, Stelzner, Ferguson, Steinbauer, Quirinus, Kiock, Hertel, Peltenburg, Lesche, Betke,

tria: van der Tak, Palata, Dembitzer, Draheim, Kobierzycki, Malyniak, Roese.

Praemium sortita est Bertha Ferguson Altonensis.

Num. IX — 1) Ros, Rosa, Eros 2) funda-mentum 3) bos, ros, dos, eos, cos, mos

Solverunt omnia: Draheim, Peltenburg, Lehmann, Kiock, Dembitzer, Stelzner, Podobinski, Palata, Hilgenfeld, Bischoff, Kobierzycki, Bodenstein, Steinbauer, Hertel, Ferguson, Betke, Meunier, Weissenborn, van Wessem, van der Tak.

Praemium accepit Lehmann Vratislaviensis.

Num. X — 1 COR*) 2) Gallia, pallia, Allia 3) sitis

Duo solverunt: Peltenburg, Hertel, e quibus

praemium sortitus est Hertel Grossneundorfensis.

Num. XI — 1)

O	V	U	M
V	E	R	U
U	R	B	S
M	U	S	A

2) apis, Apis

3) Paros, Paris

Omnia solverunt: Peltenburg, Fisch, Kunst, van der Tak, Exner, Betke, Weller, e quibus

praemium accepit Betke Rheinensis.

*) C specie lunam refert, O solem, R sono mussitantem canem. Lutherus monachum quendam vocem audivisse narrat hoc monentem: ‚Redde mihi mediam lunam, solem et canis iram!' H.

Sententiae latine vertendae:

Erzählen und Zuhören. Unter allen Unsitten, die sich im modernen gesellschaftlichen Leben eingebürgert haben, macht sich eine besonders breit. Es ist dies die Sucht, die Unterhaltung an sich zu reissen. Es sei beim Kaffee oder Tee, Diner oder Souper — reden, reden wollen alle und niemand will zuhören, bewundert wollen alle sein und niemand will bewundern. Nicht wer das Herz, sondern wer den Mund auf dem rechten Fleck hat, kommt am weitesten. Darin sucht einer den anderen zu überbieten, und wehe dem, der sich aus altmodischer Bescheidenheit nicht an diesem Wetteifern beteiligt; er ist „langweilig". „Er sagt ja keinen Ton", mit dieser verdammenden Kritik wird der „grosse Schweiger" gleichsam ad acta gelegt, denn ein Mensch, der nicht reden kann, ist eine gesellschaftliche Unmöglichkeit. Niemand will mehr glauben, dass Schweigen und Zuhören auch eine Kunst ist, freilich eine stark vernachlässigte. Und doch kann sie bei richtiger Pflege so manche Freude bereiten. Ein aufmerksamer Zuhörer beobachtet und lernt unendlich viel, was dem flüchtigen Lauscher entgeht. Er unterbricht eine Erzählung höchstens mit einer interessierten Zwischenfrage, die sein Teilnehmen an dem Geschilderten beweist. Der grosse Teil der Zuhörer aber wartet gelangweilt auf das Ende der Erzählung, um sich dann möglichst rasch des Wortes zu bemächtigen, das man dann wiederum sehnsüchtig zu Ende wünscht.

Huic penso qui satisfecerit optime, gratis accipiet librum — W. Freund, Cicero historicus. Leipzig, W. Violet, 1881. —

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem, Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., Baustrasse 10.

Nomina et domicilia

eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Krakow — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prof. Semin., Aquila (It.) — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach (Bay.) — J. Tasset, Tonnerre — C. Thieme, Parochus, Calbeck — N. Woll, Sacerdos O. S. B, Aachen — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Typographus: Carolus Wiechert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Commentarii Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarii

ANNUS IX:

1911—1913

Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum
Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportensis

Armipotens olim cecidit Mavortia Roma;
Lingua sed aeternis floret in ingeniis.

Seu veterum referat vatum sensusque modosque,
Sive novis moveat pectora Christicolum.

J. D. Fuss

SCRIPTOR LATINUS

quinta quaque prodit hebdomade mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Hungaria, Luciburgo 4 M (4.80 Cor.), in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), *pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,* Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., *Baustrasse 10.*

Nomina et domicilia
eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — H. Bigot, Prof. Instit. Carthag., Tunis — Dr. H. Brand, Prof. Gymn., Hagen — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislau — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. Th. Elsaesser, Maredsous — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — F. Gustafsson, Prof. Univ., Helsingfors — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univ., Leiden — Dr. E. Heikel, Helsingfors — V. Hertel, Parochus, Friedelshausen — Dr. J. M. Hoogvliet, Doc. priv., Haag — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. L. Laurand, Canterbury — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — P. Recanatesi, Prof., Osimo — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univ., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach — Dr. St. Székely, Prof. Gymn., Budapest — J. Tasset, Tonnerre — Dr. H. Weller, Ellwangen — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Index rerum anno IX° contentarum

Commentationes:

Excerpta et Versiones:

Carmina:

Carminum Versiones:

Typographus: Carolus Wichert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus IX: Numerus I

— Procurant negotia —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57–59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
in Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. IX — Francofurti a. M., Mense Decembri MCMXI — Num. I

Cunctis Latinae Linguae Amicis Salutem!

Nonum prematur in annum! suadet Horatius nec quisquam fere est, quin eius sententiae dicat assentiendum. Tamen aliud probare monitum est, aliud sequi neque ullum tam late patet praeceptum, ut non alicui locum det exceptioni. Quamobrem nos, qua sumus audacia, neglectis poetae, quem ceteroquin plurimi facimus, consiliis libellos nostros, licet imperfectos esse haud ignorantes, in publicum emisimus octo abhinc annis nec, si verum fatemur, poenituit incepti. Nam quod tunc menti obversabatur nostrae, ut esset, quo tamquam conflueret omnis omnium latine scribentium loquentiumque opera, id magis magisque in annos ad effectum adduci videmus, praesertim, ex quo amicus noster Francofurtensis tanta solertia constantiaque nec ulli parcens impensae commentarium nostrum constituit propagare.

Nolumus hic quaerere, quatenus noster fideliumque nostrorum sociorum labor contulerit ad ipsum sermonis latini amorem fovendum notitiamque eius diffundendam — hoc certe constat vel acerbissimos veterum linguarum earumque studii inimicos intellegere coepisse Romanorum sermonem nunquam esse periturum, immo interire non posse.

Est enim maius quiddam labore nostro, fortius etiam impugnantium ferocia: immortalem dico et indelebilem divinae huius linguae vim atque naturam, quae, perinde ac regii illius populi aedificia, integra manet vigetque per temporum aeternitatem. Sciunt optime adversarii, quicumque semel degustarit haec studia, mirabiliter iis capi atque teneri, idque quod timent, omnem disciplinam radicitus censent evellendam, quamquam multi eorum, ut taceam de eruditionis classicae omnino expertibus, longe aliter iudicarent, si ipsi meliore usi essent institutione latina. Non vana est fabula, quod ex Monnierii nuper de Blasio, gymnasii discipulo, exscripsimus libro: »Rosa primum hoc vocabulum altissime descendens, longinquissime adventans in animae vacuae silentium, tangit pueros ac nescio qua dulcedine capit raptosque sublime aufert. Nam, cum sit antiquissima haec lingua, admonet nos aliis de rebus antiquissimis, ut domibus illis, quarum tecta fastigiata quasi sursum evanescunt, ut viris illis doctis, qui atris talaribus induti incedunt, ut libris illis, qui membrana vestiti ipso aspectu admirationem sui iniciunt.« Nos vero omnes in secreto quodam, ut ita dicam, cordis angulo vetustatis verecundia commoveri quis non ipse senserit? — Quod ni ita esset, cur tandem sescenti pluresque confluunt ad scholas latinas variis in locis institutas, iique magnam partem ex ea classe hominum, quos, quamvis iniuria, profani vulgi nomine comprehendere solemus?

Verum etiam, qui latinam linguam inutilem putantes, quae communis gentium vinculi munere fungatur, nova ipsi verba excogitant, hi quoque, inquam, nobis non paulum auxiliantur. Nam ut omittam linguas ante inventas, quae e sperando nomen cepit numeroque asseclarum adhuc longe praestitit ceteris, ea sensim iam iis locum dare coepit, quae latinam magis prae se ferunt originem, quales Ido sunt et Lingua Perfect et Interlingua et aliae. Hac de re quod ipse saepius cogitavi, in ‚Walhalla' quae vocatur, commentario Dr. O. Willmann Leitmeritiensis, qui de universalis linguae scripsit quaestione, his exponit verbis: »Hoc ipsum, quo praestat ceteris — sermo est de Hartlii lingua commenticia — ut cum naturali lingua communi i. e. cum latina cohaereat, id huic conatui erit periculosum: nam ut sincerum inimicum semper est simulato, ita lingua latina opus illud artificiosum quodammodo absorbebit. Quid enim propinquius, quam si omnem latinorum verborum copiam discere cogaris, grammaticae ipsius formas memoriae mandare et ita a perfecta, quae dicitur, lingua ad perfectiorem progredi linguam? Quamobrem, si id efficiat ille Hartlii conatus, ut ad matrem Romanam quasi revocet filiarum amatores, nihil nobis possit esse gratius.« *)

Sed si omnibus a partibus adiuvamur, ubi sunt, quaeretis, qui nocent? Dicam candide: Maximum causae nostrae damnum inferunt, qui siccitate vel morositate docendi vel alia, quae a liberali institutione abhorret, ratione discentium ingenia elegantioris doctrinae plerumque appetentissima taedio afficiunt atque obtundunt. Nam quamquam serium esse humanitatis studium utique volumus, tamen multa esse, quibus haec doctrina iucundior, iuvenili aetati accommodatior, ad comprehendendum facilior reddatur, quis est, qui neget? Commemoro hic liberiorem scriptorum antiquorum delectum, quo argenteae quoque, quam dicunt, aetatis, immo etiam medii aevi et recentiorum temporum auctores adhibere ad legendum liceat, tum frequentiorem colloquii latini usum et illam vetere usu probatam commentationum scribendarum versuumque pangendorum consuetudinem, quae omnia, ut multi affirmant rerum scholasticarum periti, cum mediocris cuiuslibet discipuli facultatem nequaquam excedant, sine maiore quam in recentibus linguis difficultate fieri possunt, dummodo, quod gravissimum est, vividiore docendi genere magistri uti assuescant, qui, quod nimis obstringantur institutionis praeceptis, haud semper merito excusant.

Tamen horum quoque multa in melius mutata esse ipsi sunt commentarius noster et qui adiuvant illum testes. Nam quis non videt, quanto studio Scriptor noster ab iis iam foveatur, qui paucos ante annos nihil ad sese pertinere consilia eius arbitrabantur?

In defendenda denique disciplina classica quid peccemus, Hora noster disertius quam ipse possum his in paginis demonstravit. Lubet vero addere nos nimis raro ipsius linguae ostendere cultum. Nam cum antiquitatis romanae graecaeque indagatores, quo subtiliorem assequuntur morum institutorumque longinqui illius temporis cognitionem, eo minus imitandos nobis esse veteres affirment, nostri saeculi homines antiqua opera summae quasi perfectionis habere exempla paene desierunt. Linguarum autem studii amatores haud scio an non multi plures sint his diebus, quam fere opinamur. Hos igitur meliore, ut supra dixi, i. e. aptiore, vividiore, iucundiore docendi discendique ratione allici oportebit, hi ita erunt instituendi, ut pulchritudinem huius linguae ipsi sensu gusterit, his quoque demonstrandum in recentiorum linguarum disciplina erit, quam multum valeat latinae linguae scientia ad francogallica vel anglica verba intellegenda, ut, ne unum saltem afferre exemplum praeteream, britannicum illud ‚imperious' vocabulum, quod inane videtur latina institutione carentibus, impleatur tamquam sensu indolemque suam discipulum

*) Conf. etiam: J. Bernhaupt, Weltsprachliche Verirrungen (Folio. Zeitschrift für allgemeine Sprachkenntnisse, 1911, 4)

faciat persentire. Alii vero, qui cuius sint generis aut ordinis nihil refert, latine docendi erunt, ac facillime libentissimeque, quemadmodum experientia docuit, ad discendum congregantur.

Sed iam satis! Messis, ut nuper scripsi, exspectat messores. Multi ex lectoribus itemque conscriptoribus nostris tantum nobis, cum nonum hunc annum inituri eramus, animum confirmarunt, ut opus resumere nostrum haud nobis visum sit dubitandum. Curemus, amici, ut nec eum, qui suscepit rem persequendam, nec eos, qui fide sua illum adiuvarunt, paeniteat Scriptorem edere perrexisse. Ego quidem pro viribus adesse vobis non desinam.

BREMIPORTU, mense Novembri MCMXI Lommatius

Nicolai Vernulaei

De Peregrinatione

in Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam dissertatio

Oratio IV: Germani Oratoris

Germaniam Europae principem esse, in qua tot florentissimae sunt provinciae, tot munitissimae et praeclarissimae urbes, tot vici amoenissimi, tot auri, argenti, plumbi, ferri omniumque metallorum fodinae ditissimae, nemo umquam dubitavit. Quis igitur non omnium aliarum perlustrationibus nationum Germaniae peregrinationem anteferret? Qui Germaniam videt, provinciarum aliarum reginam, regnorum omnium aquilam, nationum omnium matrem videt. Qui in Germaniam proficiscitur, discere reipublicae institutionem, morum probitatem, religionis et pietatis cultum, ingenii et sermonis ornatum, fortitudinem, doctrinam, prudentiam potest. Venite mecum, auditores, malo cuncta vobis ostendere, quam superbe iactitare; perambulate mecum Germaniam nostram, si non pedibus, at saltem cogitationibus, non dubito, quin, ubi me audiveritis ac si reversi eritis, palam affirmare audebitis in Germania sola reperiri id omne posse, quod in aliis simul omnibus provinciis invenitur. Germanica dico fide, Germanica, hoc est vera probabo ratione. Veniant inprimis illi mecum, qui quorundam artificum industriam admirantes imitari contendunt. Germanorum ingenium in manu positum esse ceterae omnes dicunt nationes et ingeniosas Germanorum manus appellant. Quippe si ullibi sunt praestantissimi architecti, pictores, statuarii, sculptores, hi apud Germanos tantae excellentiae sunt, ut pares illis habere reliquus orbis non possit. Omnes in architectura Germanis cedere Aeneas Sylvius, homo Italus et ad summum aliquando pontificatus apicem evectus, asseverat. Omne autem supellectilis et instrumentorum omnium genus tam artificiose, tam affabre a Germanis fieri, ut ceteri mirentur populi, imitari vero non possint, Galli omnes confitentur, ut testis est Bodinus. Quis Norimbergensium industriam plane admirandam non obstupescit? Quis Augustanos aurifabros, bractearios, caelatores, annularios, textores, horologiarios non ubique terrarum depraedicat? Quis Friburgenses non extollit, apud quos crystalla expoliuntur et ex iis pocula atque alia subtilitatis admirandae opera elaborantur? Scloporum copiam Essendii, pannorum Ulmae reperietis. Immo si Germanici acuminis artes intueri compendio gestitis, videte ceimiliarchium Saxonicum Dresdae, Wirtembergicum Stutgardiae, Bavaricum Monachii. Audeo dicere nullibi alibi res videndas videbitis et visas numquam satis obstupescetis. Omnium haec est confessio nusquam gentium ingeniosiores machinas, nusquam gentium excellentiora artificia quam in Germania reperiri. Non ignoratis typographiam inventum esse Germanorum. Quale vero ac quantum? Profecto non tam mortalibus hominibus quam immortali Deo attribuendum. Artificiorum omnium ut utilissimum, ita ingeniosissimum sane est inventum. Bombardas iidem invenerunt Germani: quae quamquam ad hominum exitium sunt, admirandum tamen Germanorum ingenium produnt. Illud ipsum, quo Dei omnipotentia sese

manifestat, incredibilem Germanorum industriam ostendit. Ille tonat in coelis, Germani tonant in terris. Horologiorum artificia cum uterque obstupescat orbis, tum illa e Germanorum manibus ac ingeniis tantum accipere sese profitetur. Omnino igitur, qui exercere et excitare et acuere industriam suam et aliquam quovis in opificio comparare sibi nominis excellentiam cupit, in Germaniam peregrinetur. Non pauci sunt, quibus cum affluant pecuniae et crumena turgescat, de ingenio moribusque formandis parum solliciti iucundam tantum optant peregrinationem. O vere, quisquis es talis, in Germaniam, in Germaniam peregrineris. Jucunditatem quaeris? Iucunditatem Germaniae urbes cum magnificentissimae, tum munitissimae procurabunt, in quibus quod de Vienna dici solet, quae civium sunt domus, principum esse palatia videntur, in quibus templa augustissima aut magnitudine, ut Ulmense, aut pulchritudine, ut Freidenstadiense, aut magnificentia, ut Monachiense Patrum Societatis, aut nitore, ut Grunigense in Halberstadensi episcopatu, cetera omnia reliqui totius orbis templa longo post se intervallo reliquerunt. Cum admiratione iucunditatem excitabunt vere augusti fontes Augustani et tractoriae illae aquarum machinae, Spirensium mons oliveti, Dresdensium equile et armamentarium, Ratisbonensium pons, Stutgardiae ducale praetorium et horti deliciarum omnium sedes. Illa turris Argentinensis, illa Viennensis, illa Lanshutensis, quae omnes Babylonica altiores apparent, quem non in stuporem adducent? Sed nulla nisi cum divitiis iucunditas est in Germania. Considerate totam Alsatiam et universam Rheni ditionem: hortus est; conicite oculos in Wirtembergiae ducatum: lumen est; Westphaliam, Hassiam, Saxoniam, Bavariam, Silesiam, Thuringiam, Misniam videte: horreum est; spectate Franconiam, Helvetiam, Tirolim: cella penuaria est; perlustrate Styriam et Austriam: paradisus est. Dicam amplius: tota Germania cornucopia est. Et vero, quid in Germania deesse ad voluptatem potest? Testor vos ipsos, vino Rhenensi nihil delicatius est, vino Necarico nihil subtilius, vino Franconico nihil fortius, vino Austriaco nihil suavius, vino Baccharensi nihil principum mensis dignius, vino Valtelino nihil nobilius, vino Wangemio et Tramio nihil dulcius. Qui sunt in toto terrarum orbe, qui sibi plus vini quam aquarum esse gloriari auderent? Gloriantur Stutgardiani. Qui sunt, qui ex vineis plus vini colligunt, quam capere unius fere provinciae dolia possint? Colligunt Herbipolenses. Si de Vienna dicere aliquid ad stuporem vestrum vellem, dicerem ea in urbe non pauciora aedificia sub terra quam supra terram inveniri, quod ibi tam spatiosae vinariae sunt cellae. Dicerem quotidie quam plurimas ovorum et cancrorum quadrigas, nec illas tantum, sed panem pistum, carnes, pisces, volatilia sine numero eam in urbem advenire, et tamen, ubi advesperascit, eorum omnium nihil invenitur. Delectantur cerevisia Belgae, Germaniae cerevisia non deest. Immo vero, quae optimo cum vino conferatur, Rostochii est, Brunsuici, Zervestae, Torgae, Enbeccae, Breslauiae, Dantisci, Paderbornae, Lubecae est. Nolo iam extollere crocum Austriae, thus et myrram Moraviae, rubiam Silesiae, clastum Thuringiae, glycyrizam Franconiae. Nolo quicquam dicere de suibus Bavaricis, de pernis Vestphalicis, de equis Carstiis, Pomeranis, Hassis, Bohemis, nihil omnino de laudatissimis Germaniae pabulis et armentis. Nota haec mercatoribus sunt, quos profecto si ulla in orbe terrarum provincia, Germania est, quae ad se allicit, in se detinet, a se quam opulentissimos dimittit. Quaeritis, ubi tandem florere apud Germanos mercatura soleat. Linzii, Freistadii, Lipsiae, Bozeni, Argentinae, Norimbergae, Nordlingae, Numburgi. Ceteras nominare urbes non volo. Francofurtum omnium totius orbis nundinarum caput esse, ubi ea, quae cogitari numquam possent, reperiantur, vos omnes iam scitis. Nec ignoratis in Germania saluberrimas iucundissimasque thermas esse, in quas cum Poggius Florentinus incidisset, in novum sese paradisum venisse dicebat. Illic gratiarum sedem, illic amoris

sinum, illic voluptatis theatrum esse. Qui invitare in Italiam volunt, nescio quae rudera et oblitteratam lapidum monumentorumque memoriam commendant. Nihil, nihil est in Italicis istis antiquitatibus, quod Germanicae nostrae vetustati praeferatur. Obsecro, quod victoriarum et trophaeorum recordationem excitant Rhenus et Danubius, per quos et apud quos trecentis annis Romanorum impetus Germani sustinuerunt! Quantam ea loca voluptatem adferunt et ad fortitudinem animum excitant, in quibus victores gentium populi, Gothi, Sicambri, Cimbri, Bructeri, Catti, Suevi aliique innumeri aliquando habitaverunt! Quid non virtutis quodammodo inspirant monumenta Harminii belicosissimi, Caroli invictissimi, Rolandi pugnacissimi, Henrici gloriosissimi et aliorum, quos nominare non est opus, heroum fortissimorum! Quamquam, quoniam formare mores peregrinatio potissimum debet, dico nullam omnino virtutem esse, quam discere in Germania peregrinantes non possunt. Hospitales sunt Germani et huius virtutis laudem a maioribus acceptam gloriosissime tuentur. Probitas illis et gravitas nativae Lipsio teste sunt virtutes. Eorum fides ita nota est toti terrarum orbi, ut plus ponderis sit in dexteris Germanorum quam in aliorum populorum iuramentis. Atque idcirco ad regum principumque custodiam apud omnes fere gentes Germani deputantur. Castitatem et pudicitiam suis moribus, fortitudinem suo nomine, constantiam suo animo sunt complexi. Quas virtutes cum Aeneas Sylvius, homo Italus, consideraret, Hoc agamus, exclamabat, agamus ut Germani potius quam Itali nuncupemur; et si parum possimus, studia tamen nostra eo dirigamus, ut inclitae nationi semper a nobis mos geratur. Aperti sunt Germanorum mores, fucum et omnem reconditi astus speciem oderunt. Ignota illis perfidia est nec odium amicitiae titulo tegunt, sed in amicitia sunt sinceri, et quia verecundiam antiquamque simplicitatem amant et retinent, ingentia omnino scelera non norunt. Adeo etiam libidinis pestem quadam similitudine pudicitiae muliebris aspernantur. Quid de verbis eorum dicam? Simplicitatem antiquam sapiunt et hodiernae sapientiae colores non admittunt. Quid de prudentia? Haec solidis ac maturis eorum iudiciis ita insidet, ut suis rebus cavere optima sciant et alienos errores despicere. Quid de ingeniis? Eorum vivido quodam et excitato acumine felicitas est talis, ut ad laborum aeternitatem sint robusta. Qui plura hodie quam Germani scribunt? Qui maiorem quam Germani ex editis voluminibus famam aucupantur? Olim qui a bellarum feritate non procul aberant Germani, hodie omnium sunt litteratissimi. Testis est ex Gallia Bodinus. Hodie, inquit, in tantum Germani profecerunt, ut humanitate Asiaticis, militari disciplina Romanis, religione Hebraeis, philosophia Graecis, geometria Aegyptiis, arithmetica Phoenicibus, astrologia Chaldaeis, opificiorum varietate populis omnibus superiores esse videantur. Testis est Paulus Jovius. Litterae, inquit, non Latinae modo, sed Graecae et Hebraicae in Germanorum terras fatali commigratione transiverunt. Neque enim contenti illi sua vetere militiae laude, qua Martium decus Romanis, gentium victoribus, ereptum est, sed etiam stabili disciplinae severitate feliciter illud tuentur et ipsa pacis ornamenta, litteras optimasque artes, decoquenti Graeciae et Italiae dormitanti — quod pudeat — abstulerunt. Unde danda mihi haec dicenti libertas est, ut vere exclamem omnis eruditionis emporium Germaniam esse, ex qua, qui studiis operari peregrinus voluit, semper doctissimus et sapientissimus recessit. Quid, quod in Germania paene plures quam in reliqua Europa academiae florentissimae numerantur? Non ego illas numerabo, non Coloniensem, Moguntinensem, Trevirensem, Viennensem, Ingolstadiensem, Friburgensem, Dilinganam, Regiomontanam, Pragensem, non alias, quae supra viginti adhuc sunt et in quibus summi mathematici, facundissimi oratores, philosophi et theologi subtilissimi, iurisconsulti clarissimi et medici expertissimi, in omni denique republica litteraria principes quidam reperiuntur. Quibus omnibus accenseamus sane Lovanien-

sem academiam, illustrissimum Germaniae inferioris decus, quae sola nominis sui fama et antiquae disciplinae custodia ita dignitatem suam tuetur, ut invidere illi tantum possint, non reprehendere, qui splendorem eius aequis animis non ferunt, ut, inquam, ad eius lucem, quam illi duorum saeculorum labor indefessus peperit immortalitatem, invidorum oculi tantum caligent. Digna illa profecto orbis amore, quem vel sola virtutibus et scientiis omnibus potest ornare et cuius studium catholicae religionis est propugnaculum. Enimvero cum Germania peregrinantibus omnes sapientiae partes abunde tradat, tum ipsi politicam omnem prudentiam sola in Germania sibi possunt comparare. Hic est Caesarea summi imperii aquila, hic Imperatoris aula, hic tot principum ac ducum palatia, hic Spirensis augustissima imperialis iustitiae curia, hic tot liberarum civitatum sanctissima tribunalia, in quibus omnibus locis si vel ad brevissimum tempus peregrinantes commorentur, omnes perfectissimae administrationis rationes addiscent. Summa equidem est in Germania monarchia, sed et sub illa et aristocratiae et democratiae. Nihil arbitror iam restare, quominus in Germaniam peregrinari omnes omnino concupiscant. Nec movere quenquam debet, quod immensam bibendi cupiditatem ceterae gentes Germanis attribuant. Confitentur ipsi hoc vitium, sed ita confitentur, ut illud aliis gentibus commune esse non ignorent. Multum hodie profecto et libenter omnes bibunt. Quapropter ut aliquando tandem concludam, cum videre Galliam, adire Italiam, lustrare Hispaniam liceat, tum in Germaniam potissimum est peregrinandum. Dixi.

Germani mores cum eius laude:

Germanus comis, clemens, sincerus, honestus,
  Convictu gaudens, hospitibus facilis.
Aequali sociis haustu mera vina propinat
  Respondetque itidem munere, Bacche, tuo.
Est lepidus salibus, lingua facieque venustus,
  Arguta solers dexteritate valet.
Nil simulans, simplex et rectus pectore apertus,
  Providus et prudens consilioque bonus.
Morum etiam gravitate suos sic temperat aestus,
  Ut praeceps levitas nil loci habere queat.
Insignis bello ac armis animoque virilis,
  Audax atque alacris, servat amatque fidem.

Adulti Latine Discentes

Secundum „Latein für Erwachsene" in comm. menstr. „Die Volkshochschule", 1909, p. 131 sqq.

scripsit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

Juvat dicere studium ingenii litteris excolendi apud nos increbrescere et magis magisque augeri. Nam etiamsi aetas nostra in quaestibus et divitiis comparandis plurimum operae consumere amat et hodierna vivendi ratio condicionibus obnoxia est gravioribus, tamen in magna parte eorum, qui in vitae cotidianae discriminibus haud parva necessariarum rerum inopia laborant, cognitionis et scientiae cupiditas inest ac nova discendi desiderium. Hac ex re sola intellegitur omnia instituta, societates, consociationes, quae membris suis atque hospitibus scholas litterarum et auditiones ad sensum popularem vulgaremque accommodatas praebent, numerum audientium videre usque crescentem.

Sic factum est, ut etiam academia Humboldtiana, maxima illa schola Berolinensis, quae iam per nonnullos annos vulgo erudiendo operam navat et multos praeceptores spectatissimos sibi conciliavit, lectionum suarum fines valde propagare potuerit: philosophiam, litteras, artes technicas, doctrinam de rerum natura, medicinam — ne longum fiat, paene quodvis disciplinarum genus in munium eius serie invenimus. Sed linguis quoque, et vivis et mortuis quae vocantur, auditores instituuntur, ac mirandum sane est, quantus discipulorum discipularum-

que numerus Latine potissimum discendo incumbat.

Introeamus igitur hora vespertina sexta et dimidia gymnasium reale, quod a Dorotheae vico nomen ducit. Ibi auditorium non ita amplum videmus refertum hominibus ad discendum propensis; scamnis non sufficientibus sellas a famulo apportari opus erat. Institutio commodum incepit; primum Latine docentur adulti, qui promiscue permixti assident: vir non minus gravitate quam barba cana insignis iuxta adulescentem imberbem, puella subridens prope matronam vietam, sperantes et desperantes, laete prospicientes futura et praeteritis curis fatigati in iisdem aedibus consociati. Feminae modeste ac sine ulla placendi cupidine vestitae sunt, capillorum habitus est simplex — capitis tegimentum ad nova ollarum exempla compositum frustra quaesiveris. Aetates audientium haud scio an sexto decimo et quinquagesimo anno terminentur. Nec desunt quorum vultus lassitudinem laborum referant; attamen acriter spectant oculi, quippe cum praeceptoris vigor transfundatur in auditores.

Hic praeceptor, professor Arminius Sachs, unus ex praestantissimis philologis Berolinensibus, quo modo discipulorum animi capiantur ac delectentur, apprime callet; quapropter materiam ieiunam aridamque vino perfundit novae rationis, oblectationis dico et hilaritatis. Primum quidem non postulat, ut discipuli per vim, ut ita dicam, infigant memoriae vocabula; immo statim in medias res progrediens e Caesaris libro de bello Gallico dimidiam periodi primae partem: „Gallia est divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgae" audientibus recitat. Tum praeceptor, vir statura subrotunda, lepido calvitio, oculis duplici vitro armatis, discipulos hortatur, ut ipsi legant illa verba, quoad omnes rem teneant. Curat etiam diligenter, ne perperam verba pronuntientur. Deinde quae sunt lecta ad verbum sic vertit: „Gallien ist geteilt in Teile drei, deren einen bewohnen die Belgier" — discipulis aures erigentibus obiter narrans antiquis temporibus Galliam constitisse e Belgica, Batavia, Francogallia. Quo facto ratione ad intellegendum facillima singulas enuntiati voces persequitur, vim earum ac naturam exponit, in substantivis declinationem, in temporalibus verbis coniugationem interpretatur, flexionibus syllabarum extremarum in tabula scriptis assidua cum patientia et festivitate omnes deinceps discipulos vocabula casibus immutare, verba per tempora transducere iubet. Hac sesquihora unumquemque ter saltem ordo vocat. At iam primis in scholis hebetes, qui sunt pauci sane, ab intellegentibus internoscuntur.

Ex discipulis unus viginti quattuor vel quinque fere annos natus rem, quamvis perspicua et aperta praebeatur, capere utique nequit: imprimis vocis Galliae casum accusativum, quamquam ultimae syllabae creta crassa scriptae in tabula conspiciuntur, omnis intellegentiae expers perpetuo corrumpit. Cui praeceptor leniter arridens „tuus accusativus" inquit „mi bone vir, a meo dissentire videtur" et puellae flavicomanti, quae iuxta sedet, „te, muliercula mea, melius mecum consensuram spero" — et illa capite elato protinus „Galliam".

Haud lente porro pergitur: proferuntur verba nova, velut ornare, schmücken. „Carissimi" ait professor „memineritis velim vocum „Ornament, Schmuck". Quo facilius vocabula Latina memoriae infigantur, etiam Francogallica lingua adhibetur atque exempli causa ‚bonus' cum ‚bon' comparatur.

Denique extersis syllabis, quae in tabula scriptae erant, discipuli vocabula memoriter immutare iubentur. „Si quid" inquit paedagogus qua est benevolentia „e memoria vestra exciderit, vos alium alii succursuros esse puto" — cohortatur igitur contra scholae disciplinam ad insusurrandum, quod alioquin facere discentes poena proposita vetuntur. „Hem, hem, vir doctissime!" praeceptori urbanissimo auditores respondent sensim ac summissime ridentes.

Nihilo tamen secius haec animorum hilaritas studiorum serio non est detrimento. Jam a discipulis e thesauro parvulo vocabulorum in hora col-

lecto periodi parvae cunctanter quidem, sed recte vertuntur. Quin etiam schola finita non est quod dubitet professor suadere discipulis, ut verbis Latinis domi transferant lepidissimum hoc enuntiatum: „Ihr seid fröhlich, o Mädchen, denn die Königin schenkt der Schule einen grossen Wald.“ His in verbis quamquam vis comica inest non voluntaria, tamen rem non minus discipulis quam praeceptori laudi esse putaverim.

Peracta hac lectione, quae spectat ad initiandos litteris auditores atque hanc ob causam gratiis praebetur, discipuli chartas in academiae tractatorio solutas subscribunt, in quibus praeter alia quo quisque officii munere fungatur describitur. Amplius sexaginta viri feminaeque se professi sunt auditores, in his plus quindecim ludi magistri et magistrae. Hae enim lingua Latina carere non possunt, quia id agunt ut admittantur ad auditiones, quae in Lyceo Victorianeo ad edocendas praeceptrices superiores habentur; earum collegae masculini generis Latine discant necesse est, ut facultatem in scholis mediis docendi adipiscantur. In reliquorum numero inveniuntur mercatores, rectrices bibliothecarum futurae, scholae realis superioris alumni, quibus, cum postea in universitate litterarum studiis sint incubituri, scientia Latinae linguae opus est, officiales magistratuum nec non — — matres. Videmus scilicet matrum amorem, quem omnia posse nemo est qui nesciat, ne in arcana mortuae quidem linguae penetrare vereri, ut filius quartae classis postero tempore discipulus etiam in pensis domi absolvendis uti possit auxilio materno. Nihil autem nisi discendi cupiditas laude sane digna ad litteras Latinas colendas incitat fabros, machinatores, — mulieres privatas aetate iam seniores. Alacriores quam schola fuerant incipiente atque discendo excitati omnes ex auditorio decedunt.

Carmina

Oratio festa

E „Foliis Volantibus“ vertit **J. M. Hoogvliet.**

Latronum turbae, Catilinae robora, postquam
Jam tibi devictae, Roma, dedere manus,
Consensu summo populi vox atque senatus
Decrevit festum militibus reditum.

. . . .

Jam prope rugosum veteranum corticis instar
Solibus extosti, dicere nil avidum,
Assidet en lautus juvenis perfusus odore
Eloquiique levis regibus arte placens.

„Ah! liceat mihi nunc te spargere laudibus amplis!
Quid non durastis! Nulla mali requies.
Perque imbrem atque gelu tempestatem atque calores
Tecta dedit coelum saxaque nuda torum.

Vobis nunquam animum vulnus domuere famesque,
Omnia desperans dum petit usque latus
Extremos casus hostis tentare paratus —
Juppiter! infandum vos subiistis onus!“

Ille refert: „Ohe!“ senior, precor, ah, bona verba!
Ne lauda nimium! dura . . . sed officium . . .
Jam tamen — hic misere fundit suspiria miles —
Durius his instat . . . rostra subit Cicero!“

Vindemia

Amico Meo Mopso

Jam pater Autumnus praedulces ingerit uvas
Grataque poma manu.
Fervet opus: plenis spumat vindemia labris,
Ambrosiusque liquor
Expressus dimanat per sudantia praela.
Omnibus unus amor:
Vasa alii accipiunt, carpunt aliique rácemos
Vite sub ărborea.
Adducunt alii currus, certant et obesos
Increpuisse boves.
Hi radunt lintrum summo de gurgite spumas,
Hi nova musta cadis
Certatim infundunt, perfusi munere Bacchi
Laetitiaque fremunt.
Evohe et exululans rauco ferit aethera cantu
Rustica turba: choros
Agrestes repetens, laetos repetensque susurros
Per loca pampinea.
Vinea sed nostra afflicta, eheu! grandine squalet,
Mopse, nec, ante quidem
Fertilitate potens acinum servavit edendum
Ipsa mihi misero!
At tibi succrevit foetis de vitibus uva;
Pomaque villa tulit.
Ipse mero solus caream? perfundam pocula lympha?
Parce malo immerito! . . . .
Si me fallit humus, Mopsus non fallat, et uvas
Mitte supervacuas.
Mitte vel electis pomis, bone Mopse, sodali
Plena canistra tuo . . . . .
Hoc alio nostrae vincire videbere nodo
Nomen amicitiae . . . . .

Aquilae in Vestinis A. Nardis

Hartlii de ‚Perfect' lingua schedula, quae culpa typographi superiore etiam exciderat numero, nunc tandem, quod quidem speremus, in manus lectorum perveniet.

Editor

Quis potest mihi paucos in dies commodare:

Bomhard, Lusus aliquot dialectici. Progr. 1830.?

Red.

Festo Christi Adventante

ecquod melius, utilius, iucundius excogitari possit donum, quam unus ex Scriptoris Latini vel, qui praecessit eum, Civis Romani annis? Pretia variant inter tres et quinque marcas, septimus annus, octo constans numeris, nunc venit 2.50 M.

Red.

Cantica Christiana

latine vertit

Hermannus Hansen*)

Suspirium Columbae

Inter lilia et rosas
Speciosas
Ambulabis, anima;
Sursum portas ad pàtentes
Et splendentes
Margaritis evola!

Vadam, abeam ad chorum
Angelorum,
Agnum qui perpetuo
Cum hominibus beatis
Et salvatis
Dulci laudant iubilo!

Sume remos, pulsa proram
Versus oram,
Frater primogenite,
Inque portum, ubi tutus
Et solutus
Omni sim formidine!

Ecquid rerum terrenarum
Tantularum
Meum tangit animum?
En aerumnas linquam horum
Aspretorum
Coeli intrans atrium!

O mi Jesu, fidem veram
Et sinceram
Tuae da columbulae
Avolanti ex caverna
Ad superna
Te videndi cupidae!

O quam miro illa hora
Nostra ora
Implebuntur gaudio!
Somniantes Tu nos salvas
Mortis valvas
Perrumpendo subito.

Quod sublata sunt peccata,
Sit fugata
Omnis trepidatio;
Mortis morsum non timemus,
Resurgemus
Laeti ex sepulcrulo.

Hic et illic Te laudabo,
Te amabo,
Agne, flagrantissime;
O mi agne, fac Te cernam,
In aeternam
Gloriam me suscipe!

Precatio in Christum

Adesto nobis, Christe,
Cum Tua gratia,
Ne nobis hostis iste
Obsit astutia.

Adesto, consolare
Nos evangelio,
Da bonum salutare,
Redemptor, populo.

Adesto cum splendore,
O Lux clarissima,
Nos muni ab errore
Et nos illumina.

Adesto fortunando
Nos, Rex ditissime,
Donis locupletando
Tuos largissime.

Adesto nos defendens,
Dux fortis belliger,
Ne hostis nos prehendens
Evertat letifer.

Adesto, o fidelis
Deus et Domine,
Corroborare velis
Nos omni tempore.

*) Socius noster, qui Lutherani pastoris munere fungitur in insula Pellworm, cum feliciter se expertus est vernaculo carmine, tum latinae poesi tantam operam dedit, ut novorum quoque lectorum dignus videatur attentione. Quid possit, hi monstrant versus ex germanico translati, qui iidem alterius confessionis fidelibus, cuius saepe admirati sumus poetas, evangelicam ecclesiam nequaquam pulchris carere carminibus probabit. Cum in animo sit, triginta fere canticorum modico pretio publicare, ab omnibus, qui nominis sui subscriptione libellum se empturos profiteri velint, enixe petimus, ut sine mora nos faciant certiores.

Hymnus in sanctissimum mysterium Cenae Dominicae

Sponsa, indue candorem,
Pone luctum et dolorem
Et in lucem provola,
Nam amicus adventavit
Et ad cenam invitavit
Voce te blandissima.

Sponso tuo adventanti
Atque ostium pulsanti
Laete portam resera,
Laete Illum amplexare,
Exsultanter osculare
Summa cum laetitia!

Gemma pulchra, o mi Jesu,
Manna coeli dulce esu,
Nihil Te est dulcius,
Nemo Tecum comparatur,
Nil in terra indagatur
Usquam pretiosius.

Quam ardenter Te cupivi,
Vehementer esurivi
Tuum cibum appetens,
O quam saepe lacrimabam,
Quando Te desiderabam
Potum vitae sitiens!

O miraculum infandum,
Sacramentum admirandum,
Angor quo et gaudeo!
Nunquam sensus penetrabit
Neque causas explorabit
Tanto in mysterio:

Christi corpore sacrato
Panis forma occultato
Vescitur ecclesia,
Et aluntur, quando ore
Vinum hauriunt, cruore
Domini tot milia!

O mi Jesu, Rex honorum,
Divinorum fons amorum,
Te adoro cernuus!
Quando edo, quando bibo,
Fac ut digne vescar cibo
Mihi dato coelitus!

Corpus Tuum obtulisti
Sanguinemque profudisti
Crucis in patibulo:
Magnum hocce sacramentum
Tuae mortis nutrimentum
Sit vitale animo!

Jesu, vere vitae panis,
Fac ne redeam inanis
Tuo a convivio;
Fac ut olim commensalis
Tuus sim in coelo, qualis
Hic in terra fuero!

Nuntii Menstrui

Mensis November

9. Concilio **Germanorum** gubernium nota facit, quae illos inter et Francogallos convenerunt de Mauretania et colonia Conginensi. Pactum est, ut Germani accipiant ducenta et septuaginta quinque milia chilometrorum quadratorum i. e. Camerunensis provincia dimidia fere parte augeatur; Francogalliae contra libera imposterum erit agendi ratio in Mauretania et amplificatio possessionis tum prope Cameruniae fines tum in Togo colonia.

Primus civitatis **Britannicae** minister promisit legem, qua unicuique adulto suffragium impertiatur; an idem ius etiam mulieribus sit concedendum, publici esse concilii diiudicare.

Vias ferratas **Pekiniam** ferentes omnes in potestate seditiosorum esse nuntiantur.

Ex **Helgolandia** de vehementissimis procellis afferuntur nuntii, quae non solum ferreas machinationes ad propugnacula nova aedificanda exstructas deleverunt, sed et causa erant, ut partes insulae fluctibus abluerentur navesque et nautae maximum in periculum adducerentur.

Berolino: Principem heredem narrant vehementissime commoveri ob indignam quam dicat cum gubernio Francogallico pactionem ipsumque Imperatorem, ne peior res evadat, adiuvantibus fratribus velle adire. Imperatrici etiam hoc consilium dicitur probari.

Apud **Tunetem** indigenae geometras Francogallicos adoriuntur coemeterium Arabum dimetientes. Ad arma atque pugnam res pervenit, cui plus decem milia Africanorum interfuisse dicunt, non sine aliqua utrimque hominum iactura.

In concilio **Saxonum** unus ex popularibus civibus, qui se democratas sociales vo-

cari volunt, deligitur; qui propraesidis munere fungatur.

Nankinia, cum numerus militum non sufficeret ad urbem diutius defendendam, seditiosis se dedidisse nuntiatur. Vicarii principis uxor cum vidua Imperatrice et Imperatore Mukdenum effugit.

Josephus Smith, propheta **Mormonorum,** septuagesimum alterum agens aetatis annum vita decedit relictis viginti uno filiis totidemque filiabus quinque ex feminis natis.

10. Imperii **Germanici** cancellarius exspectatam suam de Mauretanensi convento habet orationem. Tum singularum factionum duces iisdem de rebus dicentes miro consensu acta gubernii reprobant atque condemnant. Optimatium imprimis qui defendit causam, Germanico nomine indignum pactum esse proclamans pristinam patriae suae virtutem minacibus saepe usus verbis ostentat. Quem attente audiens, Gulielmi Caesaris filius successioni imperii destinatus, dum immemor dignitatis suae modo plaudendo modo annuendo ex cubiculo suo sese probare oratoris sententiam significat, omnium, qui adsunt, oculos ad se convertit.

In **Bavarorum** concilio centrici qui dicuntur delecti politicis inducti causis publicorum commeatuum ministro inimicitias indicunt.

Exterorum negotiorum in **Francogallia** minister, de Mauretanensi quaestione sententiam rogatus negat, si non omnino pactum respondeat optatis, gubernium esse ullo modo reprehendendum; illud enim omnia esse, quae a Germanis potuerint impetrari.

Dicunt sultanum **Mauretaniae** publice se in tutelam ac patrocinium Francogallorum tradidisse.

Mexicani gubernii copiae nova cum seditiosis proelia ineunt.

De **Tripolitana** expeditione affertur Italos apud Suk-el-Djuma magnam cladem accepisse.

Principi **Britannorum** ministro ab octoginta fere concilii delectis litterae traduntur, quibus exponitur, quantum intersit bene res inter se Germanosque convenire. Opus esse illos edocere neminem eorum, qui Britannicae reipublicae praesint, vitio dare Germaniae aut obstare, si dignum sua magnitudine appetat inter gentes locum. Quod ipsi amicitiam Francogallorum sequantur, nihil impedire, ne cum Germanis quoque in gratiam redeant, quos recentissima ob eventa confidere Britannis paene desiisse.

11. **Turcae** litteris ad omnes, quae Haagensi olim conventui intererant, civitates missis flagitant, ut Italorum in Arabes crudelitati intercedatur. Eadem res in maioribus totius orbis actis diurnis vehementissime agitatur. Inter alios Adolphus Krause, vir de explorandis gentium Africanarum linguis meritissimus, graviter Italos accusat, quod se absente domus suae, quae Tripoli est, portis effractis libros, schedulas, manuscripta multasque alias maximi pretii res et copias partim abstulerint, partim per vias disperserint atque delerint.

Exterarum gentium acta publica dicunt cancellarium **Germanicum** parum prospere successisse in consiliis, quae secutus sit, defendendis. Si populus ipse de pactione Mauretanensi diiudicasset, illud uno consensu fuisse repudiaturum.

12. **Tunetem** ob frequentiores Arabum tumultus militari obsidione coerceri oportuit.

Apud Sinenses qui cum Imperatore faciunt **Nankinia** potiti omnes ante adversarios concidunt. Multa milia incolarum Shanghaiam, quae quieta est, confugiunt, ut ibi domicilia collocent.

13. Finita in concilio **Germanorum** de Mauretania disceptatione et ipsum pactum et quae eo spectant proposita iis committuntur, qui publice accepta expensaque cognoscere solent.

Legitur in quibusdam actis diurnis Berolini prodeuntibus **Britannos,** quorum plurimum intersit, pacem cum Germanis atque amicitiam servare, multa his velle circa colonias concedere, imprimis eos in agris suis continuandis, quantum possint, adiuvare. Praeterea in animo esse, qui concilii sint Germanici, in Britanniam invitare, ut, si qua fuerit inter utrosque dissensio, communi ac publica actione tollatur.

Rex **Britannorum** cum uxore privatis curribus Londinio Magnum Portum vectus navem, cui nomen Medina, conscendit Indiam versus iter facturus.

An recte fecerit princeps **Germanorum** heres, quod dissidere se in re publica palam ostendit, multum ac varie in maximis Europae foliis diurnis disseritur.

Berolini frequentissimae fiunt contiones, a popularibus convocatae, ut populi pacis servandae voluntas propalam demonstretur. In his praeter notos plebi concionatores ex Belgio quoque, Francogallia, Britannia, Austria missi verba faciunt, qui postquam dixerunt, communi sententia statuitur Italicum bellum vehementer esse improbandum.

In **Francogallia** qui exteris praeest negotiis minister, a popularibus suis graviter incusatur, quod non intercesserit Hispanis Larrash et Elksar oppida capientibus. Reperitur in causa esse unum ex ministerii officialibus, qui male illum et insufficienter informarat.

Constantinopoli: Germanorum et Francogallorum apud Turcas legati declarant sese, quod Itali Tripolim possedisse dixerint, nihil curare.

Wutingfang, ut extera liberae **Sinensis** reipublicae curet, designatus dicit brevi tempore ex omnibus, quae in seditione sint, provinciis Shanghai in urbem conventuros, a quibus idonei ad varia administrationis munera viri nominentur.

14. **Francogalli** alteras duas naves in Mauretaniam Tingitanam mittunt.

Persici procurator regni ob exortam cum Russis simultatem cum suis in regenda civitate administris muneribus se abdicavit.

Nuntiatur **Roma** classem Italicam ex Aegaeo in Mediterraneum mare reverti iussam esse, id quod alienae cuiusdam civitatis admonitione factum esse suspicantur.

Juanshikai **Pekiniam** advenisse fertur.

Germanico consule adhortante **Itali** quaestionem instituunt de domo Krausii a militibus vastata.

Russorum **Teherani** legatus gubernio Persarum denuntiat, si, quod poposcerint, non concedatur, nihil iam fore inter se rationis.

Parisiis: Mulla aeronautes Remis biplanata, quam vocant, navi aerea cum quattuor hominibus profectus una hora spatium pervolat centum et decem chilometrorum itaque omnes toto orbe volandi artifices celeritate vincit.

Bavarorum concilium a principe dimittitur.

In lite, quam Luisa de Coburg de Leopoldi regis hereditate instituerat, iudices nimium illam idque iniustis vindiciis petere declarant. Ex argumentis confirmandae sententiae causa allatis elucere videtur regem nihil aliud in Congirensi colonia condenda spectavisse nisi ut terrae suae opes atque divitias augeret.

15. **Berolino:** In collegio, quod de Mauretanensi deliberaret pactione, constituto res de novo incipitur disceptari. Convenit tandem, ne quam coloniam aut ullius coloniae partem acquirere vel alienare gubernio liceat nisi praevia concilii Germanici permissione. In finibus regundis legem non valere statuitur. Creditur gubernium postulata esse concessurum.

Edicto Imperatoris **Juanshikai** omnibus circa et intra Pekiniam copiis praeficitur.

In **Sinensi** republica qui externas interim res curandas suscepit, ad peregrinos Shanghai in urbe habitantes, quos amicos appellat, publice litteras mittit, quibus omnes e Mandshu progenie principes imperium deponere oportere scribit.

Constantinopoli telegraphice nuntiatur Italos, priusquam ipsa Turcarum maria classe aggrediantur, ab imperio Turcico quaesituros esse, an illi se Tripolitanae terrae dominos agnoscere velint.

Regni Sinensis partem, quae **Mandshuria** vocatur, suo in posterum iure usuram esse nuntiatur. Quies ne turbetur, severis legibus impediri; praeside Liantsishao, quo auctore mutatio rerum facta sit, a viris novum ordinem inducentibus cotidie fere consilia habere, ut novum regnum sine sanguine constituatur. Eundem virum toti posthac reipublicae praefuturum esse credunt.

16. **Americani** milites in Sinam mittere constituerunt, quod vellent, quae olim, cum Boxers qui dicuntur seditiosi impugnarentur, in se recepissent officia, praestare: timendum esse, ne Pekinia maritimis commeatibus excluderetur.

In concilio **Austriaco** magni fiunt tumultus, quod Stuergkhius praeses gubernii nomine profitetur se sine Hungarorum consensu veterinariis vetantibus permittere non posse, ut carnes ex Argentina importentur. Minacibus delectorum verbis lacessitus contione decedit.

Dicunt **Italos** classem duodeviginti navium in Hellespontum deduxisse; alius contra rumor est extra Tripolitanam terram bellum gerere illos minime velle.

Augouardus, catholicarum missionum apud **Conginenses** episcopus, de altera Mauritanensis pactionis parte rogatus, dicit nihil nisi paludes utrosque inter se commutasse; mox diem venturum, quo melius cognito terrarum statu Germani vehementer conquerantur.

Russi ordinandae, ut dicunt, provinciae causa copias **Taebrim** mittere pergunt.

In quibusdam actis **Britannicis** aperte scribitur mense Septembri classem paratam fuisse ad impetum Germanorum exspectandum; magistros navium longarum iam retia suspendisse, quibus hostium naviculae iaculatoriae captarentur.

Incerti afferuntur nuntii Germanos inter Hispanosque agi coepisse de Rio Muni regione Germaniae cedenda.

Adrianopoli magnum exoritur incendium, quo quarta fere pars urbis vastatur.

17. Cardinalis Fischer **Coloniensis** dioecesis suae fideles edicto praemonet, ne se ipsos neu mortuos suos iubeant cremari; istam enim consuetudinem omnino ab ecclesiae christianae institutis abhorrere.

Florentia nuntiatur litem Luisae de Toscana cum uxore Tosellio de divortio agentis exeunte mense Novembri diiudicatum iri.

Turciam qui regunt, amicitiam Germanorum de integro videntur reconciliasse, quod eo factum esse dicunt, quod Germani, publica quamvis opinione obstante, impetrarint, ne Itali ex urbibus Turcicis emigrare iuberentur idque consilium multum contulerit ad auctoritatem Turcarum peregri confirmandam.

Romae animi civium sollicitatiores; ferunt moleste, quod classis Italica, pugnae utique expers, e portibus exire cunctatur. Quidam affirmant Italos magnam pecuniam persoluturos, si Turcae Tripolim sibi cedere consenserint.

Magnae copiae Sinenses contrahuntur **Nankiniam**, ubi proelium inter seditiosos et imperiales quae dicuntur milites fore putatur. His enim qui praeest, opportuno loco potitus plus viginti milia sibi praesto esse dicit, quibus facile Tshingkiang, Sutshau, Shanghai urbes possit recuperare. Sed seditiosi quoque, ad quos multi adversariorum transierunt, victis Imperatoris copiis progrediuntur et prope Hankau videntur pugnam commissuri.

Ex multis **Germaniae** inferioris regionibus nuntii afferuntur de gravioribus terrae motibus, quibus homines haud parum terrentur.

18. Kiderlen-Waechter, exterarum apud Germanos rerum minister, secretius familiariusque agens cum viris de pactione Mauretanensi deliberantibus exponit nullam esse causam de gubernio querendi; nihil praetermissum esse, quo, quae Germani poscere potuerint, impetrarentur.

Libri libellique censurae causa missi:

F. X. Reuss, Tentamina Poetica. Romae typis Cuggiani CMCX. VIII + 359. 1.50 frc *

I. M. Meunier, Traité de la Prononciation Normale du Latin. Paris, Ch. Poussielgue, 1909. VII + 41. Pr. ?

P. Beudel, Qua ratione Graeci liberos docuerint, papyris, ostracis, tabulis in Aegypto inventis illustratur. Diss. Monasterii Guestfalorum e Typographia Aschendorffiana MCMXI. 68.

Pistner - Stapfer, Kurzgefasste griechische Schulgrammatik. I: Formenlehre. München, J. Lindauer, 1909. 2 Aufl. VIII + 96. 1.60 M.

— II: Syntax. Ibidem 1911. 2. Aufl. VI + 88. 1.50 M.

Pistner-Lang, Übungsbuch zum Übersetzen aus dem Griechischen in das Deutsche und aus dem Deutschen in das Griechische. I: Das Nomen und das regelmässige Verbum auf ω. Ibidem 1908. 5. Aufl. IV + 178. 1 80 M.

— — —. II: Verba liquida, Eigentümlichkeit. v Verb. auf ω, Verba auf μ, Verba anom., unreg. Verb. auf ω. Ibidem 1910. 5. Aufl. 172. 2 M.

J. G. Sprengel, Die neuere deutsche Dichtung in der Schule. Frankfurt a. M., M. Diesterweg, 1911. 88. Pr. 1.20 M.

L. Alotte, Eau vivante et Nuages créateurs. Poésies. Paris, G. Ficker. 16. Pr. ?

F. Hartmann, Die Wortfamilien der lateinischen Sprache. Leipzig, Velhagen u. Klasing, 1911. VI + 436 (Spalten). Pr ?

A. Fetz u. Th. G. Thiele, Was Kinder erzählen! Bremerhaven, F. Morisse, 1911. 152. Pr. 2 M.

Jordan - Schöttle, Ausgewählte Stücke aus Cicero auf biographischer Grundlage. Stuttgart, B. Metzler, 1911. 8. Aufl. XIX + 207, m. Anhäng., Abbild. u. Karten. Pr. ?

*) Nonnisi apud ipsum auctorem venalis. Qui cupiunt librum, editori scribant.

Periodica

Der Bücherwurm. Eine Monatsschrift für Bücher Freunde. Herausgeg. v. Walter Weichardt. 1911, Juli-August: R. Prévôt, Zur Elsässischen Kultur-Frage — W. Weichardt, Deutsche Künstlerbücher — F. Freksa, Zum hundertsten Geburtstag Thackerays — H. Schuler, Der alte und der neue Glaube — August Trinius zu seinem 60. Geburtstage — Besprechungen — Neue Bücher.

Egyetemes Philologiai Közlöny. Szerkesztik Császár Elemér és Láng Nándor. 1911, Június-Július: Gálos Rezsö: Kis János és a német költészet — Kallós Ede, A 306 Fabius hösi vállalkozása — Bagyary Simon, Tacitus és Suetonius mint a császárok történetírói. II., bef. közl. — Braun Soma, Kísérlet Apuleius Metamorphosese eredetének új magyarázatára II., bef. közl. — Hazai irodalom — Külföldi irodalom — Programm-értekezések — Vegyesek.

Archäologischer Anzeiger. 1911, 2-3: Jahresber. d. Kaiserl. Deutsch. Archäolog. Instituts — Archäologische Funde im Jahre 1910 (Griechenland, Kleinasien, Kreta, Italien, Russland, Ägypten, Nordafrika, Frankreich, Belgien, Britannien, Schweiz, Ungarn, Bulgarien, mit 110 Abbild.) — E. Fabricius, Über die Ausgrabungen in Numantia — Institutsnachrichten — Bibliographie — Nachruf für Adolf Struck.

Libri a lectoribus desiderati:

Gedicke Fr., Liber latinus juventuti regni Hungariae accommodatus. Pressburg, Weber, 1825.

Erasmus Rot., Colloquia ed. Stallbaum 2 voll. Lipsiae. Hinrichs, 1828.

Seyffert, M., Aretalogus sive epigrammata. Brandenburg, Ad. Mueller, 1841.

Schmid, Vademecum classicum: Axiomata, proverbia etc. Augsburg, Wolff, 1857.

Lallier, Homeri Ilias latino carmine reddita. Paris, Lecoffre, 1868.

Marinelli P., Homeri Ilias et Odyssea latinis versibus redditae. 2 voll. Ancona (ca. 1870).

Hettlingen, Mors Christi nach Klopstok ins Lateinische übersetzt. Solothurn 1884.

Philippi Fr., Carmina nonnulla Schilleri latine reddita. Venezia 1840.

Schultess Fr., Schiller's Spaziergang lateinisch. Hamburg 1898.

Philippi, Der erzählende Lateiner. Dresden 1829.

Welcker Ph. H., Selecta Schilleri carmina latine reddit. Gotha 1840.

Wölfflin Ed., Carmina latina. Ubi? Quando?

Homeri Ilias graeco-latina.

„ Odyssea graeco-latina.

Luciani Dialogi latine.

Heerwagen, Deutsche Lesestücke mit lateinischer Übersetzung.

Philippi, Kleines lateinisches Conservationslexikon. 1825.

Bodinus, Universae Naturae Theatrum. Lugduni 1596 vel alia editio.

Bodinus, Heptaplomeres. Ed. Noack. Schwerin 1857.

H. Fulda, Griech. Lieder übers. aus deutschen Originalen. Halle 1867.

J. Keller, Die Grenzen d. Übersetzungskunst. Progr. Karlsruhe 1892.

B. Davidson. Syriac Reading Lessons. London, circa 1851.

Langii Colloquia. Ubi? Quando?

Antonii Panormitae Hermaphroditus ed. F. C. Forbergius. Coburgi 1824.

Offerantur velim libri pretiis indicatis Bibliopolae H. Lüstenöder Francofurtensi.

Sententia

Teneamus eum cursum, qui semper fuit optimi cuiusque, neque ea signa audiamus, quae receptui canunt, ut eos etiam revocent, qui iam processerint.

Cicero

Veteres Civis Romani Anni

praeter Ium et IIum

|| omni tempore mandari possunt a redactore. ||

Prima quaeque ad nos data epistula

praeter mittentis urbisque, unde scribit, nomen viae quoque significationem contineat velimus, quibus indiciis si caremus, aut nullum possumus aut tardum dare responsum.

Ed. et Red. S. L.

Ad Lectores:

Coëmi pauca, quae supererant, exemplaria libri ab omnibus recentioris latinitatis amatoribus magni aestimati, qui inscribitur:

Eclogae Latinae e Mureti Ernestii Ruhnkenii aliorumque recentiorum operibus a C. T. Zumptio descriptae quartum retractatae ac suppletae cura H. H. Wolfii. Lipsiae, Ed. Wartig (Ernestus Hoppe), 1885,

eumque lectoribus nostris offero pretio, donec suppeditabit copia, 2.20 M. (pro: 3 M.)

Francofurti a. M. **H. Lüstenöder**

Aenigmata

1

Pacifico, quamquam non ulli dicor amica,
Sollicitas mentes membraque fessa levo.
Litterulam mediam si mutas, ecce sapore
Suavi delecto te puerosque tuos.
Nunc iterum muta: brumali decido coelo
Molliter obvolvens pascua, rura, sata.
Postremum muta: metuit semperque timebit
Me, quicumque frui luce beatus amat.

G. L.

2

Non frater meus est, mea non soror est, mihi crede;
Attamen est et matre mea nec non patre natus.
En age dic mihi, quem dicam, carissime lector!

G. L.

3

Bestia dimidio — conjunctio dimidioque;
Guttur amat totum vite sacra genitum.

N. W.

Ex horum aenigmatum solutoribus unus sortitus accipiet libellum:

Beudel, Qua ratione Graeci liberos docuerint, papyris, ostracis, tabulis in Aegypto inventis illustratur. Monasterii Guestfalorum MCMXI.

Catalogi antiquarii

Antiquarii velim attendant titulos librorum, qui a lectoribus nostris desiderantur, ut, num venales illos habeant et quo pretio, indicare nobis possint.
Antiquariate werden um gefl. Beachtung unserer Desideratenlisten und Einsendung von Offerten gebeten.
Lüstenöder.

F. Meyer, Leipzig — Cat. 103: Klass. Phil. u. Altertumskunde, num. 1—745 (Lat. Schriftstell. u. ihre Erklärer 252—413, Neulatein. 414—425)

G. Fock, Leipzig — Cat. 408: Klass. Phil. II, Altertumsk. u. Archaeol., num. 4201—8241.

J. J. Lentner, München — Cat. VIII: Eine Auswahl wertvoller alter Drucke von 1473—1550. (Auct. Graeci et Lat., Aldina, Incunabula etc.), num. 1—435, m. Abbild.

C. Klincksieck, Paris — Cat. 4 (nouv. sér.): Linguistique des cinq parties du monde, num. 1—1618. (Latin 707—770)

Sententiae latine vertendae:

Bouchers höchstes Ziel ist die Anmut. Er sucht sie nach seiner Art in der Einfachheit. Seine Gestalten haben nicht die grossen Bewegungen und die schwellenden Gewänder der vorhergehenden Zeit. Sie stehen nicht in mächtigen Architekturen und vor schwerem, faltig gerafftem Vorhangstoff; sie wirken nicht durch das Beiwerk; sie haben nicht eine bedeutungsvolle Aufgabe, sie stellen dem Beschauer kein Rätsel. Das Eigenartige an ihnen ist zumeist, dass sie gar keinen eigentlichen Zweck haben, sondern ganz um ihrer selbst willen in einem nicht sorgenfreien, aber doch sorglosen Dasein sich heiter ergehen. Darum sind auch Kinder und kindliche Mädchen ihm die liebsten Gegenstände der Darstellung. Stellte Watteau die vornehme Welt in ihren Gärten und bei ihren galanten Festen dar, so sucht Boucher die Heimat seiner Gestalten auf den Wolken oder in der dörflichen Einsamkeit, unter jenen, über deren leicht besiegbare Harmlosigkeit der vornehme Städter und Hofmann lächelt. Aber all diesen Gestalten ist ein bezeichnender Zug eigen, die Lüsternheit. Boucher ist selten liederlich im gemeinen Sinne, er bewahrt stets die äussere Form, ja er ist sogar in vielen Dingen von leicht erkennbarer Vorsicht. Er hat seine Grenzen, bis an welche heranzugehen ihm gestattet erscheint; und diese sind immer dort gezogen, wo die Lüsternheit in platte Sinnlichkeit übergehen würde. Bis an diese Grenzen aber heranzugehen ist einer der seine Kunst beherrschenden Züge.

Auctor?

Huic penso qui satisfecerit optime, gratis accipiet librum
F. X. Reuss, Tentamina Poetica. Romae CMCX.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem, Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., Baustrasse 10.

Nomina et domicilia

eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Krakow — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prof. Semin., Aquila (It.) — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach (Bay.) — J. Tasset, Tonnerre — C. Thieme, Parochus, Calbeck — N. Woll, Sacerdos O. S. B., Aachen — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

F. Palata, Nugae Metricae (Frankfurt a. M., Hans Lüstenöder, Pr. 1.80 M). Omnes latinae Musae amatores libenter audient Palatam nostrum, qui a primis commentarii huius initiis lectores carminibus suis venustissimis delectavit, suadentibus amicis nunc tandem illa edidisse uno volumine comprehensa. Nam hoc mihi — quamvis multis cum auctore vinculis coniuncto — dicere liceat, quippe quod alii multi iudicarint, Palatam raro esse poeticae formae sensu praeditum. Vertit enim non solum poemata, immo vivit, sentit cum poeta, ut, quemadmodum saepe fit in eiusmodi versionibus, non subtilis numerorum observatio, non elegantia solum orationis capiat lectorem sed magis etiam translatoris cum ipso poeta dolentis vel gaudentis affectus sinceri. Hic translator quasi alter poeta, versio alterum exemplum est. Ceterum libello praeter nota lectoribus nostris carmina nova quoque nec minus laudanda continentur, quamobrem omnibus promiscue possit commendari.

Typographus: Carolus Wiechert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus IX: Numerus II

— Procurant negotia —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
in Russia: K. L. Ricker, St Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. IX   Francofurti a. M., Mense Februario MCMXII   Num. II

Benevolentissimi Lectores!

Vertente anno tam multas accepimus literas bona nobis feliciaque in novum Scriptoris Latini cursum optantes atque ominantes, ut unicuique amicorum eodem modo gratias agere minime possimus. Permittant igitur illi, ut hisce verbis iucundissimo nostro satisfaciamus officio, reddentes vota non minus sincera, cunctos autem socios lectoresque gratulatione nostra coniungentes.

Editor et Redactor

De recentioribus quibusdam merces venditantium ineptiis

scripsit

Fridericus Huch

(DBK)

Quae nostra aetate ad commendandas venditandasque merces pinguntur imagines, nonne tales sunt plurimae, ut, quid pulchrius sit illis quidque perfectius, vix possit cogitari? Neque id mirum: nam hac in re qui operam navant fabricatoribus, magni plerumque nominis artifices sunt satis ampla mercede conducti, quorum opera nobilem quamdam exhibent saepe vel saltem affectant perfectionem. Vident enim hi, quid re pingenda contineatur: hoc spectant, hoc sequuntur, hoc omnem volunt artem suam terminari.

Cui generi picturae aliud quoddam obstitit hisce diebus late iam longeque vagans molestiusque in dies iactans se atque ostentans, quod qui sectantur, nihil, si verum quaerimus, agunt, nisi ut omnes, quae historia nobis, fama, arte traditae sunt, res, facta, personas in risum versas suum ad lucrum revocent. Ut pauca commemoremus exempla: Notissima quaedam fervidi potus fabrica ea se voluit commendari imagine, in qua Fredericus Magnus lagoenas recenset, quae tamquam milites aciem ordinesque constituerunt. Alius pictor Parcifalem depingit, qui manibus in orantis habitum conformatis arcem Gralis conspicit. Haec ipsa lagoenis constat vino Henckeliano impletis. In alia rursus imagine Apollinem videmus spumante poculo notissimae illi Veneri, cui a Milone nomen, propinantem, quae cum bracchiis careat, ore oculisque miserrime depravatis bibere se non posse videtur dolere. Infra autem legitur inscriptio: Venus Tantaleis cruciatibus vexatur! —

Sed iam satis! Quam humiliter sentiant, qui talia pingunt, nemo, credo, est, quin videat. Nec intellegat nemo omnia denique ista posse irrisione ludi atque detrectari. Quid enim est, quod illis artificulis verendum sit, quid, cui parcendum? Immo, quo sanctior res videtur, quo magis veneranda, eo efficacior iocus putatur, qui quidem ad vilissimas semper redire solet facetias.

Ne dixeris haec omnia nemini nocere. Certe nihil Beethoveni laudibus detrahitur, quod personatam eius faciem insertam videmus margini cuiusdam tabulae, qua histrionum, prestigiatorum, cantatricum aliorumque mira artium varietate spectatores delectantium artes praedicantur, nec quicquam Deo detrahunt, qui lignis suis igniferis, ne alii imitentur, cautum esse scribunt sanctae Trinitatis signo unum triangulo inclusum oculum ostendente, quis tamen negabit huius generis ineptiis pietatem hominum vehementissime offendi, praesertim si, quemadmodum prioribus demonstravi exemplis, haec impietas de industria se ipsa utitur ad iocandum? Nonne animus noster similis horto est, in quo, quod nobis inest bonorum memoria vel fama partorum, tamquam statuae, vasa aliaeque res venerabiles servantur? Quem intrantes nulla mali suspicione, nonne moleste feremus, si viderimus quempiam pietatis expertem, quod nobis carum est, conspuendo inquinasse? —

Simili nos sensu eorum spectamus imagines, quos, humilis ut sunt sordidique animi, ne artem quidem quaestui habere pudet, ut scurriliter iocando magnorum hominum detrahant dignitatem. Nec tamen incusandi sunt, qui ephemeridibus suis edi talia patiuntur: res enim praeter modum lucrosa est et quis non studeat quam plurimum ex negotiis suis lucrari? In causa soli sunt, qui novam pingendi rationem excogitarunt. Qui ut repellantur, nihil, cum lege agere non liceat, relinquitur, nisi ut publice eos palamque reprehendamus.

Lat. vert. L.

De matre et filio in loca sancta Kevelarina peregrinantibus

Secundum Henrici Heinii carmen „Die Wallfahrt nach Kevlaar“
Latine panxit
Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

Sollicitata malis adstat matrona fenestrae:
  Filius aegrotus triste cubile premit.
‚Nonne cupis, Guilelme, toro consurgere‘, mater
  Incipit ‚ut pompam contueare piam?‘
„Cara parens, doleo nimium tantumque laboro,
  Auribus ut caream luminibusque meis;
Exanimis Gretae vicinae sum memor usque:
  Heu, cor amans maeret conficiturque meum!“
‚Surgere ne cesses, fili! Kevelare petamus:
  Sume librum et globulos vota notare datos;
Sancta Dei genetrix sanabit, rite vocata,
  Cordis maerorem tristitiamque tui.‘ —
Festaque iam fluitant de summis lintea templis,
  More sacro vulgi cantica multa sonant.
Hic Agrippinae Rhenana est usus in urbe:
  It per adornatas publica pompa vias.
Hanc sequitur mulier Sanctae confisa Mariae,
  Filius et lugens hac duce carpit iter.
Carminibus populi sua miscent carmina et ambo
  „Laudo te, laudo, virgo Maria“ canunt.

* * *

En hodie Divae Kevelare tuentis imago
  Candida vestitu splendidiore nitet.
Sunt hodie permulta Deae patranda benignae:
  Aegrotorum hominum maxima turba venit.
Quique dolore gravi morbo tristive laborant,
  Suppeditant Matri munera larga Dei.

Imprimis Sanctae donantur cerea membra:
  Hicce pedem fictum dedicat, ille manum.
Nam cuicumque manum libet e cera dare fictam,
  Huic consanescunt vulnera saeva manus;
Et cuicumque pedem libet e cera dare sculptum,
  Huic consanescunt ulcera dira pedis.
Innixi baculis multi Kevelare mearunt,
  Quos nunc in tento currere fune iuvat;
Non nullos audis cithara fidibusve canentes,
  Quis omnes digiti condoluere prius.
Talia commentans candelam femina promptam
  Provida formavit cordis in effigiem.
‚Hanc age, mi fili, caelesti porrige Matri,
  Quae te privabit, crede, dolore tuo!'
Aegrotus gemitu cum tristi filius aufert
  Et statuae cordis porrigit effigiem;
Ex oculis pueri guttae labuntur acerbae,
  Edunt ardentes pectora maesta preces;
‚O benedicta, potens, caeli dulcissima rectrix,
  Sancta Dei genetrix cuncta videntis, have!
O regina, tuo servo permitte petenti
  Dicere maerores tristitiasque suas!
Prisca Colonia me matrem caramque tenebat,
  Qua placuit nobis constituisse lares,
— Haec, non ignoras, supremo mille sacrata
  Exstruxit Domino fana, sacella, domos —,
Et prope nos suavis florebat Greta puella,
  Sed nunc haec misera mortua clade iacet.
Hoc tibi cor fictum pertristis dono rogoque:
  Cordi tu nostro, virgo Maria, velis
Vulneribusque malis et curis, Sancta, mederi!
  Quod si praestiteris, me tibi perpetuo
Praebebo gratum, nec non te rite precabor
  „Laudo te, laudo, virgo Maria" canens.'

* * *

Jam puer aegrotus matronaque tecta paterna
  Quaesierant reduces somniferosque toros,
Cum benedicta Dei genetrix penetralia parva
  Leniter incedens, aeris instar, init.
Aggreditur lectum tristem veneranda caputque
  Demittens pueri pectora maesta manu
Attingit reticens; aegroto postmodo Diva
  Suaviter arridens annuit itque retro.
In somnis miseranda parens haec omnia vidit
  Hactenus invisis territa prodigiis,
Atque excussa brevi iam iam fugiente sopore
  — Nam vigiles clare personuere canes —
Spectavit gnati prostratum flebile corpus!
  Aerumnis vacuus, mortuus ille iacet.
Albam per faciem venientis signa diei,
  Aurorae primae lumina flava, micant.
Implexis manibus, summo percussa dolore,
  Inscia quid videat quid faciatve, parens
Concedens fato suppressa voce pieque
  „Laudo te, laudo, virgo Maria" canit.

Quid „Antiquis" Cicero debuerit

(Laurand, De M. Tulli Ciceronis Studiis Rhetoricis. Paris 1907.)

„Antiquorum" 1) doctrinam se „communibus praeceptis" anteferre Cicero saepe professus est. Neque enim solum in libris de Oratore Isocrateam et Aristoteleam rationem explicare conatus est, sed in aliis etiam operibus Platonem, Isocratem, Aristotelem dicendi auctores praestantissimos esse contendit, neque tam studet nova proferre quam veterum illorum scriptorum de arte rhetorica sententiam e tenebris et oblivione eruere novoque lumine illustrare. „Ego, inquit, me saepe nova videri dicere intelligo, cum pervetera dicam sed inaudita plerisque." 2) Postquam se oratorem non ex rhetorum officinis sed ex Academiae spatiis extitisse confirmavit, haec addit: „Illa enim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum in quibus Platonis primum sunt impressa vestigia." 3) Platonem vocat „non intelligendi solum sed etiam dicendi gravissimum auctorem et magistrum." 4) Isocratem ait „magnum oratorem et perfectum magistrum" multa praeclare et scripsisse et docuisse. 5) Aristotelem queritur a rhetoribus philosophisque plerisque ignorari 6), eius auctoritatem saepe appellat 7); cum eo Theophrastum aliosque „antiquos" 8) coniungit. Itaque si Ciceroni ipsi crederemus, putaremus eum longe plus antiquis illis debuisse quam scriptoribus artis, aequalibus suis. 9) At etiam cum de philosophia disputat, semper in ore Platonem Aristotelemque habet; nemo tamen hodie dubitat quin ab iis non multa sit mutuatus, multo plura a Panaetio, Posidonio, Chrysippo, Clitomacho, Antiocho, aliisque vel aequalibus suis vel paulo superioris aetatis. 10) Itaque ipsi non nimis credendum est; sed diligenter, ex eius scriptis, quid antiquis debuerit, est inquirendum.

§ 1 — Quid Platoni debuerit

Ex Platonis dialogis, duo sunt in quibus de arte rhetorica praecipue agitur, Phaedrus et Gorgias. Hos non dubium est quin Cicero legerit, ita saepe de iis meminit. 11) Sed non omnia quae legerat in sua scripta congerebat; itaque ex iis ipsis libris non multa quae ad artem rhetoricam pertinerent, mutuatus est.

In Gorgia ipsa ars dicendi ita extenuatur ut Cicero, qui eam minime repelleret, hunc librum plane probare non posset. Quod ipse aperte his Crassi verbis indicavit:

> Sed ego neque illis assentiebar neque harum disputationum inventori et principi longe omnium in dicendo gravissimo et eloquentissimo Platoni, quoius tum Athenis tum Charmada diligentius legi Gorgiam, quo in libro in hoc maxume admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus irridendis ipse esse orator summus videbatur. De Or. 1, 11, 47.

Platoni igitur oratores et ipsam dicendi artem eloquentissime vituperanti Cicero non adsentitur; neque id concedit quod in Gorgia Socrates

---

1) Fam. 1, 9, 23
2) Or. 3, 12
3) Or. 3, 12
4) Or. 3, 10
5) Brut. 8, 32
6) Top. 1, 3
7) Inv. 1, 5, 7; De Or. 2, 36, 152; Or. 14, 46 etc.
8) . . . Ut inter omnis constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodecten, Ephorum . . . Or. 64, 128
9) Ita videtur sentire Chaignet: „Cicéron, dont les vues sur l'art oratoire n'ont jamais pris la forme réellement didactique, et qui se rattache par ses principes un peu flottants à Platon et à Aristote" (La rhétorique et son histoire, p. 64).

10) Cf. Hirzel, Untersuchungen zu Cicero's philosophischen Schriften; Schmekel, Die Philosophie der mittleren Stoa, p. 18—46; Thiaucourt, Essai sur les traités philosophiques de Cicéron et leurs sources grecques; aliosque multos qui nuper de Ciceronis fontibus scripserunt, quos enumerare longum est.
11) Cf. Saltzmann, Über Ciceros Kenntnis der platonischen Schriften, t. I, p. 36—39; t. II, p. 1—10; Gloël, Über Cicero's Studium des Plato, p. 7—8; von Heusde, M. Tullius Cicero φιλοπλάτων, p. 207—211.

dixerat, melius de architectura architectum, de medicina medicum quam oratorem posse dicere 12); sed verum perfectumque oratorem putat et rerum scientia et ipsa dicendi arte instructum esse debere. 13)

Phaedro plus sane Cicero debuit quam Gorgiae. Nec mirum: in Phaedro enim iam non vituperatur ars ipsa dicendi, sed vera rhetorica adumbratur. Multa tamen, quae Cicero e Phaedro potuit haurire, apud Aristotelem 14) aliosve qui Platonem secuti erant 15) reperiebantur.

Oratori motus omnes animorum penitus esse pernoscendos Cicero saepe docuit.

> Quis enim nescit maxime vim existere oratoris in hominum mentibus vel ad iram vel ad odium aut dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis? Quae, nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo quod volet perficere non poterit. De Or. 1, 12, 53.

> Quaero enim . . . num admoveri possit oratio ad sensus animorum atque motus vel inflammandos vel etiam extinguendos, quod unum in oratore dominatur, sine diligentissuma pervestigatione earum omnium rationum, quae de naturis humani generis ac moribus a philosophis explicantur. De Or. 1, 14, 60; cf. 1, 5, 17; 1, 19, 87; Or. 4, 15.

12) De Or. 1, 14, 61—63; 2, 9, 37—38. — Cf. Gorgias, p. 455, B.-E.

13) Supra, p. 13—15

14) Notum est Aristotelem in rhetorica ea perfecisse quae Plato in Phaedro (p. 271, A.-B.) explicanda indicasset. (Cf. Thompson, T h e P h a e d r u s o f P l a t o, p. XX; Zeller, D i e P h i l o s o p h i e d e r G r i e c h e n, II², p. 754); Spengel, Ü b e r d i e R h e t o r i k d e s A r i s t o t e l e s, Abhandlungen der bayer. Akad. Classe VI, 1852, p. 467 etc.). Non tamen in omnibus uterque consentit; cf. Schmidt, Q u i d P l a t o d e a r t e r h e t o r i c a s e n s e r i t, p. 30, 31; Berger, D e r h e t o r i c a q u i d s i t s e c u n d u m P l a t o n e m, p. 27.

15) Velut Charmadam (de Or. 1, 19, 87)

Eadem fuit Platonis in Phaedro 16) sententia; ideoque ab eo philosophia arti rhetoricae necessaria dicta erat.17)

Perfecto oratori ingenium, artem, exercitationem esse necessaria, primus, 18) ut videtur, Plato in Phaedro 19) observavit, quod et multis aliis et Ciceroni placuit, qui huius divisionis non modo in libris oratoriis meminit sed etiam in orationis pro Archia principio:

> Si quid est in me i n g e n i i, iudices, quod sentio quam sit exiguum, aut si qua e x e r c i t a t i o dicendi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum, aut si huiusce rei r a t i o aliqua... Arch. 1, 1 20)

Sed cum haec omnia Cicero non solum a Platone sed etiam ab aliis permultis accipere potuisset, nesciremus eum vere Phaedro usum esse nisi ipse id aperte dixisset.

> Nec latius atque copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere: si quidem etiam in P h a e d r o P l a t o n i s hoc Periclen praestitisse ceteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagorae physici fuerit auditor; a quo censet eum, cum alia praeclara quaedam et magnifica didicisset, uberem et fecundum fuisse, gnarumque, quod est eloquentiae maximum,

16) Phaed., p. 271, A; cf. Benoit, E s s a i h i s t o r i q u e s u r l e s **p r e m i e r s** m a n u e l s d'i n v e n t i o n o r a t o i r e j u s q u'à A r i s t o t e, p. 59—60.

17) Phaed., p. 261, A. Cf. Stallbaum, P h a e d r u s, p r o l e g., p. LXXXXIV.

18) Cf. Spengel, I s o c r a t e s u n d P l a t o n, A b h a n d l u n g e n d. k ö n i g l. b a y e r. A c a d e m i e d e r W i s s e n s c h a f t e n, VII, 1855, p. 745

19) P. 269, D

20) Cf.: Atque in eo non solum i n g e n i u m elucere eius videbatis, quod saepe, etiam si industria non alitur, valet tamen ipsum suis viribus, sed inerat . . . r a t i o e t b o n i s a r t i b u s i n s t i t u t a e t c u r a et vigiliis elaborata. Cael. 19, 45. Sed haec quae sunt oratoris propria, quae mihi non propter i n g e n i u m meum sed propter hanc e x e r c i t a t i o n e m usumque dicendi fructum aliquem ferre potuissent... Cael. 22, 54. — Exercitationi fere omnia accepta refert cum se non „declamatorem" sed „laboris et fori discipulum" nominat (Planc. 34, 83). Sed haec coram indoctis iudicibus; exordium vero illud coram humanissimis habebatur.

quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur. Or. 4, 15. Cf. Phaed. p. 269 E.

Haec tractasse Thrasymachum Calchedonium primum et Leontinum ferunt Gorgiam. Theodorum inde Byzantium multosque alios quos λογοδαιδάλους appellat in Phaedro Socrates. Or. 12, 39; cf. Phaed. p. 266, E.

Isocrates videtur testimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere. Est enim, ut scis, quasi in extrema pagina Phaedri his ipsis verbis loquens Socrates: „Adulescens etiam nunc, o Phaedre, Isocrates est, sed quid de illo augurer lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Maiore mihi ingenio videtur esse quam ut cum orationibus Lysiae comparetur, praeterea ad virtutem maior indoles; ut minime mirum futurum sit, si, cum aetate processerit, aut in hoc orationum genere cui nunc studet tantum quantum pueris reliquis praestet omnibus qui unquam orationes attigerunt, aut, si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu maiora concupiscat; inest enim natura philosophia in huius viri mente quaedam." Haec de adulescente Socrates auguratur. At ea de seniore scribit Plato . . . Or. 13, 41. Cf. Phaed. p. 278 E—279 B.

Cur non imitamur, Crasse, Socratem illum qui est in Phaedro Platonis? Nam me haec tua platanus admonuit, quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis quam illa cuius umbram secutus est Socrates . . . De Or. 1, 7, 28; cf. Leg. 2, 3, 6; Phaed. p. 229—230.

Praeter Gorgiam et Phaedrum pauci sunt Platonis dialogi unde Cicero aliquid in operibus rhetoricis expresserit.

Politiam in libris de Oratore se imitatum esse Attico narravit:

Quod in iis libris quos laudas personam desideras Scaevolae, non eam temere dimovi sed feci quod idem in πολιτείᾳ deus ille noster Plato. Cum in Piraeum Socrates venisset ad Cephalum, locupletem et festivum senem, quoad primus ille sermo habetur, adest in disputando senex, deinde, cum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere neque postea revertitur. Credo Platonem vix putasse satis consonum fore si hominem id aetatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego magis hoc mihi cavendum putavi in Scaevola . . . Att. 4, 16, 3.

Propius ad Platonem accessit cum in Oratore perfectae eloquentiae speciem informare conatus est. Tum enim commemoravit esse rerum formas eximias quasdam et perfectas quae ratione et intellegentia continerentur, ad quorum similitudinem omnia referrentur. „Has, inquit, rerum formas appellat ἰδέας ille non intelligendi solum sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister Plato." 21) Et re quidem vera, etiam si id ipse non indicasset, hanc doctrinam e Platonica philosophia haustam esse omnes agnoscerent, quam videtur Timaeo debuisse. 22)

Non igitur multa qua ad artem dicendi pertinerent Cicero a Platone sumpsit, sed iis quae in Gorgia contra rhetoricam dicta erant abutitur ad perfecti oratoris imaginem exprimendam; ex Phaedro assumit oratori philosophiam esse necessariam, motusque animorum pernoscendos, ingenium, exercitationem, artem esse coniungenda; Phaedrum et Politiam in dialogi forma imitatur; e Timaeo doctrinam de eximiis rerum speciebus formisque mutuatur. (Ad proximum numerum)

21) Or. 3, 10
22) Cf. Sandys, Orator, p. 11—12.

Qui nondum persolverunt novi anni pretium, mittant velim debitum, si fieri potest, sine mora. Hoc si non fecerint ante finem mensis Februarii, nos benigna eorum permissione utentes pecuniam, ut quam commodissime haec res ordinetur, cum tertium mittemus numerum, per tabellarios curabimus exigendam.

Editor

Carmina

Ach wie ist's möglich dann —?

Populare ex Thuringia canticum
latine vertit
Victor Hertel

Non potero pati
Laesa jugi rati
Jura. Adeo calet
Te cor amans,
Unica quod rapis,
Sola cui sapis,
Mel sapis ah meum
Dulciferum.

Florem hyacinthinum
Pone super sinum,
Nominis, ominis
Esto memor.
Huncce malum ferit,
Nunquam at amor perit,
Haud perit, haud meus,
Crede mihi.

Te mea mens avet,
Numquid avens pavet?
Falco petat — volat
Perfuga avis.
Per mala sin ruam
Pila, manum tuam
Porrige et aspice:
Demoriar.

Chamissonis carmen „Seit ich ihn gesehen —"

latine vertit
Adrianus Arena

Ex quo illum vidi,
  Jam caecutio;
Quoquo specto, unum
  Illum video.
Ceu in somno vultus
  Parent vigili:
Ex opaca nocte
  Surgunt lucidi.

Cuncta luce carent
  Ac nigrescunt mi,
Displicent sororum
  Ludi hilari.
Lacrimare malim
  In cubiculo;
Ex quo illum vidi,
  Jam caecutio.

Just. Kerneri carmen „Die schwäbische Dichterschule"

latine vertit
Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

‚Quonam vertar, ut tuorum, gens o bona Suebica,
Poetarum scholam spectem peregrinus advena?!'
— — — — — — — —
„O viator! perlibenter tibi quod vis dixero:
Haecce prata per aprica nigras silvas petito,
Qua stat, olim malus pontum secaturus, abies;
Ubi saliunt canentes inter ramos volucres;
Ubi capreae prospectant ex dumetis lumina
Transilitque pede pernix saxa cervus rupea;
— Dein excede silvis —: ubi montes cum palmitibus
Sole sparsis te salutant, infra Nicer caerulus;
Qua spicarum mare flavum super agros aestuat;
Ubi iubilans alaudae carmen auras personat;
Qua cantare vinitori messorique collubet:
En Sueborum schola vatum, quos — natura [perdocet!"

Dialogus de linguis commenticiis

Personae: Hermannus, Ernestus, Lisella

I

H e r m a n n u s : Saepenumero cogitavi umbram cubiculi tui adire, Erneste; sed quantopere vexemur nosmet magistri ludi Latini, quis est, qui nesciat? quamobrem moram meam tu mihi ignoscas oportet: plurimas easque pulcherrimas diei horas inter subsellia scholae versari, flexuras. tempora, modos verborum sciscitari, Caesaris, Nepotis, Ciceronis exemplaria nocturna diurnaque manu, ut ait Horatius, versare, hae sunt partes praeceptorum, generis hominum miserrimi. Cum arbitramur licere nobis intra nostros parietes genio indulgere, horridi nos manent acervi commentariorum, quibus dum notas rubras apponimus, horae transeunt vespertinae. Verumtamen hodie, pulcherrimo veris die, omnibus scholae vinculis absolutus ad te, amicissime, confugi, ut laeta prata silvamque virentem tecum visam. — Sed hem! quid legis, Erneste? Cedo, quaeso! — Ah, Hartlii linguae commenticiae grammaticam. Quae ineptiae!

E r n e s t u s : Ineptiae? Philologi, canae vetustatis scrutatores, talia non intellegitis. Angustis enim terminis vestra studia circumscribuntur tantoque antiquitatis amore estis obcaecati, ut, quaecumque haec aetas tulit magna et bona, non videatis, immo videre nolitis. Ineptias esse studia humanissima! An nondum audivisti homines exstitisse doctissimos, quibus propositum sit linguam omnium hominum communem condere, ut universae orbis terrarum gentes novo quodam vinculo inter se iungantur?

H e r m a n n u s : Audivi sane, amice, audivi: pleraque novi eius generis opera. Sed de his rebus quid sentiam, tu quidem novisti.

E r n e s t u s : Quid sentias, novi, ac doleo, quod ita sentis. Sed si omnia audiveris, quaecunque ad probandas linguas commenticias proferre possumus, fortasse tu quoque nobiscum facies. Visne audire mecumque disputare? Sed intra parietes hunc diem praeclarissimum consumere nefas duco; suadeo igitur, ut in silvam proximam proficiscamur et saluberrimo veris aëre fruamur. Ambulantes disseremus de linguis commenticiis.

H e r m a n n u s : Non repugno. Eamus!

II

E r n e s t u s : Asperius, ne dicam iniquius mihi videris iudicare cum de talibus rebus cunctis, tum de Hartlii grammatica. Legistine eam?

H e r m a n n u s : Nondum legi, sed quantum e scedula Scriptori Latino adiecta colligere possum, ut multi antea, huius quoque grammaticae auctor conatur lingua Latina ad formam simplicissimam redacta sermonem elaborare, quem et facile discant omnes homines et facile intellegant. Puerilia nec viro docto digna mihi videntur ista. Quae nullius pretii esse vel inde cognoscitur, quod super aliam alia excogitatur eiusmodi lingua nec ulla diutius quam decem vel quindecim annos floret. Abhinc viginti annos in ore hominum fuit Volapük, secutae sunt Esperanto, Ido, aliae. Quis enumeret linguas commenticias?

E r n e s t u s : Consideres quaeso, Hermanne, has quoque res ab exiguitate ad maiora progredi; natura omnia a parvo ad magnum procedunt, velut animalia et herbae: similiter opera et inventa hominum. Hanc legem in omni rerum natura vigere quis nesciat?

H e r m a n n u s : Non me fallit ea lex, immo concedo humanis quoque rebus sua esse incrementa, sed necesse est commenticiae linguae progressus certum habeat finem. Opus est ea lingua, quae ab omnibus gentibus recipiatur et per saecula maneat. Sed iam supra dixi μινυνθαδίας esse istas linguas. Laudo sane industriam, laudo humanitatem illorum virorum, sed quid assecuti sunt, quid assequentur?

E r n e s t u s : An nihil assecuti sunt Esperantistae? Apud omnes gentes invenias homines huius linguae gnaros, quin etiam acta diurna Esperantana in omnes terrae partes emittuntur.

H e r m a n n u s : Concedo, tamen, ut diuturna sit istorum dominatio, vereor, primum ea de causa, quam supra commemoravi, deinde, quod auctores linguarum commenticiarum quasdam res maximi momenti non vident.

E r n e s t u s : Quid sibi volunt verba tua? Planius dic; non enim intellego.

H e r m a n n u s : Ut tibi sententiam meam exponam, primum ex te quaeram pauca. Nonne omnium gentium communem excogitare linguam huius aetatis esse existimas eamque, quae et discentibus quam minimas exhibeat difficultates et toto orbe facile intellegatur?

E r n e s t u s : Est hoc nostrum sane nec vereor contendere inventam esse hanc linguam.

H e r m a n n u s : At linguae istae, quae paene omnes a lingua Latina aut a Romanis quas vocant linguis manaverunt, ab Asiaticis hominibus, verbi gratia a Sinensibus, multo facilius edisci poterunt, quam lingua Francogallica vel Anglica?

E r n e s t u s: Nos vero Europae potissimum gentes eruditiores respicimus.

H e r m a n n u s : Hoc si vis, curnam communem omnium vos habere linguam contendis? Recedis ab eo, quod disserendum proposuimus. Concedendum tibi erit cum omnium hominum orientalium cogitationes et opiniones a nostris maximopere differre, tum Sinensium et grammaticam et ingenium adeo discrepare a nobis, ut his quidem Hartlii aliorumque linguarum cognitio non minus sit difficilior quam cuiusvis linguae Europaeae.

E r n e s t u s : Gentes cultiores ius habent linguam commenticiam aliis quasi legem imponendi.

H e r m a n n u s: Tale ius nulli genti probatur. Vi agentes nihil certe proficietis. Si lingua vestra ea est, quam esse volumus, necesse est eam sese quodammodo insinuare in gentes. Sed aliud et id gravissimum obliti estis.

E r n e s t u s : Quid? Dic sodes!

H e r m a n n u s : Quemadmodum corpus aliquid certis quibusdam legibus, quae mutari non possunt, crescit augetur perficitur, sic linguae quoque certis naturae humanae legibus creverunt. Unaquaeque lingua corpus est sive instrumentum a procreatore ea condicione factum, ut omnes subtilissimae hominum cogitationes iis exprimantur singularumque gentium ingenia propria facile perspiciantur. Quod recte considerantes quanti aestimabimus opera nostra, quanti linguam confictam ab homunculis?

E r n e s t u s : Non est nostrae linguae subtilissima quaeque exprimere: vinculum est commune, quo utuntur gentes, ut alia aliam intellegat, ut commercium augeatur, litterae efflorescant, peregrinationes subleventur.

H e r m a n n u s : Nonne interdum, amice, accidere potest, ut maximi sit momenti, qua ratione cogitationes exprimantur. Si, ut exempla afferam, suaviore sermone uti, si hominum pectora dictis mulcere, mentes verbis allicere, si omnes animi sensus expromere volumus, id quod in commercio quoque et in litteris usu venire potest, quid magis est alienum, quam lingua uti fabricata? Quid? quod nonnunquam non possumus non ab alius linguae thesauro mutuari, ut rem aliquam breviter et commode significemus. Habemus illud Francogallicum „savoir vivre“, illud Hispanicum „grandeza“, illud „dolce far niente“ Italicum. Quae quamvis videantur levia, tamen mirifice demonstrant suam cuique linguae inesse indolem, suam naturam, suam, ut ita dicam, animam, quam si quis detraxerit, corpus habebit inane ac mortuum. Quare iniuria Latina lingua nominatur mortua, immo mortuae sunt linguae commenticiae. Quid? Musas dulces unquam ad vestrum sermonem descensuras opinaris? ubi est enim iucunditas, ubi venustas et gratia, ubi vocalis ille concentus,

quo omnium pectora moventur et pelluntur?

Ernestus: Vanis somniis abreptus declamas, amice, atque adeo deliras. Hac in re omnia mihi referenda videntur ad utilitatem. Nonne peregrinatorum plurimum interest gentes cunctas uno quodam vinculo contineri, non hominum doctorum scripta collegis externis facillime tradere nec iam cogi, ut tempus et operam consumant in discendis linguis pluribus, non iuventutis denique litterarum studiosae aetatem pulcherrimam corporis exercitiis utilioribusque rebus impertire posse? Atque pacis omnium gentium in perpetuum conservandae studia nonne ita mirum quantum adiuvabuntur?

Hermannus: Credo, sed si talem cupimus linguam, cur non proximam eligimus, Francogallicam vel Anglicam vel, quod optimum sit, Latinam? Haec enim lingua, cum per tot saecula floruerit, communem se esse omnium gentium sermonem, satis, opinor, comprobavit. Neque vero hoc mihi videris satis demonstrasse tuam linguam multo facilius edisci. Vocabula enim sunt utique discenda, sicut in omnibus linguis, ita in tua: quo labore exantlato non ita multum restat difficultatis. Loqui vero ne tua quidem lingua quisquam potest nisi diu ac strenue exercitatus. Adde igitur paucos menses, iam scribes et loqueris Anglice, Francogallice, Latine, quae linguae sunt verae. Heu, quam debiles et mancae sunt linguae vestrae! In mentem mihi venit illius monstri, quod est in fabula, Procrustis, qui advenas innocuos distendendo trahendo mutilando lecto scelerato adaptavit.

Ernestus: Hodie, optime, hanc litem non diiudicatum iri intellego. — Curnam perdamus diem hunc laetissimum vanis disputationibus? Intremus cauponulam hanc arboribus opacis intersitam et bibamus vinum a Lisella nostra ministrandum.

Hermannus: Optime suasisti, amice: in hac quidem re tibi assentior atque astipulor.

III

(Intrant)

Ambo: Salve Lisellula!

Lisella: Salvete! Ah vos pulverulentos! Libetne sedare sitim?

Ambo: Conficimur, periimus!

Lisella: Quam me promere iubetis medicinam?

Hermannus: Verum et sincerum vinum Rhenanum, sed in calice Romano: suum optimo vino honorem!

Ernestus: Mihi autem Thuringense, sed in calice communi auratoque.

Lisella: Afferam ocissime!

(Apponit calices. Propinant.)

Hermannus: Venia sit mihi, amice, de quaestione nostra te admonenti. Sed vereor ne somnum capere non possim, si res in dubio relinquatur. Cum autem ratione ac via disserendo non videamur ad finem pervenire, aliud velim proponere. Si quae fabularum memoria adhuc in te haeret, in eadem nos causa esse intelleges atque tres illas deas, quarum certamen diiudicandum erat Paridi: Ecce: Paris noster Lisella! Novisti carmen Latinum „Gaudeamus igitur.“ Ego stropham „Vivant omnes virgines“ Latine canam, tu adhibita una ex linguis tuis commenticiis; — quam autem eligas, nihil refert, sed cum sexto haustui poculum admovero, vertisse debes stropham. Praemium victoris erit osculum Lisellae.

Ernestus: Optime vero! (Abit, vertit, redit, cantat)

Totes virgos viveüs
Faciles formoses,
Viveüs mulieres
Teneres amabiles,
Bones, laborioses.

Lisella: (Cachinnum tollit)

Hermannus: Silentium! (Cantat)

Vivant omnes virgines
Faciles formosae,
Vivant et mulieres
Tenerae amabiles
Bonae laboriosae.

Lisella: (Accedit ad Hermannum eumque osculatur)

Carmen verum cecinisti,
Vinum merum elegisti,
Ergo tibi praemium
Habe, puer, osculum!

Hermannus: (summo gaudio elatus):

Sed me, sed me philologum
Lisellae iuvat osculum.

(ad Ernestum conversus)

Devictum te, amice, maximopere doleo, sed recte iudicavit Lisella: si veras habemus linguas et vera vina, quid nobis cum linguis commenticiis et vinis vilibus? Ut mala vina, sic linguae commenticiae: friget pectus nec accenditur ad cantandum. — Novistine carmen illud pulcherrimum, quo Matthias Claudius noster vinum Rhenanum summis effert laudibus? Hoc mihi videtur aptissimum condicioni nostrae. Canamus, si videtur, paucas strophas, concinat Lisella.

Ernestus: Aegre manus do, Hermanne, sed do. Quis enim tibi resistat! Canamus!

Ernestus, Hermannus, Lisella: (Cantant)

Haurite laeti fronde redimita
Haec nostra pocula!
Europa tota nondum exaudita
Tam bona vinula.

Quae vina gignunt montes Thuringorum,
Quis vina nominet!
Quae dum potamus, lyra canticorum
Oblita reticet.

Ad Rhenum, Rhenum uva nostra crescit:
Salveto fluvius,
Ad cuius ripam vinum maturescit
Nectare dulcius.

Finis

Ehingen, die 7. Febr. 1912

Conscripsit
Hermannus Weller.

Ex Epistulario Redactoris

Tantae molis erat versus pepigisse probandos,
Lommatsi. Videor iam valuisse satis.
Quos dederam haud paucos minus arrisisse dolebam
Versus ante tibi, nec tamen impatiens
Cessabam: Noacho similis Noachique columbae
Nisibus intrepidis experiebar aquas.
Tandem aliquando mihi lux contigit alma, poeta
Vicit, perplacuit cantio nostra tibi,
Non iam taedet aquas tetigisse, columba redire
Cur tardat? Quod, ubi stet pede firma, datum est. x.

Vir doctissime,

Adscribas me numero eorum, qui commentario Tuo summopere favent et socii in eo conscribendo esse cupiunt. Per totum enim feriarum aestivarum tempus in peregrinationibus meis ‚Scriptoris Latini' fasciculis usus sum comitibus suavissimis. Conaminibus Tuis scientiae linguae Latinae in orbe terrarum augendae felicissimum successum imprecor et Tibi plurimam salutem dico. D.

Huicce numero lectores appositam videbunt literulam quandam socii nostri J. M. Hoogvliet Haagensis, qua, quantae utilitatis Scriptorem censeat in iuvenibus latina lingua instituendis, satis dilucide ac festive exponit. Quae cum ipse expertus ille scripserit, multum valere eius verba existimamus ad alios de nostris consiliis edocendos, quamobrem enixe rogamus, ut amici nostri schedula quam optime possint, utantur pluresque, si opus fuerit, a nobis poscant. Nos, quamdiu suppetet earum copia, libentissime aliquot unicuique exemplaria mittemus.

Editor

Quis potest mihi paucos in dies commodare:

Bomhard, Lusus aliquot dialectici. Progr. 1830.?

Red.

Varia

Latina sunt, non leguntur . . .

Non in obscurissima, quae vocantur, medii aevi tempora animos nunc vestros revoco, carissimi lectores, sed nova narraturus sum, immo recentissima et quae vera esse unus ex iis, qui Badensium scholarum res curant, editori illius de humanistico gymnasio commentarii ipse affirmavit. *) Adulescens igitur, qui ,paulo ante magistrorum recentiores linguas in superioribus scholis docentium superarat tentamen, in quodam gymnasio pro aegrotante collega francogallice docere iussus, cum, quam ille coeperat, pergeret lectionem, verba offendit ex quodam auctore latino excerpta. Tum discipulo haec quoque vernacule reddere volenti, Omittamus istaec, inquit, ego non sum doctus latine. Quo facto vicarius ille philologus alii, quae realis dicitur, scholae ascriptus est.

Res haud minus ridicula nuper in seminario universitatis Heidelbergensis accidit. Unus ex iis, qui germanisticae disciplinae operam dabant, studentibus, quem professor numerum in fine vetustioris cuiusdam libri germanici incriptum Romanorumque more notatum legere iussit, Istud, inquit, non intellego; latine enim non didici. Tum, ne amplius interesset scholae, rogatus est.

Quid olim Huttenius? Expergiscuntur ingenia, florent artes, florent litterae — volupe est vivere!

L.

Poetae in Suecia latini

haud pauci fuerunt, qui nimis manserunt extra patriam ignoti. Quorum hodie mihi in mentem venit unus ante omnes C. E. A. Söderström. Sacello is praepositus ruri per omnem fere vitam latebat latinis praecipue Musis deditus. Post mortem eius carmina selecta edita sunt trium voluminum (Lund 1895, Gleerpuska bokhandeln, pretium: suec. coron. 8,50); inter haec eminent psalmi in latinum conversi (vol. II III), lyrica permulta, Runebergii, summi in Finlandia poetae suecani, epyllion Hanna. Cuius initium Scriptoris Latini lectores fortasse iuvabit cognoscere (in ipsa editione textus suecanus apponitur):

Aestatis mediae iam vespera laeta propinquat.
Sole micante nitet pastoris villa vetusta,
quam freta clara lacus unda sinuante luebant.
Adsidet ecce senex venerabilis ipse fenestrae.
Inspicit usque viam, ducit dum tura tabaci,
interdumque manu dispergit nubila fumi:
scilicet ex Aboa puer unicus ille redibit,
quo iam plus annum tristes caruere parentes.
„Si veniens tuleris studiorum praemia pulchra,
te comitetur inops, aestate manente, sodalis,
ne iuvenem te nostra premat morosa senectus!"
Scripserat haec. Nunc fumifera requievit avena,
exspectans ambos, toto sed pectore natum.

Nonne vel in latinis litteris vides villam pastoris amoenam et senem fumos efflantem, et exspectas quo eventurus sit aditus hospitis. Cui quidem in extremo carmine spondebitur filia pastoris, quod quo modo fiat — fit enim ante oculos tuos — lubebit sine dubio legere.

F. Gustavi

Philosophus Raudensis †

Quis fuit ille? Unus ex iis, qui. quamquam humili loco nati liberalisque omnino educationis expertes, tanta tamen incenduntur cupiditate discendi, ut, qua sunt laboris patientia, alios rite, ut aiunt, ad doctrinae fastigium promotos vel adaequent saepe scientia vel etiam superent. Cuius generis haud paucos fuisse ubique terrarum, medicos, mathematicos, physicos, alios, quis est, quin sciat? An vero minore ideo sunt laude digni? Is, de quo dicturus sum — erat ei Fridericus Theil nomen — Raudae, in pagulo Altenburgensi, vitam degebat, agros colens ad patris exemplum. Sex autem et triginta annos natus relicto agriculturae studio literis totum se dedidit idque tanto successu, ut graeca non solum et hebraica intellegeret, sed etiam arabica textusque cuneatis et hieroglyphicis notis descriptos. Sic factum est, ut anno 1904, cum septuagesimum celebraret natalem, ex omnibus orbis partibus literae allatae sint gratulatoriae, quod quidem non mirum videtur in eo viro, quem ipsi principes, velut dux Meiningensis, Im-

*) Das Humanistische Gymnasium, 1911. VI.

perator Austriae, magnus dux Toscanae, peculiari suo prosequebantur favore. Studiosa autem iuventus honorifico Raudensis philosophi titulo eum appellavit. Sed ne omnia enarrem, quidam amicus eius, Hermannus Tauscher, de docto agricola libellum edidit, cui inscripsit: „Der Philosoph von Rauda" et qui parvo 50 nummulorum pretio emitur apud omnes bibliopolas. Hunc legisse neminem paenitebit.

L.

Ubi Varus ab Arminio devictus sit, vel, ut aliter dicam, qui fuerit Teutoburgensis illius quam vocant pugnae locus, nunc tandem, si actis diurnis credere licet, exploratum est. Archaeologiae enim et historiae periti, quibus mandatum erat, ut, quae militum ferebantur, busta in silva Arnsbergensi sita cognoscerent, magnum ibi sepulcretum invenerunt, quod circiter chiliometrum latum, sesquichiliometrum longum est. In toto campo plus mille foveae sunt, quibus singulis multa promiscue corpora condita fuisse videntur. Quae cum sine certo ordine dispositae solisque lapidibus opertae sint nec ullae res reperiri potuerint, quales mortuis viatici instar addi solebant, credunt Germanici Caesaris exercitum milites sepelivisse, id quod sexto post pugnam anno factum esse scriptores nuntiant. Ossium sane nullae exstant reliquiae, quippe quae tamdui nonnisi saxis tecta ideoque tempestatibus iacuerint obnoxia. Tamen satis repertum est nummorum, idolorum, inscriptionum ad legiones Romanas pertinentium, quibus alias maioris momenti res brevi accessuras esse docti iure sperant.

Ms.

E Circulo Lectorum

(Sub hac inscriptione imposterum publicabuntur familiares et qui alii ad nos pervenerint nuntii ad lectores pertinentes. Petimus igitur, ut amici nostri hac opportunitate, quandocumque velint, utantur.)

Socius noster H e n r i c u s — non Hermannus, ut errore nuper scriptum erat — H a n s e n ineunte Januario profectus est in Terram Sanctam, ubi quattuor menses commorabitur. Facit iter ex stipendio MD marcarum, quod ei tribuit societas archaeologica, cui nomen est „Deutsch-Evangelisches Institut für Altertumswissenschaft des Heiligen Landes zu Jerusalem." Mittuntur illuc theologi vel philologi, qui, ut ipsa donationis verba afferamus, sacrae scripturae studio incensi praeter vivum exegetices et historiae sensum satis sese cognitionis atque scientiae habere probarunt.

†

Mater nostra $77^1/_2$ annorum vidua Isenaci obiit 30 Dec.

Pia eam colet memoria.

Fridelshusae S.-Mein. (antea Grossneundorff) — V. Hertel, pastor.

Vratislaviae mense Januario ineunte Societas Philologica in universitate litterarum Viadrina dies festos celebravit, quibus ante hos XL annos erat constituta. Ad augendam sollemnitatem illius societatis membra Aristophanis fabulam ‚Pacem' Graeca lingua publice egerunt. Ac tantus erat spectatorum concursus, ut exedra satis spatiosa omnes capere non posset. Praesentes videbamus non solum parentes, affines, sodales iuvenum fabulam agentium, verum etiam magnum numerum feminarum et virorum doctissimorum, qui intentis animis plausuque uberrimo ludum prosequebantur. Omnes, qui de re optime meruerunt, summis efferebantur laudibus, imprimis A l e x a n d e r K i o c k, c a n d. p h i l., qui non sine magna subtilitate et sollertia Trygaei vinitoris partes egit difficillimas et amplissimas. Ut alia omittamus: quanta inter spectatores exorta est hilaritas quantusque risus et clamor, cum Trygaeus in scaenam prodiret in scarabaeo equitans et ad superos volaturus!

Guil. Lhm. Vratisl.

Corrigenda

In pag. 7 l. 51 lege: summissim; pag. 9 l. 27 dele „solus"; pag. 13 l. 38 lege: c o n i u g e pro: uxore.

Narratiunculae

Rebecca rediviva. Quadam in urbe puella nobiliore stirpe exorta ipsa, ut aquam hauriret, absente serva e domo ad puteum egressa est. Quo aspectu plane insolito adolescentuli quidam allecti propius adibant illamque audacter allocuti sunt: „Hem, bella Rebecca, tu ipsa stas ad puteum!“ At illa protinus biblicis verbis *) argute prosequens subdidit: „Num forte camelis hauriam aquam?“

Anus — Onus. Arthurus Schopenhauer philosophus anum quandam in domo sua eleemosynam rogantem ira succensus — erat enim mulierum osor — super scalas dejecit. Cui hoc jactu laesae ille judicis sententia coactus singulis mensibus pecuniam aliquam mittere solebat. Elapsis aliquot annis cum demum vetulam e vita decessisse avaro philosopho nunciatum esset, laetus exclamavit: „Obiit anus, abiit onus!“

Memoria tenax. Leo XIII., papa, ipse eximius Parnassi latini vates, assiduus Horatii Flacci cultor erat. Lucianus Müller, celeberrimus philologus atque Horatii editor, quum anno 1894to operi „De re metrica“ ultimam limam injecisset, jam 58 annos natus Italiam petivit avidus almam terram videndi, cujus poetis totam vitam dedisset. Romae frequenter bibliothecam Vaticanam adibat, ubi quodam die Leoni, summo pontifici, librum „De re metrica“ tradidit. Papa autem, opusculo libenter accepto, auctori tomum „Carminum“ a se conscriptorum dono dedit. Diu papa cum Luciano Müller de arte divi Horatii colloquebatur atque tantam poetae Venusini cognitionem exhibebat, quantam vel in philologo vix inveneris. Imo jocandi causa alter alterum in certamen provocabat et papa, tunc fere nonagenarius, quodlibet Horatii carmen, cujuscunque primas syllabas Lucianus recitarat, memoriter ad finem prosequi potuit. — Lector benevole, fac similiter!

Agg.

*) I. Moses 24, 19.

Periodica

Archäologischer Anzeiger, 1911, 4: Ausgrabungen in Milet und Didyma — Erwerbungsberichte (Louvre 1910 — British Museum 1910 — Ashmolean Museum of Art and Archaeology Oxford 1910 — Museum of fine Arts.Boston) — Philologenversammlung Posen 1911 — Gymnasialunterricht u. Archaeologie 1911 — Institutsnachrichten — Bibliographie — Register.

Das humanistische Gymnasium, 1911, 5-6: R. Lück, Über d. Einzelgymnasien Preussens — G. Uhlig, D. 20. Jahresversamml. d. Deutschen Gymnasialvereins — G. Uhlig, Aktenstücke und Bemerkungen zu d. Extemporalienstreit — H. Stürenburg, Versamml. d. Gesellschaft für deutsche Erziehung zu Dresden — Von d. Feier bei Einweihung d. Neubaus für d. Gymnasium zu Plauen — Nachklänge von d. Frankfurter Attentat — Literarische Anzeigen — Mitteilungen.

Das Deutschtum im Ausland, 1911, Dezemb.: F. Ertl, Die deutschnationale Arbeiterbewegung in Österreich — M. Rau, Der Aufschwung unserer Auslandsschulen — Hammann, Vom Deutschtum in Kanada — Rundschau — Bücherschau — Vereinsnachrichten.

Hochschul-Nachrichten, 1911, Dez.: Die Ausbildung für d. höh. Eisenbahnverwaltungsdienst — Academische Tagesfragen (Deutschland: Neue Universitäten — Modernisteneid u. Lehramt in Baden — Schnellzug- u. Ehrenpromotionen — Polnische und deutsche Ausländerstipendien — Die Zunahme d. Realabiturienten an den preuss. Universitäten — Juristische Prüfungen f. Ausländer — Ausbild. u. Aussichten d. Juristen — Ärzte-Approbationen in Bayern — Pädagogik an d. Universität — D. Bedarf an Oberlehrern in Preussen — D. Bildungswert d. techn. Hochschulen — Technische Doktorpromotionen — Tierärztliche Klagen — Eine neue Krisis d. Freistudentenschaft — Deutschfeindliche Studenten-Verbindungen; Österreich: D. Italienische Fakultät — Zur Lage d.

Rechtspraktikanten — Eine neue Technische Hochschule in d. Alpenländern — Das Technische Doktorat; Schweiz: D. Berner Fakultätssturm — Lokal- u. Personalnachrichten von Deutschl., Österr., Ung. u. d. Schweiz — Ausland — Litterarisches.

Folio. Zeitschrift für allgemeine Sprachkenntnisse, 7: Cassa Filiale de Academia pro Interlingua — Experientia doce — E. Spaethe, Sport u. Sprache — A. Hartl, Vocabulario germinante. Das keimende Wörterbuch — Ex Portafolio — A. Hartl, Rückkehr zum Latein — Nova Literatura — Responso.

Nuntii menstrui

Mensis November

Monachi conventum habentes, liberalium et democratarum socialium factiones constituunt, suffragium laturi ultramontanis qui dicuntur adversari. Huic foederi conservativi quoque et agrarii sese consociaturi esse creduntur.

20. Imperator Germaniae Augustum Parseval ob eximia eius de arte volandi merita nomine ac honore professoris ornare dignatur.

Parisios duo fere milia famularum conveniunt, quae peregrinas, Germanicas imprimis, aemulas sibi esse vehementer conqueruntur. Proponuntur varia, quibus huic vitio occurratur.

In Americano, qui Outlook inscribitur, commentario Rooseveltius de fabricatorum globis disserens Taftium quoque convicio insectatur, ex quo intelligi posse putant priorem civitatis praesidem proximis comitiis iterum hoc munus petiturum. Omnia acta diurna candidati quod dicunt programma multis propitiisque verbis prosequuntur.

Parisiis: Armamentarii navium operarii publice declarant non sine periculo gubernium in eos, qui rubrum vexillum in navi loricata „Courbet" proposuissent, animadversurum; ea enim conditione sese opus resumpsisse, ut nemo puniretur.

Sinensis seditio latius se pandit; Nankinia omnibus adhuc commeatibus intercluditur.

Roma: Milites his diebus Neapoli in Africam profecti omne instrumentum secum tulerunt ad viam ferratam aedificandam. Hac enim utentes copiae vere proximo interiora Tripolitanae terrae invadent, cum ante illud tempus bellum finitum fore non putetur.

21. Turcae ceteras Europae nationes certiores fecerunt sese Italorum in mare Aegaeum transferendi belli consilio vehementer resistere.

Americani constituerunt, earum numerum navium, quae ob ingentem magnitudinem „Dreadnoughts" vocantur, duobus eiusdem generis navigiis adaugere.

Seditiosi Sinenses Nankiniae appropinquantes, audito Tschangium capta urbe omnes ibi adversarios occidisse, si locum recepissent, cunctos e Mandshu gente viros se ulturos esse iuraverunt.

Ferunt Japonios Futshau ad urbem appulisse, ut consulis ibi domicilium tuerentur.

28. Navis loricata, cui nomen Berlin, Agadir ex portu solvit in Germaniam reditura.

Dum navi a Joachimo principe appellatae, quae naufragium fecerat ad Bahama insulas, adlaborant servandae, ignitis gasibus novem homines misere intereunt.

Marxii, notissimi illius socialistae filia, Parisiis cum coniuge voluntaria morte vitam finit.

29. Itali Tripoli in urbe obsidentur.

Nuntiatur Tocionenses universali artium quaestuumque ostentu, quem in annum 1913 indixerant, desistere statuisse.

30. Ex provincia Kiautshou ducenti milites Germanici Tientsinum mittuntur.

Mensis December

1. Cantonense xenodochium, quod Germanicis ibi missionariis in cura est, a Sinensibus seditiosis oppugnatum esse illosque a consule auxilium petivisse nuntiatur.

Quadringenti milites Russi Teheranum adveniunt.

In concilio Germanorum Wermuthius minister refert de publicorum imperii redituum statu.

6. Nuntiant Italos apud Tripolim proelio vicisse.

In Mari Rubro navis quaedam Britannica ab Italis telis petitur.

8. In concilio Austriaco, qui Germanorum partes sequuntur, declarant sese novissima de triplici foedere facta intuentes a iure in Vindobonensi universitate Italice docendo prorsus abhorrere.

Russi Persarum minas neglegentes longius progrediuntur.

Hankau ex urbe affertur indutias inter obsessos obsidentesque factas triduo prorogatum iri.

Summus rei militaris apud Francogallos praefectus totum exercitum nova ratione censet ordinandum.

9. Francogalli cum Hispanis de Mauretania agere incipiunt.

Pekiniense gubernium edicit Sinensibus capillos secare licere.

11. Lipsiae apud summos Germaniae iudices causa publica agitur adversus Schultzium, Britannicum negotiatorem navicularium, eiusque conscios, qui patriae proditionis accusati sunt.

Turcae naves mercatorias Hellespontum noctu transire vetant; Itali munitas

Turciae urbes habitantes domicilia sua alio transferre iubentur.

Apud Knoxville in provincia Tennessee ducenti viri in fodina carbonaria opus facientes corruente cuniculo includuntur. Nulla videtur ratio eos servandi.

Londini quaedam acta publica nuntiant Britannos, si nihil de lege navali Germani mutarint, sumptus in classem faciendos anno proximo circiter quadringenties centenis milibus marcarum esse minuturos.

Ferunt quinque milia Turcarum in fines Persarum missos ibique manere iussos esse, donec Russi terra decesserint.

14. Russos inter et Persas res ad otium deduci videtur.

15. Publici Francogallorum legati de convento Mauretanensi agere incipiunt.

Francogalli cum Japoniis in decem annos de importandis exportandisque mercibus convenerunt.

16. Rex Britanniae Delhi in urbe primarium novo capiti Indiae aedificando lapidem magna cum sollemnitate ponit.

Itali de novo quinque et viginti milliones erogant in bellum Tripolitanum.

19. Arabum copiae Aziziam contrahuntur, quae urbs sexaginta fere chiliometra a Tripoli abest. Naves aeriae Italorum telis hostium gravissime laesae esse dicuntur.

20. Imperiales in Sina copias plures victorias reportavisse ferunt. Illos inter et seditiosos milites de pace agi coeptum est.

21. In compluribus oppidis Tibetanis milites Sinensis rebellione facta aeraria publica expilant multaque milia equorum et mulorum abigunt.

Litora Britanniae et Francogalliae vehementibus tempestatibus vexantur.

23. Libertatis quae nuncupabatur navis longae decuriones, qui, quod incendio illa deleta erat, intermissi officii accusati sunt, a summis rei navalis iudicibus absolvuntur.

29. Nuntiatur e Sina desitum esse agi cum seditiosis, cum hi liberam rem publicam flagitare perseverarint. Imperatoris familia Pekinia abire constituit.

Tota Britannia centum sexaginta milia operariorum textilium opere excluduntur, cum dominorum conditiones accipere recusarint.

30. De rebus ante Mauretanense conventum gestis notum fit cancellarium Germanicum a Francogallis portum Magadorensem initio poposcisse.

Sun-ya-tsen liberae reipublicae Sinensis praeses proclamatur.

Censura Librorum

Dr. Ernst, La nove latine debei esse la future lingua internationalis. Warburg i. W., T. C. Werth Söhne. 37. Pr. 1 *M.*

Linguam Latinam, quae et ingenti vocabulorum copia commendetur et verbis novatis fictisque facile commutari possit, fundamentum esse voluit auctor sermonis a se excogitati. Substantiva et adiectiva ita declinantur, ut ad nomen Latinum plerumque integrum vocales e i o casuum loco accedant, velut: pater = pater, pater-e = patris, pater-i = patri, pater-o = patrem; littera S adiuncta pluralis numerus significatur. Simili ratione flectuntur verba: vocalibus a e i o u ü indicantur personae, litteris m, p, pl imperfectum, perfectum, plusquamperfectum, addita littera r passivum. Ita, ut exemplo utar, dele — pl — i — r idem est ac deletus erat. Quo facilius ingenium et sonus huius linguae commenticiae perspiciantur, pauca affere exempla cum versione latina: „Una puer cum uni alter amice in lo schola imi, neuter liberos habemi: puer cum amico in scholam ibat, neuter libros habebat. — Las galles Napoleono, imperatoro gallia-e, ex sai regne ejicepü = Galli Napoleonem e regno eius eiecerunt. — Omnisos homos, nosteros amices magni aestimare debeo — omnes homines, amicos nostros, m. a. debemus.“ Multa sane scienter tractavit auctor; quod autem profitetur fieri non posse quin sua lingua orbe potitura sit, maximopere veremur, ne spem alat fallacissimam.

W.

Klassische Bildnis-Gallerie. 66 Bromsilber-Postkarten. Steglitz, Neue Photographische Gesellschaft. Pret. sing. 0.10 *M.*

Singulae clarorum Romanorum et Graecorum effigies in variis reperiuntur scriptorum editionibus, deerat tamen integra quaedam series illarum et quae modico pretio emi posset. Quamobrem Nova quae vocatur Societas Photographica, adhortante huius commentarii moderatore, quasdam e suis veterum principum, oratorum, poetarum imaginibus edidit minore chartularum forma, ut a discipulis praecipue emerentur colligerenturque. Ac sane optandum est, ut, quorum scripta exempla, eorum vivi quoque, ut ita dicam, vultus proponantur discentibus, quo verbo non pueros tantum intellegi velim, sed omnes antiquarum litterarum studiosos. Sic nonnullum quidem longe alium videbunt, atque putarant, sicut nos, si, quibuscum per litteras collocuti eramus, coram cognovimus, deceptam plerumque exspectationem nostram videmus — tamen detracta omni simulationis specie homines esse veteres intellegendo humaniter cum illis sentire, diligere illos atque amare incipient. Non oportet dici omnes fere imagines summa arte factas esse, quippe cum societas, quam supra diximus, egregiis suis operibus totum per orbem sit notissima. —m.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), *pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,* Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., *Baustrasse 10.*

Nomina et domicilia

eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislau — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — Dr. J. M. Hoogvliet, doc. priv., Haag — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prof. Semin., Aquila (It.) — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — P. Recanatesi, Prof., Osimo (It.) — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach (Bay.) — J. Tasset, Tonnerre — C. Thieme, Parochus, Calbeck — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Typographus: Carolus Wiechert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus IX: Numerus III

— Procurant negotia —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
in Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. IX Francofurti a. M., Mense Maio MCMXII Num. III

De Vocabulariis Lexicisque Latinis Augendis

Vernaculorum verborum frustra saepe latinas in lexicis quaeri interpretationes, eorum, qui hac lingua utuntur scribentes, nemo est quin ipse suo sit dolore expertus. Sunt sane qui, pueriliter ut iudicant, recentiorum tantum linguarum vocabularia ob ingentem rerum, quae cotidie reperiantur vel inveniantur, molem augenda subinde putent esse ac tamquam ad novissima usque tempora continuanda, graeci vero latinique sermonis, quippe qui mortui sint, non item. Quasi mortuae sint linguae, de quibus sescenti pluresque quotannis scribuntur libri, quae hacne an illa ratione utilius doceantur, acerbius ferme quam politicis de rebus disceptatur! Quasi non nova semper e saeculorum oblivione proferantur manuscripta, papyri, inscriptiones innumeraque alia, in his integri etiam libri, Herculanei aliarumque urbium ruderibus iaceant obruta, quorum alia iam auxerunt ignotorum nobis verborum copiam, alia, si nota posteris facta erunt, mirum etiam in modum sunt auctura.

Jllis pueriliter, ut dixi, sentientibus eos quoque adiudicandos existimo, qui textus e patrio in graecum vel latinum sermonem convertere nimis difficile discipulis ideoque inutile et supervacaneum, immo etiam, quo inflato orationis genere utuntur reformandae scholae avidi, noxium iuvenilibus animis ac periculosum dicunt. His quidem si obsequi vellemus, omnia, quotquot adhuc edita sunt, lexica germanico-latina Vulcano tradi possent, paucis scilicet exemplaribus stultitiae hominum demonstrandae causa in bibliothecis relictis. —

Sed missa faciamus ridicula: nos in hac sumus sententia verum accuratumque linguarum studium esse non posse, nisi assidue ac certa quadam ratione veteres in linguas nostra vel aliorum cogitata transferamus. Hinc lexicorum iterum iterumque querimur egestatem. Nam etsi summa laude eorum digna sunt virorum opera, qui totam fere vitam in elaborandis iis perficiendisque consumpserunt[1]), tamen, cum recentissimas litterarum artiumque nostrarum res minus illi respiciendas[2]) putarent, multa ibi desunt, si non vocabula, at certe locutiones, quae, si quando, per phraseologias[3]) quae

[1]) Cf. Georges, Ausführl. Deutsch-Latein. Handwörterbuch. 2 voll. Leipzig, Hahn'sche Buchhandlg., 1882: Vorrede zur 6. und 7. Auflage.

[2]) Cf. Krebs, Antibarbarus: Vorrede zur 7. Aufl. (VII)

[3]) Praeter notiores Meissneri, Wagneri, Bergeri aliorumque libros hic commendantur:
H. Ludwig, Lateinische Phraseologie. Unter Berücksicht. d. Sprichwört. u. Fremdwört. Stuttg., Bonz, 1906 3,60 Mk.
Pietro de Blasi, Frasario Metodico della Lingua Latina. 2 voll. Noto, F. Zammit, 1898. (Opus omnibus huius generis copiosius multo et accuratius. In 2000 fere

vocantur aliosque de bene dicendi scribendique ratione libros[4]) inveniuntur dispersae. Haec omnia unum in locum colligi, ut cuivis pateant latine scribenti vel vertenti, utique mihi quidem videtur necesse. Sicut enim rerum nominumque crescit in dies numerus, ita latinam quoque linguam — ne alias commemorem remotiores — variantibus vitae humanae rationibus accommodari debere arbitramur, cum nihilo melius, quanta insit et quam late pateat cuiuslibet verbi vis atque potestas, cognoscamus, quam si latina nostri sermonis verbis quodammodo metimur.

Quamquam huic quoque sententiae exstiterunt adversantes iique doctissimi latinitatisque scientissimi. Cuius ingenium veterum linguarum institutione cultum sit atque acutum, eum dicunt facillime posse, quidquid velit, latine exprimere, ut ei opus non sit pluribus adiumentis. Horum est, ut alios taceam, Bauerus ille, Ansbachensis quondam gymnasii professor clarissimus, qui, ut Dr. Adolphus Ebert, collega eius, in programmate eiusdem scholae ao. 1904 edito narrat, dicere solebat sua, quid, quod ‚Stiefelknecht' germanice vocaretur, latine significaret, scire nihil interesse, cetera se vel ex memoria vel ex lexico latino-germanico vel ex schedulis suis per annos collectis haurire. His, quamvis multi sint idem sentientes, id tamen videtur respondendum vocabularia non doctis imprimis, sed discentibus scribi, quorum in eruditione libri ex vernacula lingua in peregrinam verba convertentes maximi sunt, ut supra iam demonstravimus, momenti.

Huc accedit, quod commenticiis, quae hisce diebus per orbem vagantur, linguis tum demum efficaciter occurretur, si ipsos nos, quod illarum inventores, praestare i. e. omnis generis rebus sermonem latinum adaptare posse probaverimus. Qua in re alicui nobis usui fore nova illa latinae originis systemata, de quibus nuper memoravimus, quis est qui neget?

Literas igitur non minus quam usum spectamus, si, ad quod lectores nostros nunc sum evocaturus, opus aggredimur. Agitur de vernaculis, quae nondum in lexicis inveniuntur, verbis inquirendis et latine reddendis. Opus sane magnum, multiplex, difficultate non carens, sed quod suscipere ausi sumus, sociorum nostrorum et numero freti et virtute. Voluntatem enim cuiusvis amicorum non deesse nobis multorum usus

---

paginis auctor rerum notionumque certum secutus ordinem omnes, quaecunque ad quamlibet cogitationem occurrunt, enumerat italiceque reddit phrases, admirandae profecto industriae ac subtilitatis specimen.)

A. Ebert, Beiträge zu den deutsch-latein. Wörterbüchern. Progr. Ansbach 1904.

[4]) Commendantur hic prae ceteris:

F. v. Nägelsbach, Lateinische Stilistik. 9. verm. u. verbess. Aufl. v. I. Müller. Nürnberg, Geiger, 1905. 12 M. (Opus eruditum ac subtilissima diligentia ita copiose elaboratum, ut vel plurima satisfaciat quaerentibus.)

K. F. Süpfle, Grammat.-stilist. Lehrbuch d. latein. Sprache. 2 prt. 3. Aufl. Heidelberg, Groos, 1900. 2.90 M u. 4.10 M

E. Berger, Latein. Stilistik f. obere Gymnasialklassen 9. Aufl. v. E Ludwig. Berlin, Weidmann, 1896.

C. Stegmann Hilfsbuch f. d latein. Unterricht d. ob. Klass. Leipzig, Teubner, 1904. 1 40 M.

H. Ludwig, Latein. Stilübungen f. Oberklassen 2 voll. (Text u. Uebersetz.) Stuttg, Bonz, 1902 1.60 u. 2 10 M

K. F. Süpfle, Aufgaben z Wiederholung d. latein. Syntax u. Stilist. (Im Anschluss an Süpfle's Gramm.-Stilist. Lehrb. d. latein. Spr.) Heidelberg, Groos, 1901. 2 50 M.

Süpfle-Stegmann, Aufgaben z. Latein. Stilübung Quarta, Tertia, Sekunda, Prima. Heidelberg, Winter, 1904 sqq. 2.20, 3.20, 3 60, 3.40 M.

F. Hoffmann, Uebungsb. z. Uebersetzen aus d. Deutschen in d. Latein. 2 prt. (Text u. Stilist. Bemerk.) Berlin, Weidmann, 1910.

H. Geist, Uebungsstücke z. Uebersetzen ins Lateinische für Oberklass. 2 prt. (Text u. Uebersetz.) Giessen, Roth, 1910. 4 M.

K. H. Planck, Uebungsstücke f. d. latein. Komposition. 2 prt. (Text u Uebersetz.) Stuttg, Metzler, 1896. 2 25 M.

G. Radtke, Materialien z. Uebersetz. aus dem Deutsch. ins Latein. f. Gymnasial-Priman. u. Studier. d Philol. 3. Aufl. Leipzig, Teubner, 1891. 2.40 M.

annorum docuit, quare, si singulos quoque interdum adire coacti erimus, veniam nobis illos daturos auxiliumque libenter laturos esse haud dubitamus.

Haec mihi igitur primum omnium visa sunt deliberanda:

I. Quae verba vernaculi sermonis maximis — nam haec tantum lubet respicere — lexicis non continentur?[5])

Consideretur velim me aperte non de Germanis tantum loqui, sed omnium lectores gentium ad communem operam invitare, quamobrem, quae missa erunt vocabula, in praecipuas linguas convertentur.[6]) Et praeterea: Non nobis ipsis laboramus, sed carissimae nostrae linguae latinae omnibusque, qui ei dant operam. Proinde, etiamsi quid minoris tibi videatur momenti, noli tamen nos celare!

II Quod verbum latinum ei, quae deest, voci plane tibi videtur respondere?

Notum est vix ullum inveniri vocabulum, quod prorsus alteri respondeat linguae. Tamen, ut unum hic ponam exemplum, ‚venditatio' sine ulla dubitatione idem declarare dico, quod germanice ‚Reklame'. Minus apte Kürschner l. l.: Reklame commendatio. Hinc ‚Schandreklame' = grandiloqua venditatio; ‚marktschreierische R.' = circulatoria v. ‚Bestellen' (ein Buch, eine Zeitung) = mandare. ‚Fahrrad' = currus pedestris; ‚Automobil' = motoria rheda; ‚Motorrad' = motorius pedestris (sc. currus); ‚Automobilomnibus' = motoria publica (sc. reda)[7])

III. Quod verbum latinum, quamquam non plane respondens, tantum tamen ad vernaculam accedere significationem videtur, ut apta substantivi, adiectivi vel alia huius generis adiunctione eo, quo velis, sensu possit adhiberi?

Sic fortasse: defector, perfuga pro: ‚Streikbrecher'; ‚Streikposten': speculator. E contextu orationis vel verbis adiectis, qui respondens sit loco sensus, apparebit.

IV. Qua circumlocutione latina vernaculam vocem, cum exacta, ut ita dicam, desit interpretatio, reddi posse existimas?

Professores Couturat et Leau Parisienses illud maxime nostrae aetatis scriptoribus latinis obiciunt[8]), quod certis rerum nominibus carentes nimis frequenter per ambitum loquantur verborum. Exempla

---

[5]) Ego inter alia ex quinque primis literis operis Georgesiani haec notavi: Beziehungen zu jem abbrechen — sehr abfallen gegen jem. — Abgeordneter (Reichstag, Landtag) — Absage erteilen jem. — einen Abstecher machen = ex itinere deflectere ad (Plin.) — ahnungslos = impendentis (futuri) mali nescius, latentis periculi etc. nescius — von Angesicht zu Angesicht (sehen) = coram, ipsum videre — die Antike — Ar (100 qm) — Athlet — auferlegen — aufklären darüber, dass . . . — aufsaugen — aufschneiden (ein Buch) — Aufständische — ausnutzen — ausweichende Antwort — sich autonom erklären — mit grosser Befriedigung — befruchten (translate) — Beifügung — benötigen — berechtigt (Wünsche etc.) besprechen (ein Buch) — Besprechung = censura — billig (e Bücher etc.) — ins Bockshorn jagen — breit treten — Conflict — Conflictsstimmung — Dienstverletzung — Gesetzentwurf einbringen — eingreifen = intercedere — sich einigen auf — entgegenkommen (den Wünschen) — entscheidender Sieg — Expedition (Forschungsreise) — explodieren — fakultativ etc.

[6]) Utilissimum ad rem nostram maximeque igitur commendandum est:

Kürschners Sechs-Sprachen-Lexikon (Deutsch — Engl. — Franz. — Ital — Span. — Latein.) Herausg. v. H. Hillger (55.—65. Tausend) Berlin u. Leipz, H Hillger. 3. Aufl. 6 M.

[7]) Cf. J. Tasset, Le latin langue supernationale (Les Questions Modernes, 11, 1911). Quam eleganter ille, purissimae licet latinitatis defensor, de novissimis scribat rebus, amici nostri ex multis eius scriptis cognoverunt.

[8]) Historie de la Langue Universelle. Parsi, Hachette, 1903. pg. 521 sq.

inter alia afferunt (e ‚Voce Urbis', commentario Romano): electrica lux, ferrea via, loricata navis, currus vaporiveha, birota velocissima, fabula Milesia, qui hodie adolescentibus erudiendis publice in Gallia praeest (ministre de l' instruction publique de France). Hunc modum dicendi mire similem esse dicunt incultis difficilibusque circuitionibus gentium ferarum, id quod his confirmant verbis: Il est curieux de constater que les extrêmes se touchent, la langue barbare et la langue raffinée. Hoc quam errent viri doctissimi, facile potest demonstrari. Cuique linguarum perito notum est rarissime duas linguas simplicem pro una eademque re habere vocem. Nam quo subtilius crescente cultu atque humanitate res ab hominibus fabricatae dividuntur, eo difficilior fit illarum per verba distinctio. Cui difficultati, cum nova vix fingantur verba, eam maxime parem esse linguam apparet, quae facillime potest verba componere. Tales inter Europaeas graeca sunt et germanica. Latina vero et francogallica linguae illam facultatem omnino fere amiserunt. Ridiculum igitur mihi quidem videtur, si Francogallus Latino vitio vertit, quod hic pluribus quaedam explicat verbis. Cur non viri illi doctissimi, ut ultima quattuor substantiva[*]), prima quoque suo sermone sunt interpretati? An ‚chemin de fer' et ‚lumière électrique' incommoda illis videbantur, cum ipsae sint, ut auctorum verbo utar, periphrases? Nonne sciunt Francogalli pro ‚cuirassé' haud ita multo ante ‚vaisseau cuirassé' dici solitum esse ideoque ne hoc quidem nomen simplicis verbi exemplum afferri posse? Non nobis, ut Romani ‚Appia' proficisci et ‚Liburnica' vehi dicebant, ‚ferrea' in itinere, ‚loricatis' in bello uti liceat? Ac plura eius generis per se ipsa fient, si Romana lingua ut patria nostra loqui discerimus. ‚Birota autem velocissima' titulus carminis erat, unde intellegitur adiectivum nihil hic esse nisi ornans, quod poetice vocatur, epitheton. Et quid de viro, qui ‚ministre de l' instruction publique de France' nuncupatur? Septem sunt omissa ‚hodie' particula in utraque lingua voces, altera alteram pedetentim fere, ut ita dicam, subsequitur. An igitur Francogallis Latini sunt loquaciores? — Denique elegantiae quoque sermonis causa scriptores pro simplici verbo circumlocutione uti quis est quin sciat? Ego, cum Henrici Mackay de anarchistis librum legissem, in Ludovici de Hessem interpretatione francogallica haec verba germanica: ‚ . . . . das Lächeln der Unbesiegbarkeit' sic inveni translata: ‚ . . . le sourire de ceux qui sont forts et qui se sentent invincibles', quamquam in eadem lingua non deest verbum ‚invincibilité'! Quis autem uti tali monstro audeat, quis latine ‚invincibilitate'?

V. Quibus locis cuiusque scriptoris auctoritate tuam licet translationem confirmare?

VI. Nostine serae, quae vocatur, vel etiam mediae latinitatis verba tam bene latina, ut iis uti possimus sine maiore puri sermonis damno?

VII. Quod verbum propones a te ipso formatum?

Quod optimi antiquitatis scriptores licere affirmarunt et ipsi fecerunt, id nobis etiam permitti credendum est. Philosophorum, ecclesiasticorum, physicorum opera documento sunt latinae quoque linguae, si non eandem quam graecae, at minime spernendam tamen inesse vim crescendi suique propagandi. Hac in technicis imprimis rebus describendis carere non poterimus.

Hic laboris nostri quasi sit conspectus, de quo quid sentiant lectores, si scripserint, hisce ego paginis publicare gaudebo. L.

---

[*]) His enim additae sunt versiones: cuirassé, locomotive, bicyclette, roman.

PROGRAMMA

CERTAMINIS POETICI HOEUFFTIANI IN ANNUM MCMXIII INDICTI

A. D. V. Idus Martias in conventu Ordinis Literarii a iudicibus ita est relatum de XXXII carminibus quae ad tempus iis fuerant tradita.

Statim abiecimus, ut prorsus hoc certamine indigna, carmina inscripta: *Pestis in Mantsjouryia* et *Tria Carmina,* neque multo diutius nos tenuerunt ea quorum tituli: *Paraenetica oratio ad puerum; Menippus; Ad Torrem Aquinatem;* Εὐφρόνῃ.

Parum placuerunt octo carmina in quibus tamen aut virtutes aliquas aut certe laudabilem voluntatem apparere minime negamus. Haec inscripta sic erant: *in Romam sollemnia libertatis agentem; in gentis Italicae Floram; post Romam Italiae in libertatem vindicatae restitutam; Sibylla Cumana; Agrippina Neroni; Christus dominus ad coenam ultimam; Roma; ludi populares.*

Magis probabantur octo alia, quae non esse in lucem edenda post aliquam demum decrevimus deliberationem. Horum tituli hi erant: *sensus ratioque; fabulae; ad Crucem Rubram; Andromache; Almae Matri; urbi Italiae Capiti; Barbara; Pacis sequestra* et *Templum Mariale* (duo haec ultima eadem fuerant munita scidula).

Restant decem optima, quae lubenter publici iuris facimus, lectu iucundissima, vera verorum poetarum atque artificum opera. Eorum titulos sic enumeramus ut quo quodque est praestantius eo posterius nominetur: *Ad Rhenum fluvium; Tupac Amaru; Strages infantium Bethlehemitarum; Plotinus; Villa Syronis; Eunus; Lydia; Venator,* denique *Solatiolum*, carmen suavissimum, tersissimum, lepidissimum, cui haud dubie obtigisset praemium nisi cum eo in certamen descendisset *Thallusa,* summi cantoris opus eximium, quo vix cogitari quidquam possit praestantius. Hoc quin aureo esset ornandum praemio non dubitavimus; atque aperta scidula prodiit nomen illud nobis notissimum atque ubique terrarum clarissimum *Joannis Pascoli Bononiensis.*

Novem illa, quae proxime ante Thallusam enumeravimus, sumptibus legati Hoeufftiani in lucem emittentur, si eorum poetae nobis *ante Kalendas Iunias* scidularum aperiendarum dederint veniam. Hanc iam dederunt F r a n c i s c u s X a v e r i u s R e u s s Alsatinus, qui *stragem infantium Bethlehemitarum* cecinit; A n t o n i o T a v e r z a n i Meratensis, *Lydiae* poeta; denique P e t r u s H e l b e r t u s D a m s t é professor Traiectinus cui lepidissimum illud debemus *Solatiolum.*

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ian. anni proximi mittant ad *Hermannum Thomam Karsten,* ordinis litterarii Academiae Ab-actis, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transscribendo portabile prelum Britannicum *typewriter*) adhibebunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur. Hoc *ante Kal. Iun.* fieri debebit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Martio pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami
Ips. Kal. Apr. MDMXII

P. D. Chantepie de la Saussaye
Ordinis Praeses

Textus In Latinum Vertendi Exempla

Francogallice et latine

Fustelli de Coulanges de civitate populari iudicium*)

„Si l'on se représente tout un peuple s'occupant de politique, et dequis le premier jusqu'au dernier, depuis le plus éclairé jusqu'au plus ignorant, depuis le plus intéressé au maintien de l'état de choses actuel jusqu'au plus intéressé à son renversement, possédé de la manie de discuter les affaires publiques et de mettre la main au gouvernement; si l'on observe les effets que cette maladie produit dans l'existence de milliers d'êtres humains ; si l'on calcule le trouble qu'elle apporte dans chaque vie, les idées fausses qu'elle met dans une foule d'esprits, les sentiments pervers et les passions haineuses qu'elle met dans une foule d'âmes ; si l'on compte le temps enlevé au travail, les discussions, les pertes de force, la ruine des amitiés ou la création d'amitiés factices et d'affections qui ne sont que haineuses, les délations, la destruction de la loyauté, de la sécurité, de la politesse même, l'introduction du mauvais goût dans le langage, dans le style, dans l'art, la division irrémédiable de la société, la défiance, l'indiscipline, l'énervement et la faiblesse d'un peuple, les défaites qui en sont l'inévitable conséquence, la disparition du vrai patriotisme et même du vrai courage, les fautes qu'il faut que chaque parti commette tour à tour et à mesure qu'il arrive au pouvoir dans des conditions toujours les mêmes, les désastres et le prix dont il faut les payer ; si l'on calcule tout cela, on ne peut manquer de dire que cette sorte de maladie est la plus funeste et la plus dangereuse épidémie qui puisse s'abattre sur un peuple, qu'il n'y en a pas qui porte de plus cruelles atteintes à la vie privée et à la vie publique, à l'existence matérielle et à l'existence morale, à la conscience et à l'intelligence, et qu'en un mot il n'y eut jamais de despotisme au monde qui pût faire autant de mal."

Si populum aliquem in re publica universum intueri velis occupatum, et a primo ad novissimum, a prudentissimo ad rudissimum, ab eo cuius maxime servari praesentem rerum statum interest, ad eum cuius maxime everti, discutiendis in negotiis publicis et tractandis in gubernaculis habentes aliquo furore libidinem; si millium humanorum in vita ortos ex hoc morbo perspicias effectus; si allatam hinc moribus cuiusque reputes perturbationem, sententias falsas mentibus plurimis inditas; sensus pravos motusque odiis infectos plurimis animis inditos; si tempus operi recenseas ademptum, controversias, virium iacturas, amicitias aut lapsas, aut fictas et sola propter odia contractas, delationes, deletam fidem, securitatem, ipsamque urbanitatem, illatum sermoni, orationi, arti saporem pravum, irremediabilem seculi dissensionem, suspicionem, licentiam, enervatum et debilem hunc populum, hinc orta necessario detrimenta, aboletum patriae studium verum ipsamque fortitudinem veram, culpas quas per unamquamque factionem ut conditionibus semper in eisdem rerum est potita vice sua fieri necesse est, clades pretiumque quo sunt ipsae redimendae; morbum idgenus funestissimam omnium periculosissimamque pestem necessario dices esse quae in ullum populum possint incidere, qua nulla in privam publicamque vitam, in res atque in mores, in conscientiam atque in intelligentiam crudelior saeviat, et in summa nullam unquam in orbe tam nocentem fuisse tyrannidem.

Ex Gallico convertit J. Tasset.

*) Cf. Caroli Maurras dissertationem in ephemeride L'Action Française principem V Martii 1912, Parisiis.

Quid „Antiquis" Cicero debuerit

(Laurand, De M. Tulli Ciceronis Studiis Rhetoricis. Paris 1907. Pr. 3 frc)

§ 2 — Quid Isocrati debuerit

Sumpseritne Cicero aliquid ex Isocratis doctrina rhetorica, doctissimi quidam viri ne examinandum quidem putant 1): aut enim nullam artem ab Isocrate unquam esse scriptam arbitrantur, aut non eam qua Cicero uti potuerit.

Fatendum quidem est Ciceronem, cum libros de Inventione scripsit, Isocratis artem nondum repperisse. Haec enim ait: „Fuit eodem tempore quo Aristoteles magnus et nobilis rhetor Isocrates; cuius ipsius quam constet (al. constat) esse artem 2) non invenimus." 3) Quid vero de illo tempore quo in libris de Oratore „Aristoteliam et Isocrateam rationem oratoriam" 4) complecti voluit? Nonne Isocratis artem tunc legerat?

Diiudicari id nequit nisi breviter attingatur quaestio scripseritne umquam artem Isocrates. Affirmant doctissimi viri post L. Spengel, qui reliquias artis Isocrati ab antiquis tributae collegit, defendit, illustravit. 5) Has Baiter et Sauppe 6), deinde C. Müller 7) in corpus Atticorum oratorum receperunt. At genuinas easdem esse alii docti viri negant 8), testimonia antiquorum de iis dubia esse contendunt, ipsas reliquias eas esse ut ab Isocrate minime scribi potuerint.

Ac primum quidem dicunt Isocratem qui artis scriptores irriserit, ipsum non potuisse artem conscribere.

Respondetur non omnes artis scriptores ab Isocrate irrideri. 8) Praeterea etiam si, cum esset iunior, artem sprevisset, potuisset postea, abiecta priore sententia 10), artes componere, quod cum Ciceronis testimonio mire congrueret: ait enim, auctore Aristotele: „Isocratem primo artem dicendi esse negavisse, scribere autem aliis solitum orationes, quibus in iudiciis uterentur, sed cum ex eo, quia quasi committeret contra legem QUO QUIS IUDICIO CIRCUMVENIRETUR saepe ipse in iudicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere, totumque se ad artes componendas transtulisse. 11) Additur non nulla in illa arte reperiri quae Isocrati plane ignota fuerint nec ante Hermagorae tempus excogitata. Sed hoc certo probari nequit. 12)

Difficilius respondetur iis quae obiciuntur de genere scribendi: fatendum

---

1) „Isokrates kann als Quelle gar nicht in Betracht kommen; es gab zwar ein Handbuch der Rhetorik unter seinem Namen; aber das war eines der gewöhnlichen Schulbücher von denen Cicero gerade nichts wissen will; auch scheint es erst von den strengen Atticisten nach Ciceros Zeit ausgegraben zu sein." Kroll, Cicero und die Rhetorik. Neue Jahrbüch. f. d. klass. Altertum, VI, 1903, p. 684.

2) Ars, „manuel". Cf. supra., p. 15, n. 1; Thesaurus Linguae Lat., II, p. 671, 54 — 672,2.

3) Inv. 2, 2, 7.

4) Fam. 1, 9, 23.

5) Συναγωγὴ τεχνῶν, sive artium scriptores ab initiis usque ad editos Aristotelis de rhetorica libros, p. 149—172.

6) Oratores attici, II, p. 224-227.

7) Oratores attici. II, p. 319 — 322. — Pauciores locos recepit Blass. Cf. Isocratis orationes, ed. Benseler-Blass, II, p. 275. Sauppe Isocratis artem defendit, Zeitschr. f. d. Alterthumswiss., 1835, p. 410.

8) Pfund, De Isocratis vita et scriptis, p. 21 — 22; Κυπριανὸς, Τὰ ἀπορρητὰ τοῦ Ἰσοκράτους, p. 213 — 215 (qui melius ceteris de antiquorum testimoniis disputat); Rehdanz, Göttingische Gelehrte Anzeigen, 1872, p. 1201 — 1205; Thiele, Das Lehrbuch des Isokrates, Hermes, XXVII, 1892, p. 11 — 21 (accuratissime de reliquiis a Spengel collectis disserit); idem apud Susemihl, Geschichte der griechischen Litteratur in der Alexandrinerzeit, II, p. 480 — 481.

9) Isocr. Soph 16. Cf. Sauppe, p. 410. Notandum est id quod A. Croiset animadvertit: „Suit-il de là qu' Isocrate, adversaire des anciennes τέχναι, n'ait pu à son tour en écrire une lui-même, comme on le dit quelquefois? En aucune façon. Platon, qui blâmait aussi la parole écrite a écrit toute sa vie, mais autrement que ceux dont il blâmait les discours. La τέχνη d' Isocrate, analysée par Aristote, différait évidemment beaucoup de celle des anciens sophistes (Histoire de la littérature grecque. IV 50? n. 9).

10) Benoît, p. 64.

11) Brut., 12 48; cf. 12, 46.

12) Cf. Sheehan, De fide artis rhetoricae Isocratae tributae, p. 40 — 47.

est enim in quibusdam ex locis quos Spengel collegit et Isocrateos putavit, crebros vocalium concursus aliaque asperiora inveniri quae vix Isocrati tribui posse videantur. At non si quidam loci ex falsa arte excerpti sunt 13), concludendum est omnium eamdem fuisse originem, cum apud diversos diversae aetatis scriptores legantur. Potuit quoque ars illa non ab ipso Isocrate sed ab aliquo eius auditore conscribi, doctrinam magistri, non ipsa verba referente. 14) Certum quidem est eam artem cum rhetorica doctrina quae ex Isocratis orationibus eruitur, optime congruere. 15)

Non est ergo cur negetur Cicero quicquam ab Isocratis arte hausisse. Sed etiam si ars illa aut numquam ab Isocrate conscripta esset aut Ciceronis tempore iam non extitisset, poterat Cicero Isocrateam doctrinam ex illo libro depromere quo Aristoteles antiquorum rhetorum rationes collegerat. Hoc Cicero iam in libris de Inventione componendis usus erat 16); huius etiam in libris de Oratore meminit. 17) Ex orationibus quoque Isocratis quaedam Cicero de eius doctrina rhetorica sumere poterat.

Et re quidem vera Ciceronis doctrina rhetorica cum Isocratea in quibusdam notatione dignis consentit.

Isocrates artem suam philosophiam vocabat 18), neque id plane iniuria, cum de rebus non minus quam de vocibus ac de genere scribendi curaret, 19) atque vulgaribus de iure contentionibus amplissimas de vita ac moribus disputationes longe praestare iudicaret. 20) Cum orationem contra sophistas edidisset, ita de eo Plato auguratus est ut eum praediceret ceteris omnibus praestiturum, et inesse in eius mente aliquam philosophiam existimaret. 21) Postea quidem inter se dissentire coeperunt neque videntur tales viri diu concordes manere potuisse. 22) Non tamen in quo dissenserint Cicero considerat sed in quo consenserint, cumque philosophiam oratori pernecessariam esse censeret, non minus Isocratis quam Platonis auctoritate niti posse sibi videbatur. Neque ab Isocratea ratione alienum erat quod finitis quaestionibus infinitas sine tempore et loco praestare dicebat.

Quod Plato primus contra sophistas enuntiarat, artem sine ingenio et doctrina non sufficere, id Isocrates apertius illustraverat. 23) In hoc Cicero cum utroque consentit. Quod ad ipsam artem attinet, de inventione et dispositione quae Isocrates docuit non multum videntur differre a ceteris rhetoribus. Sed de elocutione plura et meliora protulit. Ipse enim dicendi egregius artifex cum esset, in dicendi genus

---

13) Sheehan, p. 47.

14) Pfund, p. 22; Blass, Die attische Beredsamkeit, II, p. 106 — 107; Christ, Geschichte der griechischen Literatur, § 268; Navarre, Essai sur la rhétorique grecque avant Aristote, p. 189.

15) Sheehan, p. 36—40.

16) Inv. 2, 2, 6.

17) De Or. 2, 38, 160.

18) Notissimum id multisque perspectum nuper maxime illustratum est cum plurimos Isocratis locos collegit Παντάζης, ἡ Ἰσοκράτειος ῥητορική, p. 7 — 8, 9 — 10.

19) Croiset, IV, p. 503 — 504.

20) E. Havet, Introduction à la traduction de l' Antidosis par Cartelier, p. XXIII — XX[illegible]; Benoît, p. 63. — Immo Isocrates ab antiquis aliquando philosophus habitus est; cf. Sudhaus, Rheinisches Museum, N. F. XLVIII, 1893, p, 561.

21) Phaed., p. 279 A.

22) Croiset, IV, p. 504. Id saltem veri similius arbitror. Quamquam de Isocratis cum Platone simultatibus variae sunt doctorum hominium sententiae, cf. Stallbaum, Phaedrus, prolegomena, p. 116 — 121; Spengel, Isokrates und Platon, Abhandlung. d. bayer. Akad. d. Wissensch., VII, 1855, p. 729 — 769; Isokrates und Platon, Philologus, XIX, 1863, p. 593 — 598; Holtzner, Platos Phaedrus und die Sophistenrede des Isokrates; Bakius, Scholica Hypomnemata, III, p. 27 — 47; Strowski, De Isocratis paedagogia, p. 36 — 37, 50 — 53; Gercke, Hermes XXXII, 1897, p. 341 — 381; Susemihl, Neue platonische Forschungen, p. 24 — 43; Huit, La vie et l'oeuvre de Platon, I, p. 303 — 316 (= Revue des Etudes grecques, I (1888), p. 49 — 60); Παντάζης, II, p. 34 — 36; Hagen, Num simultas intercesserit Isocrati cum Platone; Raeder, Platons philosophische Entwicklung, p. 123 — 124, 137 — 145, 268 — 278 etc.

23) Soph., 14; Antid., 187—192; cf. Navarre, p. [illegible]7—183.

subtilius inquisivit, eaque docuit quae neque superiores noverant nec posteriores diu retinuerunt. Haec Ciceronis tempore neglegebantur; de his in tertio de Oratore dicitur „non traduntur in volgari ista disciplina“ 24), haec ad „Antiquorum et Aristoteleam et Isocrateam rationem oratoriam“ pertinent. Maxime vero Isocratea sunt quae Tullius de numero scripsit, quamquam non omnia praecepta quae de ea re tradidit ex Isocrate solo hausit.

Nimium quidem Isocrati tribuit cum eum primum omnium orationem numeris adstrinxisse dixit 25); in hoc se errasse ipse fassus est 26); minime vero errabat cum hanc Isocratis regulam proponebat: „etiam in soluta oratione, dum versum effugeres, modum tamen et numerum quemdam oportere servari“. 27) Id enim si non primus Isocrates, certe melius ceteris intellexit ac perspicue docuit 28). Idem Cicero saepe expressit 29) Isocratem simul et Aristotelem secutus.

Non igitur negari potest inesse in Ciceronis libris aliquid Isocrateum. Quod si fortasse non „omnem“ Isocrateam rationem oratoriam complexus est, tamen cum Isocrate consentit cum artem dicendi ad philosophiam revocat, cum artem sine ingenio et exercitatione sufficere negat, cum de numeris orationis solutae disserit. Haec sane non ad verbum ex Isocrateo libro exscripsit, sed numquam dixit se Isocratis librum in latinum convertisse; rationem tantum, id est modum quemdam et formam artis oratoriae complecti voluit.

24) De Or., 3. 49, 188.
25) De Or., 3, 44, 173; Brut. 8, 32 — 33.
26) Or., 52, 174 — 176.
27) Brut. 8, 32.
28) Sheehan, p. 8, 33; Norden, p. 53, 117.
29) De Or., 3, 44, 173 — 175; Or. 56, 187; 57, 195 — 196; 58, 198. De his in altera thesi disputavi: Etude sur le style des discours de Cicéron (Paris, Hachette, 1907). I. II, ch. I, § 2.

Spatio prohibemur, ne, quae plura noster disserit de hac re, lectoribus proponamus. Sequuntur enim in eodem capite partes hae: Quid Isocratis discipulis Cicero debuerit quid Aristoteli, quid veteribus Peripateticis, quae non minus quam priores accurate exquisisteque pertractantur. Admiranda imprimis lectio elucet; sermo, quamvis simplex sit, elegantia minime caret eoque ita utitur auctor, ut facile appareat non verba, quemadmodum saepe fit, scriptorem, sed hunc illa habere in potestate. Red.

Carmina

W. Goethe: Gefunden

Latine reddit F. Palata.[1])

Curis forte procul, vagus
carpebam nemoris per salebras viam,
cum bellus subito mihi
umbra conspicitur flosculus abditus:
fulgebat veluti poli
stellae, glauca velut lumina virginis.
Admoram cupidam manum
carpturus: gemitus cum levis insonat
— horrescens refero pedem —
ac vox pressa meis accidit auribus:
„Marcens ut peream, rapis
dextra me temere nec miseret mei?“
Dictis motus eram: pius
effodi tenerum gramine flosculum
cum radicibus omnibus
effossumque tuli, qua meus hortulus
urbano strepitu procul,
villae finitimus, surgit odorifer:
huc translatus adhuc viget
gemmas usque novas trudere prodigus.

[1]) Ab eodem auctore nuper editae sunt „Nugae metricae, quae pretio 1.80 M prostant apud H. Lüstenöder bibliopolam.

Epigrammata

Ad amicum honoribus praemiisque decoratum

In primis jam te numeravit patria dudum,
  Jam regina tibi signa decora dedit.
Nec tamen hoc magnum, decorant quod sidera pectus,
  Tu fac digna geras, sisque decus decori.

De fortuna poetis Romanis infesta

Pessima sors vexat praeclaros saepe poetas,
  Torsit Romanos omnibus illa magis;
Nasonem exilio male perdidit ira tyranni . . .
  Pfuschmannus vertit carmine Vergilium.

Ad discipulam ad juris utriusque doctoratum promotam

Furciferi servi Phakelos, Phryx atque Syriscus
  Legibus edoctam te celebrare volunt:
Si quando meritis mala crux impendeat illis,
  Patronum nisi te neminem adesse ferent.
Defendas, modo quae forma decoreris et arte,
  Protinus e laqueo furcifer omnis abit.

Ad discipulam, ut schola privata differatur

Trajecti mihi cras doctorum coena paratur,
  Cujus (prae studiis!) non memor ante fui.
Edendi sophiam semper studium sed edendi
  Laute et magnifice non mihi cura minor.
Ergo Martis erant quaequae Mercuria sunto,
  Crastinum opus subeat grata perendina lux.

Adulatio stultorum cibus

(ex Britannico)

„Stultorum cibus est κολάκων oratio blanda"
  Praecipiunt nobis dogmata sic veterum . . .
Attamen interdum sapiens grex ille severus
  Gustare eiusdem nonnihil ipse cupit.

Cygni et vates

(ex Britannico)

Rumor habet cygnos morituros fundere cantum,
  Falsa an vera ferat non ego nunc statuam,
At . . . vatum quidam si canturi morerentur,
  Jam fortuna mihi justa sit ac sapiens!

Hagae Bat. M. Hoogvliet

Ad puerum virilem togam sumentem cum libro artis antiquae imagines exhibente

Limina transgresso, puer optime, prima iuventae
    Pectore iam toto tempora fausta precor.
Quae si laeta voles, arti servire memento:
    Hinc tibi nam vitae nascitur omne decus. L.

Ex Epistulario Redactoris

Vir dilectissime!

Cohortationem novissimo Scriptoris Latini fasciculo adnexam, qua, quicumque in proximum annum lectores sese professuri sint, ut sine mora profiteantur, exigitur, cum legissem, quantum faverem omnibus studiis ad propagandum sermonis latini usum spectantibus, novo nolui cunctari comprobare documento. Quam ob rem denuo me mandare commentarium illum nostrum praeclarissimum scito pretiumque simul me mittere in annum destinatum.

Valere te iubet quam optime

C . . . K . . .

Dabam Ad Aquas Iscalenses a. d. XV. Kal. Sept.

Corrigenda

In num. II haec emendanda sunt:

pag. 32[1] l. 36 pro Sinensis: Sinenses,
„ 32[2] l. 20 „ affere: affero.

Sententia

Literatae civitatis una est communis lingua Latina. Hanc linguam ita tenere, ut huius civitatis quamvis late patentis vinculum contineatur, ut te omnes cives et intelligant et cum delectatione, animi affectu audiant, nonne praeclara quaedam est facultas?

Wyttenbach

Varia

In Mundano, quod vocatur, Scientiae Sodalitio,

cuius annuum modo prodiit programma, Tassetius noster, qui, ut scitis, Coetui Latino praeest in eadem societate instituto has in annum 1912 proposuit sodalibus quaestiones:

I

Num praeter solam illam virtutem, qua invicem se appeterent, inertia licet haberi sidera, quae natura sua lucere, calefacere, et omnigenis scatere viribus manifesta sunt?

Impar in arena atque in lapide, in glacie atque in aqua, et in ceteris corporibus, partium quum sit cohaerentia, num par (pari mole, intervallo) atque eadem est terrestri in orbe, luna, sole, sideribusque dissimillimis virtus illa, qua vicissim corpora se appetant?

II

Abstracta, veluti numerus, pondus, spatium, calor, quum finitis quidem sint sensibus data, utrum legitimum sit necne, ut in infinitum ratione ac mente producantur? An qui ultra experimenti fines rationibus et numeris describitur mundus, non aeque sit commentitius atque veterum poetarum Olympus?

III

Num res eodem per aevi tempora oriuntur ordine, quo scientiae et cognitionis causa per intellectum a simplo ad multiplex, a saxeis ad stirpes et animalia exponuntur?

Qui ascribi se huic circulo iusserunt, latine se latinis justi argumenti et decentis scripturae litteris responsuros esse pollicentur.

Societas, quum sola ex lingua constet, non terram, genus, sexum, fanum neque civitatem respicit.

Plura de hac libentissime quaerentibus scribet J. Tasset, Tonnere (Yonne), Rue de la Thébaïde (Franc.)

Humanitatis studia quanti sint apud Americanos,

cum saepe his in foliis ostendi, tum novo hodie demonstrare possum nuntio, quem nuper legi in ‚Berolinensi Hebdomadario Classico‘ prioris anni. Exeunte igitur anno 1910 Richmondi, quod caput Virginiae est, consilio atque auctoritate Theodori Fitz Hugh professoris societas quaedam classica condita est, cui ascripti iam sunt plurimi veterum ibi linguarum praeceptores. Ille enim vir, umbricis, ut scitis, oscisque imprimis operam dans studiis, palam proposuerat, ut nisi qui latinae linguae scientiam haberet, ad politioris humanitatis gradum pervenisse non putaretur. Illi cognitioni nihil par esse dixerat, nihil umquam posse anteferri; cui quis alii studeret linguae, nihil interesse, dummodo Romano satis instructus esset sermone. Tum mense Novembri eius, quem ante dixi, anni, cum,

qui in publicis Virginiensis civitatis scholis docent, conventum haberent, propositum statuendae societatis consilium omnes, qui aderant, singulari consensu comprobarunt. Sic ortum est Virginiense, quod vocatur, Sodalitium Classicum, cuius ducem ac praesidem eum sodales voluerunt, qui tam feliciter totam rem instituisset. Ac dignus quidem est huius muneris honore. Nam, quo flagrat latinitatis defendendae studio, id eo convertit, ut etiam qui non sunt societatis suae, de classicae, quam dicimus, eruditionis dignitate et utilitate edoceat. Veluti in libello, cui inscripsit ‚Culture in Democracy', quem ad omnes classicarum linguarum in Virginia magistros misit et amicos, antiquitatem et fundamentum tamquam esse et originem earum, quas nunc geramus, rerum ac praesertim, quanti Romanorum aestimandus sit cultus, quanti ipsa eorum lingua, diserte non minus quam docte prudenterque exponit. Unum tantum liceat optare, ut, qua est latini sermonis peritia, illo in omnibus societatis suae scriptis uti iubeat, id quod mirum quantum conferet ad socios arctiore etiam vinculo iungendos. Speremus nos ex illa urbe, quae, septem ut est collibus condita, Romae, aeterni capitis terrarum, imaginem refert, in qua ne Capitolium quidem deest, multos etiam nuntios laetissimos esse accepturos. L.

Censura Librorum

W. Jordan, Ausgewählte Stücke aus Cicero auf biographischer Grundlage. Mit Anmerkungen für den Schulgebrauch. Achte verbesserte Aufl. v. H. Schöttle. Mit Anhäng., Abbild. u. Karte. Stuttgart, J. B. Metzler, 1911. XIX, 207. Pr. ?

Hunc librum omnes ii inspiciant velim, qui veterem nobis semper fabulam decantant Ciceronem nihil afferre discipulis nisi taedium atque languorem. Sint sane, qui iuvenum ingenia sua intellegentia metientes nimis aliena ab illa aetate proposuerint legenda, sint, qui aliter erraverint in aptis locis adhibendis — haec certe chrestomathia ostendit nostros quoque homines Tulliano genere scribendi allici posse atque teneri. Quae varietas rerum quali sermone tractatur! Ecce verus ille homo Romanus, qui ingenio suo omnem veteris Graeciae sapientiam doctrinamque est complexus. Quis tanti viri vitam sequi legendo nolit! Eo enim ordine in hoc libro excerpta disponuntur, ut a prima pueritia usque ad mortis diem Ciceronem comitemur, cuius persona ut expressius etiam emineret, Hermannus Schoettle, qui a sexta editione Jordani opus susceperat curandum, ea, quae minus pertinere ad ipsum oratorem nostrum videbantur, cum iterum esset proditurus liber, omisit, alia aptiora, in his Senecae de morte illius narrationem, recepit. Huc accessit paginarum prioris cum nova editione comparatio, ut praeter octavam septima quoque editione discipuli possint uti. Ceterum omnibus, qui nondum noverunt chrestomathiam, dictum sit ubique, quatenus fieri potuit, quando gestae vel scriptae sint res, indicari idque ex optimis de chronologia Ciceroniana libris. Faciunt igitur initium e vita Ciceronis narrationes, sequuntur hominum rerumque, quae forensibus eius orationibus continentur, descriptiones, philosophica, oratoria, epistulae, quibus adiectae sunt variae accurataeque de rerum gestarum ordine, fastis Romanorum, oppidorum situ appendices et tabellae. In notis, perspicua quadam brevitate omnia ad intellegendum necessaria explicantibus, si L (= linea) littera omissa esset, spatio multum parci potuisset; nec oportuit in nota eandem lineam spectante illam repeti. Pg. 71,33 pone comma post vero; 89,19 lege: **nomen in**; 89 21 lege: admissus **est;** 114 scribe: Haupttugenden et potius: Sittlich-Guten; 120 infra melius: nördlich vel nördl.; 122 ego malim: ‚Unterhaltung' pro Gespräch; 152 cur Atticum crassioribus typis descriptum sit, non video; 155 in margine non facile intellegatur ‚zg'; 165 infra lege: **en**klitisch, ibidem betont pro beto**n**te. Haec tamen pauca nihil pulchro detrahunt libro, quem, ut in multis septemtrionalis Germaniae scholis a latine discentibus legitur, aliis quoque locis acceptum fore iure videmur sperare. L.

F. Winterstein, Die Verkehrs-Sprachen der Erde. 2. verm. Aufl. Frankfurt a. M. und Berlin, M. Disterweg, 1908. 52. Pr. ?

Quo tempore linguarum scientia magis magisque necessaria fit unicuique homini erudito, multi cum voluptate legent libellum, in quo breviter narratur, quam late pateant notissimarum linguarum provinciae. Quam abundet tamen ille rebus, inde cognoscitur, quod in indice quadringenta fere inveniuntur nomina. Consentaneum est auctorem, huius quippe disciplinae studiosissimum, latinae quoque linguae mentionem facere. Tamen ego non dixissem illam difficiliorem fuisse, quam ut, quod ante fuerat, commune populorum vinculum posset manere. Aliae enim mutationis rerum erant causae. Memorandus erat praeterea latinae linguae in ecclesia catholica et naturae rebus denominandis usus universalis. Quod ad numerum linguarum attinet intra superiora decennia excogitatarum, error est illas duodecim fere esse, quoniam secundum opus a professoribus Couturat et Leau ao. 1903 editum, si ab

anno demum 1870 computamus, plus iam quadraginta numerantur systemata, quorum numerus his ultimis annis aliquanto etiam augebatur. Quae auctor de germanicae linguae praestantia dicit et virtute, ea quemvis Germanum sui sermonis patrii amantem summo gaudio afficiant necesse est, item, quod, quidquid redeat ex venditione libelli, popularium suorum in usum impensum iri profitetur. L.

H. Zimmern, Keilinschriften und Bibel nach ihrem religionsgeschichtlichen Zusammenhang. Berlin, Reuther u. Reichard, 1903. 53, m. 9 Abbild. 1 *M.*

Quamquam diu desitum est de biblicorum scriptorum cum babylonica traditione connexu palam disceptari utiliusque assyriologi putarunt tacite assidueque laborando suam ingentis illius et in dies crescentis materiae scientiam augere tamen hodie quoque acceptum esse libellum credimus, cuius auctor theologiae aeque ac philologiae peritus, quaecumque maximi sunt in tota quaestione momenti, sine ira et studio sibi proposuerit exponenda. Tale est, quod supra indicamus, opusculum. Nec enim eorum est Zimmern, qui pertinaci quodam theologicarum rerum studio Judaeos quicquam ab aliis Orientis populis assumsisse negant, nec iis censet prorsus assentiendum, qui temere coniectantes certa immisceant incertis nullaque inscriptionum auctoritate fultis. Quamobrem lectorem ad ipsa adducit problemata veri simile quid videatur, quid non probabile, suo loco demonstrans itaque suum cuique iudicium relinquens. Haec nostra quoque sententia recta docendi ratio est. Imagines ex optimis de assyriologia operibus excerptae verba scriptoris efficaciter illustrant.

Wo.

P. Cauer, Das Altertum im Leben der Gegenwart (Aus Natur und Geisteswelt: 356) Leipzig, B. G. Teubner, 1911. VI 122. 1.25 *M.*

An hodie quoque antiquitate animi moveantur, si quando, his quaeritur diebus, cum recentiora tantum immo recentissima solent homines aucupari. Qui Caueri legit librum, adversariisne veterum an amicis magis sit credendum, non dubitat: tantae scientiae copiae haud facile possit quicquam opponi. Ad hoc ipse auctoris sermo mirifice legentem tenet, qui ex antiquarum exemplo linguarum conformatus illud nobis dicendi genus revocat, quo classica, quae vocatur, literarum nostrarum aestate eruditi utebantur. Potest profecto — hoc nimiis domestici sermonis cultoribus dictum sit! — potest nostra etiam lingua prudente veteris orationis imitatione excoli atque locupletari. Cui autem palmam feram dissertationi? Equidem maxime omnium admiratus sum illam, cui ‚Traditionsforschung' inscribitur, quam quisque legat ac relegat velim, qui quantum sit vere philologum esse, nondum intellexit. Unum tamen non puto omittendum nostra quidem opinione veram ex tali libro eos tantum hausturos esse voluptatem, qui ipsi his studiis operam dederint: linguarum insciis vix quicquam eorum, quae quamvis dilucide auctor exponat, persuadeatur. L.

Alfred Gudeman, Imagines philologorum. 160 Bildnisse aus der Zeit von der Renaissance bis zur Gegenwart. Leipzig, B. G. Teubner, 1911. 4° VIII + 40. 3.20 (4) *M.*

Alfredus Gudeman, cui debemus bonae frugis plenum libellum, quo historia philologiae adumbratur (Grundriss der Geschichte der klassischen Philologie, Leipzig u. Berlin, B. G. Teubner, 1907), laudabile concilium cepit imagines celeberrimorum omnium gentium philologorum inde a temporibus renatarum in Italia litterarum usque ad nostra tempora colligendi atque edendi. Sylloge Gudemani constat quadraginta tabulis, quarum singulae octonas imagines exhibent. Agmen ducunt F. Petrarca, J. Boccaccio, L. Bruni, M. Chrysolaras, claudunt L. Traube, F. Dümmler, A. Dieterich, C. Krumbacher. Imagines philologorum imprimis saeculi XIX. elegantissime confectae admodum placent exceptis effigiebus H. Weilii et G. Corsseni (30), quae adeo attritae sunt, ut spectantem delineamenta oris vix dignoscere patiantur. Nec L. Rossii imago (25) omnibus numeris absoluta est. Unaquaeque imago subscriptione nominis philologi instructa est praeterea in indice nominum propriorum nec non fontium (p. IV—VIII) nomini cuiusque viri docti adscripti sunt annus locusque et natalis et fatalis nec non fons, ex quo imago in hac collectione efficta manavit. De delectu imaginum certari potest cum editore, qui in praefatione p. III. monet nonnullorum philologorum imagines omnino non exstare (L. C. Valckenarii, fortasse etiam Henrici Stephani, P. Elmsleyi, J. Bernaysii). H. A. J. Munronis imaginem sero in manus ipsius devenisse, aliquot virorum doctorum effigies in summa contentione parari nequivisse, ceterum integram fere seriem coryphaeorum qui dicuntur nostrae doctrinae vita defunctorum hac collectione proponi. At ego, ut de superiorum saeculorum et saeculi XIX. philologis minorum gentium taceam, summopere desidero imagines A. Pottii H. Steinthalii, F. G. Schoemanni, F. Haasei, L. Langei, H. Jordani, Luc. Muelleri, A. Kiesslingii, M. Hertzii, G. F. Ungeri, C. Sittelii. Tum non possum eruere, cur philologorum, qui summam aut certe grandem senectutem attigerunt, aliorum imagines producantur aetate virili (A. Boeckh, F. Ritschl, M. Haupt, H. Sauppe), aliorum aetate senili (J. Bekker, Th. Mommsen) confectae. Denique notandum est nomen Augusti Meinekii falso scriptum p. 23. Meinecke, (recte in indice p. VII. Meineke legitur), J. G. Droysenum in oppido Pomeraniae Treptow, non Teptow (ind. p. V.) natum esse. — Et editori et redemptori huius venustissimae

syllogae, qui nullis laboribus aut sumptibus pepercerunt, dummodo imagines philologorum integerrimae perfectissimaeque evaderent, maximae debentur gratiae et optandum est, ut in proxima opellae editione ea, quae reprehendimus, emendentur.

Stanislaopoli Z. Dembitzer

Nuntii menstrui

Mensis Januarius

2. Ferunt Lipsiae brevi cum aliis duobus actum iri patriae proditionis suspectis; eos interim rei cognoscendae causa Hammoniae custodia teneri.

In austriaca quae vocatur delegatione nationalis Germanorum societatis legatus, Aehrenthalii de triplici foedere supplens verba, dicit Germaniae Austriaeque communionem ipsa rerum gestarum memoria inniti.

Britanni subito ea, quae Lusitanorum est, parte Africae delectari incipiunt.

Parisiis civitatis qui sunt quique fuerunt ministri vehementissime inter se disceptant, quisnam primus suaserit coloniam Conginensem Germanis concedendam.

Vratislavia nuntiatur Dahnium, virum scribendi laude excellentem, duodeoctoginta fere annos natum obiisse.

Quinque et viginti milia virorum Mons ad urbem carbones effodientium composito consilio ab opere discedunt.

Dicunt rei militaris apud Francogallos praefectum Luxium centurionem, qui fracto carcere ex Glatziensi castello effugerat, Algeriensi cuidam praesidio attributurum esse.

9. Russi magnas copias Charbinum contrahere feruntur.

Roma: ‚Avanti' si credere licet actis publicis, Tripolitani ea fuit belli causa, quod Angli in Germanos suspiciosi Italos coegerint ad Turcas aggrediendos.

Neo-Eboraci complures homines frigore mortui esse nuntiantur.

10. Adolphus Fredericus, Mecklenburgensis dux, Togo, ut putatur, coloniae praeficietur.

De Selves, extera francogallicae reipublicae curans negotia, cum munere se abdicarit, Delcassé in eius locum successurus esse dicitur.

11. Germani cum Austriacis, Batavis, Helvetiis de vectigalibus, quae navibus in fluviis germanicis vehentibus imponere in animo est, agere coeperunt.

Berolino: Summi rei militaris administratores declararunt se imposterum a construendis semirigidis quae vocantur aeronavibus desistere statuisse.

Acta diurna Petropolitana, quae ‚Rossija' inscribuntur, acerbissimis verbis Britannorum in Persia insidias consectantur.

Copiae novum Persarum imperium defendentes a prioris regis militibus proelio superantur.

Norvegi publice rationem promulgant pecuniarum novo anno erogandarum. Apparet inde illos magnos pro numero incolarum sumptus in rem militarem esse facturos.

13. Albis fluminis navigatio ob multam glaciem in aqua fluitantem intermittitur.

Ex Bahia graviores de turbis nuntii afferuntur.

Seditiosi Sinenses Pekiniam versus procedunt.

Lusitanorum in occidentali Africa coloniae seditione nigritarum agitari dicuntur.

15. Canalejas, hispanici praeses ministerii, eiusque in gubernanda civitate socii magistratum abdicant.

Tota Sina incendio, rapina, caede flagrat; domus imperatri sibi omnibusque suis e Mandshu gente successoribus regnandi iura dimisit.

Bahiae multi homines telis a brasilianae civitatis militibus in urbem coniectis occiduntur.

Parisiis nuntius advenit Poincaré, virum ex senatorio ordine, suscepto principis ministri officio novos sibi ad rempublicam administrandam collegas cooptasse.

16. Notum fit numerum suffragiorum a democratis socialibus qui vocantur, ad publica Germanorum comitia latorum quinque intra annos decies fere centenis milibus crevisse.

Londinio: Certum habetur perendie ex tota Britannia operariorum in carbonariis fodinis laborantium legatos conventuros, ut de communi ab opere desertione deliberent. Timor est, ne omnibus fere sententiis illud consilium comprobetur.

17. Trenchius, speculator britannicus Glatziensi castello custoditus, ipsum se interimere voluisse simulavit, sperans se in valetudinarium deductum iri, unde facilius fugam comparare posset.

Laurentiae, in urbe Americae, magnus fit cessantium operariorum tumultus, in quo quinquaginta fere illorum totidemque milites interficiuntur, multi alii a custodibus publicis comprehenduntur.

19. Ob Mauritaniae res in Francogallorum senatu patefactas acta Britannorum diurna, cuiuscumque sunt factionis, una tamquam voce flagitant, ut, qui extera curet minister, aperte dicat, quo in periculo terra fuerit et quid de bello communiter gerendo cum Francogallis convenerit. Creditur iterum de hac re in concilio publico actum iri.

Ad litora Tunitana portitores francogallici navem interceperunt, quae russico vexillo insignita arma aliaque instrumenta bellica Turcis tradenda portabat.

Navis aerea L. Z. 11. notata, quae paene perfecta est, mense Martio vel Aprili ex portu Fridericiano Hammoniam transferetur.

20. Nuntiant haud mediocrem Italos inter et Francogallos intercedere simultatem ob duas naves ab his in mari detentas et, si quos politicis de rebus suspectos secum haberent, pervestigatas.
21. Summi iudices Madritani heredibus Ferreri bona eius in publicum addicta reddi iusserunt.
22. Teherano affertur Russos duobus milibus peditum et tormentoriorum urbem Mesched obsedisse.
22. Kiderlen-Waechter Romam advenit.
23. Ut Mediolano nuntiatur, Caneva aliique primi ordinis duces, quibus inertia obiciatur, ab Africa revocabuntur.
Adveniunt novi nuntii de navibus ab Italis in mari retentis.
Hagensis de usu opii prohibendo conventus clauditur.
24. Imperatoris sinensis vidua Mandshuanae gentis de renuntiato regno declarationem rescindere conatur.
26. Madrito: Hispanicae reipublicae ministri muneribus suis fungi pergent.
29. Imperium germanicum publice conferri iubet octoginta milliones marcarum, pro quibus quattuor centesimarum usura constituitur.

Responsorium

R. A.: Egregium florilegium latinum est, quod philologi illius Lipsiensis, cui a Carola regina nomen, gymnasii edere coeperunt. Nam qui usque adhuc prodierunt fasciculi, eo differunt a similibus libris quod omissis, qui in scholis legi solent, scriptoribus usitatisque operibus Ciceronis minus nota proponunt discipulis, sed quae nequaquam ob id videantur contemnenda. An quisquam selectis Gellii, Valerii Maximi, Apulei, aliorum scriptis carere malit in pueris erudiendis? Sed ne inscriptiones quidem florilegii editores neglexerunt, velut ibi invenies Claudii de iure honorum orationem, Hadriani de militibus suis iudicium, Romani cuiusdam in Murdiam matrem mortuam laudationem aliaque multa cognitione digna. Sunt libelli utilissimum sane ceteris officinae Teubnerianae chrestomathiis additamentum, cum, quae in Brandtii, Opitzii, Weinholdii leguntur operibus, hocce florilegio non contineantur. Pretium vilissimum est: constant enim singuli fasciculi, qui octo omnino eduntur, 0.60 ℳ, quamquam 80 fere insunt paginae. Magistris, an suam in scholam novum hoc florilegium inducant, deliberantibus inspiciendi eius cognoscendique causa redemptor, qua est humanitate, libentissime illud dimidio se pretio daturum esse promisit. — De catalogis quid fieri velis, fac me sine mora certiorem. Vale.

U. S.: Fiet. Mitte.

S. B.: Acceptissima mihi fuere nomina latine scientium, ad quos numeros S. L. mittendos curavi; tuum quoque advenisse non dubito. Tu vero, qua es linguae peritia, age adiuva nos commentario legendo: nos rependere tibi gratiam non neglegemus.

C. M. Quod commentationi vel rectius interpretationi illi inscribitur, optime vernacule redditur: „Über neueren Reklameunfug". Vide hodiernam de recentiore latinitate dissertationem.

H. H.: De sententiis tuis ad studium linguarum pertinentibus quid sentiam, pluribus tibi proxime verbis exponam. Mihi quoque dignae illae videntur interpretatione latina, sed nunc ipsum parum mihi otii est ad tale opus ingrediendum. Mitte vero narratiunculam tuam e Scottio excerptam: publicabitur. Pro ceteris, quae his iam paginis inserta videbis, multas ago optimasque grates. ‚Unicum' exemplar germanice dicitur „einziges exemplar", non „einzelnes", quod ‚singulum' Latinis est.

F. W.: Elegiacorum poetarum selecta desideranti opera maxime tibi commendo librum, qui inscribitur: H. Jurenka, Auswahl aus den römischen Lyrikern (Meisterwerke der Griechen u. Römer in kommentierten Ausgaben: III) Leipzig, Teubner. 1.60 ℳ. Est series libellorum suo in genere praestantissima.

W. M.: nach unserer heutigen auffassung von schicklichkeit = nostris moribus; man darf billig (mit recht) von einem redner verlangen, dass er die fähigkeit habe, auch über solche dinge zu sprechen = aequum (par) est de his quoque rebus posse oratorem dicere; in verhältnismässig kurzer zeit = non ita brevi tempore; eine (kleine) Idee höher (fam.) = pusillo altior; wenn ich auch nicht gerade seine existenz in frage stellen möchte = nam nullum esse non libet dicere; es ist nämlich gerade, als wenn das land mit brettern vernagelt wäre = tamquam enim clausa sit terra.

D. K.: Pro tam benignis de S. L. verbis gratias ago; quae vero de ciconia addideras, non intellexi.

S. E.: Utinam plures tuum sequentes exemplum aeternos se profiteantur lectores! Hoc sane rem nostram magnopere adiuvaret. — Annos priores nunc tandem te accepisse confido.

Lignario: Tam cumulati abl. abs. saepius leguntur, velut ex Cicerone: Non, tempore oblato, ducibus paratis, animis militum incitatis, populo Romano conspirante, Italia tota ad libertatem recuperandam excitata, deorum immortalium beneficio utemur? — His auctoribus et ducibus, diis iuvantibus, nobis vigilantibus, et multum in posterum providentibus, populo Romano consentiente, erimus profecto liberi brevi tempore.

B. D: Quod Scriptorem tam benevole commendas, valde gaudeo gratiasque ago quam plurimas. Nonne unum ex Hanseni pastoris carminibus publicabis? Quod si feceris, et magnum lectoribus tuis gaudium afferes et multum proderis ad editionem pulchri illius libelli maturandam.

N. R.: Gaudeo, quod nuntiis politicis tantopere delectamini. Vestros sic putavi

vertendos: Contionibus de mulierum suffragio habitis Londinienses feminae illud ius importunissime deposcentes curiam oppugnare conantur. Fiunt vehementes cum custodibus publicis concursus. — Beresfordius, senatorii vir ordinis, oratione Portsmouth in urbe habita summos rei navalis praefectos vehementer insectatur, quod classis britannica aestate non satis fuerit ad bellum parata. — Prope Montreuil-Bellay, oppidum in Francogallia situm, currus vapore moti in amnem imbribus auctum decidunt; timor est, ne septuaginta fere homines vitam amiserint.

B. F.: Tu nos collegamque tuum maximopere adiuvasti cantico illo ecclesiastico publicato: sint tibi optimae nostro et amici nostri nomine grates! Mitte, quaeso, ad nos unum commentarii tui numerum, ut quas contineat res in Scriptore Latino enarremus.

P. T.: Vehementer gaudeo, quod ‚Discussionibus' tuis curas, ut Scriptor inter vos quoque notescat; nos vicissim libentissime tui commentarii summaria indicabimus, scientes nos quamvis diversa moliamur, linguae tamen latinae amore ac studio coniungi. Sic alter alterum optime adiuvamus.

H. L.: Chartulam meam te accepisse spero. Quod tamen gratias tibi agere omisi ignoscas: non sum immemor humanitatis tuae. De nova lingua, qua Welleri versus scripti sunt, vide, quaeso, Script. Lat. pag. 32 et Perfect-Literatur Nr. 4, pg. 80!

Habitatio mea, si quis viam praeter urbis nomen indicare velit, nunc est:

— Bremerhaven, Kaiserstraße 11 — L.

Aenigmata

composuit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

1

Ales sum, bona vaticinans aut dira volatu;
Si paulum mutor, bestia quadrupedans.

2

Bestiolae celeri rodenteque dente nocenti
Adde pharetratae virginis arma deae:
Ecce rapax aderit pretiosa tectaque pelle
Bestia, bestiolae quae parat insidias.

3

Dimidium mihi deme prius; quod restat, id ipso
Toto me — mirum! — longius esse vides.

4

Si – –́ ⏑ legis, sum femina nupta, pudica,
Ingenuae stirpis, nobilis atque gravis.
–́ ⏑ ⏑ si loqueris, fluvii dico tibi nomen
Antiquum, cuius Gallia potat aquas.

Ex iis, qui haec aenigmata solverint intra duos menses, unus sortitus gratis accipiet librum:

Fetz-Thiele, Was Kinder erzählen. Bremerhaven, Morisse, 1911.

Sententiae latine reddendae:

So viel sehe ich klar: Die Zeit ist nicht fern, wo dem Etymologen eine anatomische Kenntnis des Sprech-Organs nicht mehr erlassen werden kann. Das Ableiten der Wörter vom dürren Papier weg und nach der oberflächlichen Einteilung der Konsonanten in tenues, medias und aspiratas wird nicht mehr genügen; der Etymolog wird sich die alten Laute der Sprache mit ihren feinen und feinsten Unterschieden hörbar machen, je nachdem die vorläufig vermutete genesis eines Wortes es zu verlangen scheint. Mit möglichster Sicherheit kann er das aber nur, wenn er die einzelnen Saiten seiner Sprach-Harfe genau kennt, ihrer Lage und ihrer Spannung nach. Dabei wird er dann erwägen, dass den alten Griechen, Römern und seinen eignen Altvordern der Mund eben so quer im Gesicht sass, wie er selber ihn trägt. Bis jetzt habe ich die Anwendung der Kenntnisse vom Sprach-Organ auf Wort-Genesis und Wort-Ableitung nirgends gefunden.

Vorrede zu: Fulda, Griechische Lieder übersetzt aus deutschen Originalen (Halle 1837)

Huic penso qui satisfecerit optime, gratis accipiet librum:
E. Zeller, Flores in horto Divi Augustini decerpti. Stuttgartiae, imp. D. Gunderti, 1912.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem, Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., Baustrasse 10.

Nomina et domicilia

eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislau — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — Dr. J. M. Hoogvliet, doc. priv., Haag — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila (It.) — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — P. Recanatesi, Prof., Osimo (It.) — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach (Bay.) — J. Tasset, Tonnerre — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

F. Palata, Nugae Metricae (Frankfurt a. M., Hans Lüstenöder, Pr. 1.80 M). Omnes latinae Musae amatores libenter audient Palatam nostrum, qui a primis commentarii huius initiis lectores carminibus suis venustissimis delectavit, suadentibus amicis nunc tandem illa edidisse uno volumine comprehensa. Nam hoc mihi — quamvis multis cum auctore vinculis coniuncto — dicere liceat, quippe quod alii multi iudicarint, Palatam raro esse poeticae formae sensu praeditum. Vertit enim non solum poemata, immo vivit, sentit cum poeta, ut, quemadmodum saepe fit in eiusmodi versionibus, non subtilis numerorum observatio, non elegantia solum orationis capiat lectorem sed magis etiam translatoris cum ipso poeta dolentis vel gaudentis affectus sinceri. Hic translator quasi alter poeta, versio alterum exemplum est. Ceterum libello praeter nota lectoribus nostris carmina nova quoque nec minus laudanda continentur, quamobrem omnibus promiscue possit commendari.

Typographus: Carolus Wichert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus IX: Numerus IV

— Procurant negotia —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
in Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. IX — Francofurti a. M., Mense Iulio MCMXII — Num. IV

De Heynii Philologi Latinitate

Fridericus Wunderlich in Vergili Operibus, quae ab illo notis illustrata edidit Lipsiae 1822, his iudicat verbis: „Reliquum est, ut iam de Latinitate Heynii dicam, quae cum saepe in varias incurrerit reprehensiones, tum nuperrime vituperatorem nacta est iniquiorem; virum dico, qui in ephemeridibus Jenensibus vitae abs te conscriptae*) censuram fecit. Heynius quidem, quod sciam, facultatem perbene Latine scribendi nusquam iactavit, neque in tanta laborum et occupationum mole satis otii sibi dari vidit, ut etiam ad linguae Latinae lauream merendam pulchri decorique sensum, quem a natura acceperat acerrimum, conferret et applicaret. Nam nisi diligentissima eademque continua auctorum vere classicorum lectio facultatem scribendi aleret; frustra hanc laudem quaeri, ille profecto, qua erat in his rebus sagacitate, quin bene animadverterit, non dubitamus. Altiora igitur sublime et erectum eius ingenium quum appeteret, in summa scribendi celeritate in primis perspicuum et fluens dicendi genus sequebatur. Neque tamen aequi rei aestimatores negabunt, orationem Heynii multis in locis ornatam esse et floridam, gravem et vehementem. Et simul illud reputent velim, scripta eius non eodem omnia metienda esse modulo, sed quae ultimo aetatis decursu composuit, iis priora antecellere, nec non notis in auctores conscriptis orationes commentationesque opusculorum longe esse anteferendas. Itaque licet, Ruhnkenio Ernestioque in arte Latine scribendi primas concedendas esse, manifesto appareat, quantum Gesner quidem, vir ceteroquin summis laudibus ornandus, hac laude Heynium in orationibus ceterisque scriptis academicis superet, ego quidem intelligere non possum. Neque in commentariis auctorum veterum orationem Gesneri multo emendatiorem castioremque notavi, nisi forte sententiam illam qua Quinctilianum p. 128. illustravit, vitio carere iudices: „P e t i e r a t Aeschines, ut vel plane non audiatur Demosthenes, vel, si omnino audire illum p l a c e a t, ut certe c o g a t u r intra formulam quasi manere". Neque vero illi eloquentiae professores supra Heynium extollentur, qui talia scribere non eruberunt: H i c v e r s u s l e g i v u l t u t d a c t y l i c u s, n o n u t a n a p a e s t i c u s.

Sed de Latini sermonis scientia et usu, qualem aetas nostra habet, in peculari aliquando libello uberius apertiusque explanabo; nunc id agitur, ut illi sermoni, quo notas conscripsit Heynius, cur et quam adhibuerim correctionem, paucis exponatur. Usu igitur cognovi, nihil in animis tironum teneris et mollibus ad suscipiendum qualemcunque formam altiores agere radices, firmiusque inhaerere, quam vitiosam et malam Latinitatem. Quamobrem in studiis iuvenum regendis a nulla re vehementius dehortari soleo, quam ne libros sordida et horrida oratione Latina

*) Alloquitur A. H. L. Heerenium, prof. olim historiae Gottingensem, qui Heynii vitam edidit ibidem ao. 1813.

insignes tractent; quorum heu! magnum proventum recentior aetas tulit, et quotidie affert, cum et disciplinarum liberalium professores fere Latine nesciant, et critici ipsi maximam partem in malae Latinitatis forma exhibenda, aut tamquam vilem nulliusque pretii rem fastidientes, aut pigritiae oscitantiaeque dediti, naviter elaborent. Itaque tironum ingeniis formandis quum haec destinata esset editio, eoque nomine opus suum magis perfici optasset Heynius, illud etiam mihi agendum esse intellexi, ut, si quid vitii traxisset Latinitas, aut si quid obscurius esset enuntiatum, mutarem et corrigerem. Emendatae igitur et purae orationis studiosus intactas relinquere non potui notas, quales sunt: „Aen. IV, 646 ensemque relictum, sc. dono ac munere". „Aen. IV, 483. Quod vero ex Mauretania excitatam anum tamen Massylae gentis facit — ita potius videtur accipiendum, ut anum Massylam solito more poeta omnino pro Libyca dixerit". Cum quo componas velim locum e vita Virgilii per annos digesta, an. 735: „Ab iis tamen, iussu Caesaris, Aeneidem emendatam esse, in eadem farragine memoratur, quod ita intelligas, ut emendarint quidem tollendo, non autem addendo". Quam vim particulae sic et ita, quamque verba, quibus adiunctae illae sunt, in constructionem habeant, docetur optime loco Ciceronis de Offic. I, 27. § 11, 12: Atque illud superius sic fere definiri solet: decorum id esse, quod consentaneum sit hominis excellentiae in eo, quo natura eius a reliquis animantibus differat. Quae autem pars subiecta generi est, eam sic definiunt, ut id decorum velint esse, quod ita naturae consentaneum sit, ut in eo moderatio et temperantia appareat cum specie quadam liberali. Qui autem criticam exercuerunt, aut commentarios scripserunt, plures formulas dicendi et constructiones invexerunt, quas, quamquam usu iam velut sancitas et nobis omnibus obrepentes, tamen ut alienas e Latinitate eiiciendas esse censeo, et tollere studui: Ad id genus pertinet, quod emendandum erat: Ge. II 346. „tum serere semina, segetem, iam saepe de vineis vidimus". Cui constructioni in compositionibus adhibere de, usurpare de patrocinium profecto non quaeres. Non magis verbis peperci, ex Latinitate labente vel medii aevi petitis, ut frumentosus, intempestuosus, luxuriantia, racemulus, recriminor, vitisatio, quaeque Scholiastis et Grammaticis Latinis debemus. Et quamquam a vitio philologorum multorum, qui sine ratione et iudicio pedestrem et poeticam orationem in unum confuderunt, atque ad pessimorum Latinitatis auctorum, ut Flori, exempla se composuerunt, diligenter sibi cavit Heynius; erant tamen, quae sublata velles, ut formas amantum, venantum. Quamquam omnia huius generis ad vivum resecare non fuit consilium.

Carnegiana

Scripsit Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

Andrew Carnegie, civis ille Americanus cum divitiis immensis tum magnanimitate et animo ad beneficia egregie propenso praeclarissimus, paucos abhinc annos librum conscripsit, qui „The Gospel of Wealth and other timely Essays" inscribitur et varias de rebus politicis et socialibus continet quaestiones. Praemissa est disputationibus, quibus praecipue condiciones et rationes nostram aetatem vehementer commoventes tractantur, tamquam prooemium vita auctoris ab ipso breviter descripta, ex qua intellegimus illum, qui pauperrimis natus est parentibus et iam a puero magnos labores subire et miserias perferre consueverat, maxima diligentia, strenuitate eximia, ingenio acerrimo, verissimo iudicio, notione vitae communis optima in negotiis et operibus suis plus plusque profecisse atque in parandis augendisque divitiis illos successus habuisse sane mirabiles, e quibus, qua est liberalitate vir beneficentissimus, hodie et postero tempore commoda capient totius fere orbis homines. — Librum Carnegii a viro doctissimo P. L. Heubnero Lipsiensi Germanice versum Francisci Moeseri suc-

cessor Lipsiensis foras dedit. *) Hanc operis versionem diligentissime et elegantissime confectam sine ulla dubitatione dignam putamus, quae nostratibus, quatenus ignari sunt linguae Britannicae, enixe commendetur.

Omnes quidem in Carnegii sententias, opiniones, consilia introspicere et accuratius inquirere longum est, et propter spatii angustias supersedemus quaerere, sintne probanda ad unum omnia eius studia et iudicia necne; sed sperantes multa ex iis magnam partem amicorum nostrorum esse delectatura non dubitamus consensu et auctoritate editoris e prooemio et prioribus libri capitibus nonnulla eligere, quae non nemini, si non utilia, at certe iucunda acceptaque fore existimamus. His enim in capitibus auctor copiose ac diligenter disserit, quid censeat cum de divitiis dispensandis et utendis, tum de caritate humani generis rectissime expromenda et exercenda. Quos igitur dignos putamus qui lectoribus nostris proponantur, hi sunt loci.

I. Prooem pag. XIV.

Si aetate iam provecti, ut ego hodie, respicimus et miramur parentes liberorum gratia ea, sibi quae sint expetenda, abicere ac deponere, memoriam eorum colere debemus veneratione vel etiam adoratione.

II. Prooem. pag. XV.

Effari nequeo, quam superbus fuerim, cum — duodecim fere annos natus — primam septem dierum mercedem acceperim, d o l l a r i u m unum et viginti c e n t e s i m a s, quae a me ipso parta atque mihi data erant, quod hominibus usui fueram! Quantopere gaudebam me non iam plane pendere ex parentibus meis, immo tandem aliquando eos adiuvare et in victum familiae aliquantulum posse conferre! Quod magis quam cetera omnia idoneum esse duco ad faciendum e puero virum, eumque verum virum, siquidem igniculi vere viriles insunt in pueri animo. Sentiendo nos utiles esse omnia comprehenduntur.

Ex illo tempore cum magnis pecuniis res mihi fuit; sescenties centena milia d o l l a r i o r u m in manibus meis sunt versata — sed sincera ea voluptate, qua me affecerant unus ille d o l l a r i u s vigintique c e n t e s i m a e, omne exsuperatur gaudium pecuniae quaerendae posterius. Haec fuit probae operae merces, merces pro labore duro hebdomadali numerata, pro labore tam duro, ut servitii voce non nimis gravi appellaretur, nisi eo, quod volueram et petiveram, consecraretur.

III. Prooem. pag. XVII sqq.

Paupertatem tamquam malum magnum deplorari satis notum est, et opinari videmur homines beatiores utilioresque fore et vita fruituros esse largius, dummodo pecuniae copiam haberent et divites essent.

Semper fere sub tecto modico pauperis hominis maiorem animi aequitatem, honestiorem vivendi rationem, ardentiorem vitae amorem invenimus, quam domi divitis. Nunquam non locupletium me miseret filiorum filiarumque, qui famulis ministrantibus et postea educatricibus utuntur, sed hoc me consolor, quod quid sibi desit nesciunt.

Neque carent patribus matribusque amantissimis et hoc bono largissime sese frui arbitrantur; atqui non possunt, nam filius pauperis, qui patre perpetuo sodali, magistro, adiutore, et matre — o nomen sanctissimum! — nutrice, educatrice, patrona sibi sanctissima, omnibus his in una, utitur, ampliore et splendidiore floret fortuna, quam noscere potest divitis filius, cui sors non pariter favet; pro quibus bonis cetera omnia parvi sunt aestimanda.

Quia non ignoro, quam dulces, beatae, castae, quam expertes sollicitudinum et invidiarum obtrectationumque socialium domus sint proborum pauperum, quam amantes et concordes incolae esse possint familiarum communis

*) „Der Weg zum Reichtum und andere Zeit- und Streitfragen von Andrew Carnegie, mit einem Bildnis, einer Selbstbiographie und einer persönlichen Widmung des Verfassers für die deutsche Ausgabe. Autorisierte Uebersetzung von Dr. Paul Leonhard Heubner, Handelskammersekretär in Leipzig." — Apud Francisci Moeseri succ., Lipsiae et Berolini.

salutis gratia, idcirco misericordia puerorum divitum commoveor, pauperum vero filiis gratulor. Illis de causis omni tempore ex pauperibus tot viri fortes et egregii et recti sibi conscii provenerunt et nimirum semper provenient.

Si recensebimus numerum immortalium, „qui non nati sunt morituri", plerosque eorum ideo natos esse inveniemus, ut paupertatis hereditatem praestantissimam adirent.

Nostra aetate omnibus videtur optandum, ut paupertas e mundo tollatur. Immo id spectandum est, ut tollatur luxuria; nam qui paupertatem honestam, strenuam, suum commodum postponentem tolleret, solum devastaret, quo homines eas excolunt virtutes, quibus generi nostro datum est altiorem etiam gradum humanitatis ascendere, quam iam obtinet.

(Reliqua deinceps persequemur.)

Henrici Sienkiewicz Epistula

Latine interpretatus est Lad. Lud. Podobinski.

In Parisina pinacotheca, cui Gallerie La Beotic nomen, a Joanne Styka, nobili Polonorum pictore, inter alia opera atque artificia etiam quattuor tripartitae Sienkiewiczianam „Quo vadis" fabulam illustrantes imagines propalam collocatae sunt. Boyer d'Agen, clarissimus Gallorum aestheticae magister, qui istis imaginibus ad sacram primi p. Chr. n. saeculi in conspectu plurimorum auditorum tradendam historiam utitur, nuperrime ad Henricum Sienkiewczium epistulam misit, in qua ab eo petivit, ut sibi scriberet, quibus rebus ad fabulam „Quo vadis" conscribendam impulsus et quomodo fabula per orbem excepta esset. Cui Sienkiewiczius ita respondit:

Humanissime Vir!

Non est, quod mihi succenseas, si Tuis serius respondeo litteris, sed abs Te epistula reddita mihi est, cum Cracovia, ubi aliquot hebdomades sum commoratus, domum rediissem. Libros „Quo vadis" scribere decrevi, cum „Annales" Taciti, cuius operibus vehementissime delector, legebam et cum Romae diutius eram. Insuper Siemiradzkius, clarus Polonorum pictor, qui eodem ipso tempore Romae habitabat, erat meus dux et aliquando mihi sacellum, cui „Quo vadis?" inscribitur, monstravit. Tum animo concepi, ut fabularem historiam ad illam primam Christianorum aetatem pertinentem conscriberem eamque, quod principia atque incunabula Ecclesiae bene noveram, perficere poteram. Antiqua Roma semper mihi admirationem movebat, quae eo maior erat, quo plures legebam auctores, in quibus Vester quoque clarissimus Gastonius Boissier non deerat. Haec est igitur, ne sim longus, fabulae meae „Quo vadis" origo. Nimirum Polonorum persecutiones magnam ad mea consilia vim habuerunt.

Quod ad interpretationes fabulae „Quo vadis" attinet, potest esse, ut earum numerus reliquarum mearum fabularum numerum exsuperet. Nam praeter interpretationes, quae vulgatissimis ac notissimis, ut Britannica, Gallica, Germanica, Hispanica, Italica nec non Russica expressae sunt linguis, habes interpretationes Suecicas, Danicas, Batavas, Hungaricas, Slavicas, Lusitanicas, Neograecas, Armenias, Finnicas, Lituanicas et multas alias. Etiam in Japonia fabulae „Quo vadis" interpretatio prodiit, anno autem superiore ab Hilmio, Constantinopolitano editore, interpretationem Arabicam accepi. Quod ad numerum editorum tomorum attinet, Te accuratissime edocere nequeo. Sed duodecim annis ante in Britannicis foliis, quibus Black and White inscriptio, legi tomorum Britannice a Jeremia Curtinio redditorum ac venditorum iam plus decies centena milia edita esse. Ex eo tempore complures anni praeterierunt multaeque et novae editiones prodierunt, quoniam Curtinius non unicus fuit interpres. Cuicumque interpretari libebat, fabulam convertebat. Itaque, quod sciam, a plurimis interpretibus libri mei versi et a plurimis editoribus editi sunt.

Simili modo in Gallia Kozakiewiczii et Janaszii interpretatione excepta, quae quidem sola me concedente edita est, infinita exstat aliarum multitudo interpretationum, quae aut elegantissime sunt vestitae aut vilissima editae veste minimi i. e. uno franco vel quinquaginta centesimis veneunt. Jura ve-

ro servari non possunt, quoniam iuris litterarii conditiones Russis cum reliquis Europae civitatibus non convenerunt. Mei igitur libri ubique convertuntur neque quisquam me adit, ut sibi vertere permittam, nedum mihi mercedem det. Plurimam salutem Tibi!

Res Minutulae

Cum quendam nuper discipulum interrogarem, an intellegeret haec notissimae inscriptionis latinae verba:

da frida pusillum,

Quidni, inquit ille, intellegam? Gib Frida ein Busselchen! —

In ferramentarii cuiusdam Bremiportuensis nuntio venditorio inter machinulas vapore movendas, vias ferreas, coquinarios focos, sclopeta pneumatica, animalia aliusque generis res lusorias pluraliter dictas

„Laterna Magica"

legi. Qua in re duo videntur admiranda. Primum quaeretis, cur laterna magica sola stet inter tot plurales? An forte unam tantum ille habuerit venalem? — At, qui latine callet, recte suspicabitur mercatorem, quomodo fingeret pluralem, nescivisse. Quod si ita sit, cur peregrina vernaculis inspersit verbis nomina? Germanice si locutus esset, et difficultatem orationis effugisset et, ut ita dicam, deformitatem. Ceterum hinc apparet ipsis mercatoribus haud inutilem esse latinae linguae scientiam.

Calibanus, quem ipse se nuncupat, poeta in Berolinensibus actis diurnis, quae ‚Tag' inscribuntur, carmen nuper politicum edidit, cuius singulae strophae a latinis dominicarum Paschalia festa praecedentium dierum nominibus initium sumunt.

‚Oculi' igitur et ‚Laetare' tractatis tertia in stropha legimus:

Reminiscere —
England ärgert sich sehre

et in fine:

Reminiscere —
Habe die Ehre!

Hos ob versus Britannos iratos Calibano fore minime credo: ridebunt potius, quod in Germania, quae grammaticorum haud raro patria praedicatur, hodie quoque sunt, qui ‚reminiscere' in breves exire syllabas non didicerint.

De Latinitate Universali

Latinitas, modo ne nimium classica affectetur, revera eruditorum bonum commune effici denuo potest, ut ad linguae internationalis partes agendas sit idonea.

Praecipuum obstaculum quin lingua Latina fiat universalis, hoc est quod ejus doctrina toti gymnasii instructioni tam firmiter juncta est, ut ii discipuli qui aliam scholam frequentant, neque tempus neque occasionem inveniant Latine discendi. Quamobrem juventutis instructio ita mutari debet, ut sermo Latinus plurimis saltem communis fiat. Et quid prohibeat quin omnes, ut latine discant, legibus obligentur?

Verum ut res Latinitatis fiat res omnium gentium, haec praesertim necessaria videntur:

1. Fiant latine scientium congressiones. Hoc si faceremus, nos talem sine dubio videremus eventum qualem Esperantistae et alii ne somniare quidem auderent.
2. Peritiores de rerum nostrae aetatis vocabulis constituant et operum novorum versiones edant.
3. „Scriptor Latinus", nunc menstruus commentarius, mox hebdomadarius et tandem diurnus fiat.
4. In quinquennali ostentu universali exstruatur domus quaedam Latinitatis.

Scio equidem ad hujusce generis consilia ineunda multum esse pecuniae dependendum, sed contra persuasum habeo pro magna re semper et hodie quoque satis aeris confici posse.

Quicumque igitur plura de re nostra dicere velit, quod prodesse visum sibi erit, dicat.

Ferd. Hustinx

Narratiunculae

I. Imperator et miles

Festis natalibus Domini nostri Salvatoris cum Imperator Augustissimus Guilelmus II vespere deambulans militi cuidam, qui ante „Novum Palatium" custodiam habebat, occurrisset pater-

naque — uti mos ejus est — affabilitate nummum illi obtulisset, officii sui memor disciplinaeque observantissimus miles magnificum hoc Imperatoris donum honeste quidem sed serio accipere recusavit, quippe qui servitio impeditus esset. Quo responso non minus quam agendi ratione gavisus Imperator duplicem illi „aureum" in aedicula stationis suae deponi jubet, usquedum ab altera custodia diligentissimus miles exciperetur, jocose animadvertens: „Contra disciplinam Germani militis nihil unquam efficies, ne cum sis Imperator".

II. Iudicium — Officium

Homo quidam, qui locatae domus pretium Iudaeo creditori solvere non poterat, timens ne judicibus traderetur, cum creditore hoc consilium inivit, ut census ei remitteretur, si unico tantum verbo possessori posset indicare se sponte domo exiturum. Qua conventione contentus Hebraeus, nullam fraudem suspicans, censu se velle carere pollicitus est, quia certo certius debitorem promissis suis stare non posse crediderat. Sed cum inter illos non conventum esset de linguae adhibenda, callidior debitor latino usus sermone suam nuntiavit emigrationem scribens litteris distinctis: „Judicium" (i. e. Jud, i zieh um — Judaee, ego transmuto domum); cui deceptus creditor valde stomachatus rescripsit: „Officium!" (i. e. O Vieh, zieh um! — o pecus, transmigra!)

III. Cerevisia „Caprina" (vulgo „Bockbier") unde nomen ceperit?

Duo principes Maximilianus Bavarus et Henricus Brunsvigensis cum inter se litigassent, cujus in regno optima proferretur cerivisia verbisque probrosis Gambrini muneri utrinque illusissent, alter alterum ad certamen provocabant, ut qui sex enormis mensurae urceos cerevisia alienae terrae repletos unicam inter coenam ebibisset atque deinceps uno consistens pede filum per angustum acus foramen potuisset pertrahere, quin cerevisiae robore tractus terram amplexaretur, victoriam reportasse patriaeque cerevisiae honorem restituisse censendus esset. Dies huic incruento duello constitutus advenit, quo suo quisque officio principes exspectatione fortius indulgebant. Potatione finita Bavarus haud multo labore tentamen fili inducendi certa manu fixoque pede obivit, dum Brunsvigensis „Bavaricae" vim expertus, cum se levare conaretur, velut statua ad terram corrueret in verba prorumpens: „Vah, caper me contudit". Ita eventus palmam tribuit „Bavaricae", quae inde cognomen obtinuit „Caprinae".

IV. Morientis juvenis querela

Poeta quidam mortis poenam luiturus cum jam educeretur ad locum, ubi judicium executioni mandandum erat, hac lege veniam et libertatem accepisse fertur, ut certo temporis spatio componeret versum elegiacum, cujus singulae voces in fronte signarentur littera „f". Qua conditione proposita de sorte sua misserima conquestus est hoc modo:

Flos fueram; florem factum fortuna fefellit;
florem florentem florida Flora fleat!

S-s

V. Serius ocius

Puer erat aliquando, qui mane e lectulo surgere nolebat. Quanto magis fores pulsabat ancilla, tanto magis dormiebat, neque ante per scalas descendit quam ceteri finem fecerant ientaculi. Quo iratus pater, Cur, inquit, tam piger es, mi fili? At ille respondit, Haudquaquam piger sum, pater venerandissime. Cui pater, At non dubium est, inquit, quin semper expergisci recuses. Respondit puer, Non recuso, pater, quominus expergiscar: sed cotidie, ubi me vocat ancilla, duas cerno ante oculos feminas inter se disputantes: quarum alteri nomen est Pigritiae, alteri Industriae. Industria me hortatur ut surgam, Pigritia ut dormiam. Monet illa, necesse esse me operam dare litteris, haec operam dare somno. Illa dicit, Nisi expergisceris, debito fungi munere non poteris: haec, si non dormies, morbo aliquo affectus eris, pueris enim multo opus est somno. Industria semper vincit: et ubi primum victa discedit Pigritia, ego exsilio e lectulo, vestes induor, me lavo, descendo. Sed inter disputandum longum tempus teritur; unde fit ut serius descendam.

Rouse

Carmina

Ludovici Uhland Carmen „Der Wirtin Töchterlein"

Latine reddidit Guil. Lehmann Vratisl.

Tres pueri quondam migrarunt trans vada Rheni
Et copae modicas introiere domos.
„Estne tibi, mater, cervisia suaveque vinum?
Atque ubi, dic sodes, filia bella tua est?"
„ „Est cervisia pura mihi, sunt dulcia vina; —
Morte iacet misera filia rapta mea." "
Ingressi thalamum pueri videre cubantem
In capulo — dictu flebile — filiolam.
Primus reiecit velamen funebre tristis
Et faciem niveam funeris inspiciens
„O utinam" dixit „spirares, blanda puella!
Ex hoc te toto pectore diligerem!"
Alter, composito contra velamine, maestus
Averso vultu collacrimavit: „ „Eheu,
Exanimam te nunc, virgo formosa, iacere!
Te colui fida iam pietate diu." "
Tertius at rursum tollens velamen et ori
Pallenti figens oscula congemuit:
„ „ „Semper amabam te, nec non amo nunc, et in omne
Aevum te mecum consociabit amor." " "

Lusus Pedirotae[1])

vulgo „pattini"

(A. Nardis, Carmina Subseciva. Aquilae 1911.)

Ars nova ludendi cursu, nova cura palaestrae? . . .
Aptatur pedibus lamina nixa rotis.
Aula patet, facibusque nitet stratoque polito;
Foeminei coetus ludicra turba venit.
Eia, puella, comas madidas cirrosque coerce;
Conde sinu flores, pinge colore genas.
Indue iam vestem vix usque ad crura tegentem,
Aut qua, portentum! fis nova forma viri. 2)
Balsama linteolo distilla, guttula suavis!
Gemmas in digito, pignus amoris habe.
Sericeam peram gestans laetissima gressu
Et levior Zephyris iam vaga carpis iter.
Dulcis ades dum fervet opus iuvenile palaestrae,
Et properas pedibus supposuisse rotas.
Erigeris, nutas, graderis, currisque, volasque
In gyrum; plaudit laeta caterva deae.
Plantirotante fugit strepitu nova machina in orbem,
Mirantur doctam praepete curriculo.
Currenti adversus sed calculus obstitit, eheu! . . .
Verteris, ob iuvenum tota cadens oculos!
Protinus accurrunt, relevant; pudibunda procaci
Sumis mellitas a Ganymede fabas!

---

[1]) Fas sit mihi hoc novum nomen procudere, donec elegantiarum latinarum arbitri silebunt.
[2]) Muliebre indumentum nuper male repertum, quod Galli dicunt: jupe culotte.

Amicissimi Lectores!

Instantibus feriis ultima, ut aiunt, hora ab omnibus amicis nostris enixe petimus, ne immemores sint sui erga Scriptorem officii. Agitur de animis hominum, quos Fors Fortuna obtulerit otiantibus, apte prudenterque ad nostra consilia advertendis, idoneorum commentarii nostri locorum lectione delectandis, ut mandent eum, invitandis blanda adhortatione ac monendis. Quod qui fiat optime, ipsi scient, opinor, quos appello. Ne quis igitur in publicum prodeat libellis Scriptoris Latini domi relictis: secum semper portet sua. Ac si cui plura opus fuerint exemplaria, scribat; mittentur citissime.

Sed iam nil vos moramur, amici: fruimini laeti tempore feriato ac revertite omnes viribus animi corporisque redintegratis!

Francofurti et Bremiportu, Kal. Iul. MCMXII **Editor et Redactor S. L.**

Verno Tempore

Conquiescentem nivibus sub altis
Suscitat terram Deus ex sopore
Atque detracto tegumento hiberno
Innovat omnem.

Jam fugant venti rapidi nivosam
Nubium molem nitidoque curru
Sol pater, lustrans vacuum, serena
Coela peragrat.

Solvitur tandem glacies, liquescit
Nix nitens solis radiis ubique,
Collium rivi properant loquaces
In tumidum amnem.

Ac piae cantus volucris per auras
Admonet multas alias sorores
Suavium vocum modulis sonoris
Ver celebrandum.

Ob novas voces avium bonarum —
Ipse agri cultor stupefactus audit —
Ex humo surgunt sata grana passim
Germine laeto.

Arbores nudos tremulosque ramos
Sustinent coelo: miserans Deus dat
Frondem opacam, mox avium vagantum
Hospita tecta.

Flosculis splendent nemus, hortus, arva,
Prata, vel gemmis liquidis corusca:
Roscidae Aurorae lacrimis refulgent
Gramina cuncta.

Tu memento cras bene mane membra
Tollere ex lecto: fuge tectum et urbem!
En vocant laetae volucrum cohortes
Ruraque verna!

Tollentiae Jos. Pistner

Literaria

Gratum nobis est, multis lectorum nostrorum semiticis linguis operam dantibus notum facere Monachii, apud Oscarium Beck bibliopolam, prodire seriem librorum, quae inscribitur: Clavis Linguarum Semiticarum. Auctor operis est Hermannus Strack, vir et theologia et hebraicae linguae scientia doctissimus et qui inter quattuor adhuc editas seriei partes ipse conscripsit duas. Harum tituli sunt: Hebräische Grammatik mit Übungsbuch. 10. u. 11., sorgfältig verbesserte u. vermehrte Auflage (4 *M*) et: Grammatik des Biblisch-Aramäischen mit den nach Handschriften berichtigten Texten u. einem Wörterbuch. 5., teilweise neu bearbeitete Auflage (2.50 *M*). Accedunt Ungnadi Jenensis Babylonisch-assyrische Grammatik mit Lesestücken u. Wörterbuch (3.50 *M*) et Margolisi Philadelpheni Lehrbuch der aramäischen Sprache des babylonischen Talmuds. Grammatik, Chrestomathie u. Wörterbuch (10 *M*), de quibus omnibus optime huius disciplinae periti iudicaverunt. Nos quoque data occasione plura de his libris impense commendandis dicemus.

Epitome Thesauri Latini

est inscriptio novi libri, qui singulis modo fasciculis edi coepit apud Teubnerum, strenuum semper studiorum veterum adiutorem ac patronum. Hic Thesaurum illum auctoritate et consilio academiarum quinque germanicarum prodientem septimam fere ad partem cogendum curabit, ut iis quoque, qui quavis de causa maiore editione carere se posse vel debere existimarunt, praesto sit lexicon latinum, quod quamvis coartatum, omnibus tamen, quibus ipse Thesaurus, se commendet virtutibus. Pretium pro impensis redemptoris vilissimum est, cum, qui ante finem anni ad emendum se paratos esse professi erint, iis una tantum marca et dimidia (1.50 M) pro singulis fasciculis, qui quadraginta omnino prodibunt, sit solvendam. Praeerit operi, quod, quam difficile sit, quam laboriosum, pauci, opinor, aestimabunt, praestantissimus ille philologus Franciscus Vollmer Monacensis, quo — nam in Thesauro quoque elaborando primas agit — nemo magis idoneus videtur ad tale officium suscipiendum. Omnium autem latinae linguae studentium erit, rem tam feliciter incohatam subscriptione sua adiuvare.

Ferax profecto saeculum lexicorum! Nam dum haec scribimus, novus ad nos nec minus gratus affertur nuntius Georgesii Lexicon Latino-Germanicum, librum illum a doctissimis latinitatis existimatoribus laudatum multisque multorum annorum experimentis comprobatum, iterum foras datum iri nova ac recentissimae ad gradum scientiae aucta editione. Prodiit adhuc ex quattuor voluminibus primum, a usque ad c complectens literas, et quod constat 9 marcis. Totum autem opus quattuor intra annos finietur. Editor est prof. Dr. Henricus Georges Gothanus, Caroli Ernesti Georges filius, quo pater iam usus est sagicissimo laboris socio et administro.

Sententia

Der Mensch ein Sohn der Zeit, ein Herr der Zeit, ein Raub der Zeit.

Tempus te genuit, dominum regemque creavit;
Te tamen ex regno cedere cogit idem.

Ut sileant homines, tamen inscia saxa loquuntur,
Laudibus et Domini nomen ad astra ferunt.

R. Hilgenfeld.

Esto tenax incus, fortis quoque malleus esto
Ferre potens durum, dura ferire potens!

S—s

Praemia ab editore proposita!

Quicumque unum novum nobis conciliarit lectorem, gratis accipiet libellum, cui inscribitur:

Iuxicus, Der lustige Lateiner.

Utique necessarium est omnibus viribus contendere, ut numerus legentium accrescat. Sed non omnia possumus ipsi. Credimus autem nemini difficile fore, id, quod supra petimus, consequi. Si duplicem habebimus lectorum numerum, nos omnia nobis proposita sine curis efficere poterimus, cum interea in angustia versari non desinamus.

Editor

Exempla Versionum

Germane et latine

Frankfurt am Main

Unter den Städten, die wegen ihres Zusammenhangs mit der Geschichte des deutschen Volkes merkwürdig sind, nimmt Frankfurt am Main den ersten Platz ein. Die Stadt wurde gleichsam mit dem deutschen Reiche geboren; denn Karl der Grosse war es, dessen Herrscherblick die politische und commercielle Bedeutung dieses Communicationspunktes zwischen dem südlichen und nördlichen Deutschland erkannte und hier zeitweilig seinen Wohnsitz aufschlug. Nicht ohne eine weit in die Zukunft schauende Absicht verpflanzte er hierher einen grossen Teil der von ihm besiegten Sachsen, die ihre nationale Eigentümlichkeit bis auf den heutigen Tag bewahrt haben. Die Hütten dieser Sachsen am linken Ufer des Mains waren früher da als die Stadt an der rechten Seite des Flusses, und es ist nicht ohne historischen Grund, wenn die Sachsenhäuser sich rühmen, sie hätten die Stadt entstehen sehen und dabei geholfen. Ludwig der Fromme wählte die Mainfurt der Franken zu seinem Lieblingswohnsitze und liess gleich nach seinem Regierungsantritt einen Palast bauen, der unter dem Namen „Sala" bekannt ist. Um diesen Palast bauten die Hofbeamten und andere, die an dem Hofleben teilzunehmen wünschten, ihre Wohnungen, und zogen viele geringeren Standes, Handwerker, Krämer, deren sie bedurften, durch die Hoffnung gewinnreicheren Erwerbs heran. Dies ist der Ursprung der Stadt.

Eilers, Meine Wanderung durchs Leben, I, 206.

In numero earum urbium, quarum memoria cum rebus gestis Germanorum coniuncta et quasi colligata est, primum locum tenet Francofurtum ad Moenum. Urbs una cum imperio Germanico, ut ita dicam, nata est; Carolus enim Magnus, qua erat prudentia, cum perspexisset, quantum opportunitatis ad rei publicae mercaturaeque rationes expediendas haberet illud emporium, in confinio superioris et inferioris Germaniae situm, ibi identidem domicilium suum constituit. Idem deinde multum in posterum providens magnum Saxonum a se devictorum partem ibi collocavit, qui mores huic nationi proprios ad hodiernum diem retinuerunt. Saxonum illorum casae super sinistram Moeni ripam prius extiterunt, quam oppidum in dextra fluminis parte positum, nec absonum est fidei rerum quod Sachsenhusani praedicant nascentum se vidisse urbem et adiuvisse. Ludovicus autem Pius Moeni vada Francorum adeo adamaverat, ut saepissime ibi commoraretur et statim imperio inito palatium exaedificari iuberet, cuius celebre nomen est „Sala". Circa hoc palatium deinde ministri aulici aliique vitae aulicae assectatores aedificabant multosque inferioris condicionis homines, quorum opera egebant, opifices institores, caupones, spe quaestus lucrique faciendi alliciebant. Hoc fuit urbis primordium.

(Heerwagen, Deutsche Lesestücke mit lateinischer Übersetzung. Nürnberg 1876.)

Varia

De usu diariorum et commentariorum in Seminariis

Litterae 20 Oct. 1910, ad Archiep. Strigoniensem, Primatum Hungariae.

E^me^ ac R^me^ Domine mi Obs^me^,

Eminentiae Vestrae litterae, nomine etiam omnium Hungariae Antistitum datae sub die 27 transacti septembris, ad SS^mum^ Dominum Nostrum pervenerunt. Quas quidem Ipse assueta benignitate excepit, nec dissimili cura, prout rei gravitas postulabat, expendit; mihique haec Eminentiae Vestrae ceterisque Antistibus communicanda mandavit.

Porro SS^mi^ Domini Nostri mens est ut firma sit lex qua prohibetur ut diaria et commentaria, etiam optima, quae tamen de politicis rebus agunt quae in dies eveniunt, aut de socialibus et scientificis quaestionibus quae pariter in dies exagitantur quin adhuc de iis certa sententia habeatur, haec, inquam, in manibus alumnorum seminarii libere non relinquantur. Nil tamen vetat quominus superiores seminarii aut magistri, si agatur de quaestionibus scientificis, legant alumnis aut legendos articulos in sua praesentia tradant eorundem diariorum et commentariorum, quos ad alumnorum instructionem utiles vel opportunos censent.

Commentaria vero in quibus nil contentionis continetur, sed notitias religiosas, S. Sedis dispositiones et decreta, Episcoporum acta et ordinationes referunt, vel alia quae quamvis periodica non aliud sunt quam lectiones ad fidem et pietatem fovendam utiles, haec, inquam, possunt, probantibus seminarii moderatoribus, prae manibus

alumnorium relinqui tempore a studio et ab aliis praescriptis officiis libero.

Haec dum Tibi pro meo munere significo, manus Tuas humillime deosculor meque impenso animi obsequio profiteor

Eminentiae Vestrae

Addictissimum famulum

Caietanum Card. De Lai,

S. Congr. Consistorialis Secretarium.

Romae, die 20 octobris 1910

Catalogi antiquarii:

Süddeutsches Antiquariat, München — Cat. 143: Altertumskunde, num. 1—1828 (Griech. u. lat. Sprachwissenschaft 177—541)

Friedrich Meyer, Leipzig — Cat. 102: Goethe (Darin: Verschollene Documente von Goethes Eltern, sowie unbeachtet gebliebene Bekanntmachungen aus Goethes Ministerzeit)

R. Strohmetz, Ulm — Cat. 10: Klass. Philol. u. Altertumsk. I, num. 1—5258 (Script. lat. 1952—3312, Neulat. 3313—3414)

Censura Librorum

C. Stegmann, Hilfsbuch für den Lateinischen Unterricht der oberen Klassen. Zugleich 7. Auflage von C. Meissners kurzgefasster lateinischer Synonymik. Leipzig u. Berlin, B. G. Teubner, 1910. IV + 132. 1.60 M.

Libros, quibus pueri utebamur latine discentes, angustiores quotannis fieri videmus ac breviores. Nec mirum: abhorret saeculum a maiore huius linguae studio nec plus ei temporis, quo doceatur, concedit, quam aliis disciplinis. Itaque phraseologia quoque illa Meissneriana multa sibi detrahi passa est et nunc in lucem prodit septuaginta fere paginis minuta, id quod non sine magno eius factum esset damno, nisi, qui novam editionem curavit, vir esset Romanorum sermone eruditissimus et qui haud parvum habeat in hac institutione usum. Ex inscriptione quidem vix quisquam, quid insit libro, suspicetur: nomina, quibus Meissnerus sua vocari voluit, magis placebant — at qua Stegmannus ratione materiam in tres quodammodo partes distractam et ob id incommodam saepe discipulis et molestam ordinarit, composuerit, scholasticae, ut ita dicam, utilitati accommodarit, hoc maxime mihi videtur comprobandum. Is enim, quae alter in genera rerum digesserat, literarum ordine disposuit idoneisque locis de synonymis aliasque ad rectum verborum usum spectantes notas adiecit. Sic assumpto eiusdem philologi libro, qui ‚Kurzgefasste lateinische Synonymik nebst Antibarbarus' inscribebatur, novum utique opusculum effecit et quod se commendet tam elegantissima locutionum germanicarum translatione quam perspicua earum compositione ac specie omnino sua nitidissima. Nam etsi non sequitur scriptor viros doctos nimis anxie Ciceronis vestigiis insistentes, tamen omnia, quae collegit, ex ipsis fontibus iisque purissimis hausta mirifice degustantem recreant oblectantque. Ad hoc noster sola ipsorum exemplorum comparatione melius, quam alii multis verbis, quid intersit germanicam inter et latinam linguam, scit illustrare. Cf. ‚auf diesem Gebiete' in hoc genere — ‚auf dem Gebiete des Kriegswesens' in re militari al. Et quod non omnia statim vocabula latine indicat, sed, ut exemplo utar, scribit: konsequent s. charakterfest und folgerichtig, hoc multum adiuvare existimo, ut discipulus cognominata, quae dicuntur, verba observare i. e. leviores quoque significationum differentias attendere ac distinguere discat, quod quanto usui sit in latine scribendo vel interpretando, nemo ignorat. In summa: dignus est liber, quo ut utantur, omnibus his studiis operam dantibus et imprimis discipulis sit suadendum. Eo libentius pauca proferam, quae, priusquam iterum ille typis describatur, mutentur, pauloque longius hac de re disseram, ut ex censura, ut par est, iis quoque, an recte monuerim, iudicare liceat, quibus nondum sit libellus ad manum.

‚Persönlich tapfer' eorum est, quae, sicut ‚entschuhen' (= excalceare) aliaque similia in Georgesii quoque libro occurrentia, ex vocabulariis latino-germanicis irrepserunt. Est enim nihil nisi ‚manu fortis', quod Nepos habet, germanice redditum ac tam rarum, ut vix videam, cur afferatur. Si tamen non careri posse eo videatur, melius fuerit scribere, ‚von persönlicher Tapferkeit', qua iunctura saepius utimur in sermone nostto. ‚Haben uns persönlich Hilfe gebracht' aptius alii cui quam dis apponatur; ‚darin finde ich meinen Trost' paulo numerosius dicitur: haec me res consolatur, quam h. r. m. c., idem pag. 106 (trösten) inseri potuit. ‚Ein Volk knechten', quod germanice vix usurpetur et, si quando, statum nunc, non actionem designet, melius vertitur ‚opprimere, servitute opprimere, servitute oppressum tenere' quam ‚in servitutem redigere…'; ego pro illo ‚unterwerfen' vel, ‚unterjochen' posuissem. Pg. 75 non facile intellegitur ‚lassen' idem declarare posse, quod ‚die Ansicht aussprechen' (= dico, censeo, puto, volo); hoc exemplo confirmandum fuit. ‚Lateinisch schreiben' plenius: Latine, Latina lingua scribere; cf. pg. 99 (sprechen), ubi recte adverbium additum est. Pg. 75[2]) ego malim ‚(gut) lateinisch sprechen', vel potius ‚sich (als Redner) gut lateinisch auszudrücken verstehen', pro: ‚(gutes) Latein' sprechen, cum latine ‚dicere' aliud significare sentiam atque illud usitatissimum latine ‚loqui'. Primum enim ad oratorem, alterum ad quem-

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem, Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., Baustrasse 10.

Nomina et domicilia

eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislau — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. Th. Elsaesser, Maredsous (Belg.) — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Grossneundorf — Dr. J. M. Hoogvliet, doc. priv., Haag — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila (It.) — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — P. Recanatesi, Prof., Osimo (It.) — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach (Bay.) — J. Tasset, Tonnerre — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

F. Palata, Nugae Metricae (Frankfurt a. M., Hans Lüstenöder, Pr. 1.80 M). Omnes latinae Musae amatores libenter audient Palatam nostrum, qui a primis commentarii huius initiis lectores carminibus suis venustissimis delectavit, suadentibus amicis nunc tandem illa edidisse uno volumine comprehensa. Nam hoc mihi — quamvis multis cum auctore vinculis coniuncto — dicere liceat, quippe quod alii multi iudicarint, Palatam raro esse poeticae formae sensu praeditum. Vertit enim non solum poemata, immo vivit, sentit cum poeta, ut, quemadmodum saepe fit in eiusmodi versionibus, non subtilis numerorum observatio, non elegantia solum orationis capiat lectorem sed magis etiam translatoris cum ipso poeta dolentis vel gaudentis affectus sinceri. Hic translator quasi alter poeta, versio alterum exemplum est. Ceterum libello praeter nota lectoribus nostris carmina nova quoque nec minus laudanda continentur, quamobrem omnibus promiscue possit commendari.

Typographus: Carolus Wichert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus IX: Numerus V

— Procurant negotia —

In Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
In Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
In Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
In Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum


Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. IX — Francofurti a. M., Mense Septembri MCMXII — Num. V

De Aedibus Teubneranis Ante Hos CI Annos Conditis

Memoriam saecularem aedium a proavo conditarum sollemniter vobis celebrantibus laetitiae participes sunt praesentes absentes quicumque studiis antiquitatis sese de-



derunt. Nimirum domus vestrae usque crescentis memoria segregari nequit a studiorum nostrorum historia: tantum illis adiumenti per tam longam annorum seriem B. G. Teubner eiusque successores attulerunt. Quodsi Ritschelius olim praedicavit, in genere philologico Teubnerum aquilae ritu supra aemulos se extollere, patres vestri vosque ipsi merita illius aequanda vobis proposuistis. Itaque neque veteres disciplinae nostrae partes umquam neglexistis, et si quae novae regiones patefactae sunt, strenue signum vestrum intulistis. Tirones hoc signum doctis commendavit, doctores summos sibi adiunxit; scientiam foventes et scholae et vitae humaniori

consuluistis; maxima audacter incohastis, minima numquam sprevistis; in recipiendis libris verum, in edendis pulcrum sectati estis; denique saepe illud quod praeclarissimum bibliopolarum officium ducimus prospero eventu praestitistis, intellegere, quibus libris opus sit idoneosque ad illos componendos auctores excitare. Itaque nos, quorum opera ad linguas litteras artes instituta res universas Graecorum Romanorumque pertinentia ex aedibus Teubneri prodierunt, fidem vestram saepe experti fidem vobis repromittimus, gratias agimus etiam pro magno illo numero nostrorum qui non iam in terris morantur, saeculi novi felicitatem spe firma auguramur.

Haec verba superiore anno, cum saecularia officinae Teubneranae agerentur festa, ad dominos illius missa sunt nominibusque notata eorum antiquarum rerum scriptorum, qui opera eius usi erant in libris suis publicandis. Nec ego video, qui, quantum illa meruerit de humanitatis deque universis literarum studiis, brevius possit simulque clarius exponi. Sint ergo nostrae quoque historiolae quasi prooemium, unde exordium sumentes eius, qui condidit aedes toto orbe clarissimas, vitam et gesta operisque ab eo instituti a primis initiis usque ad hunc diem gradus diligenter nunc, si placet, percurramus.


Benedictus Gotthelf Teubner natus erat die 16 Iunii anno 1784 undecimus Augusti Friderici Teubner, parochi Gross-Kraussnigkensis et postea Gossmarensis, filius. A patre ipso primis literis eruditus — cum illo tempore a typographiae se daturis latinorum elementorum scientia posceretur, haec quoque eum docuisse patrem verisimile est — puer quattuordecim annorum Dresdam missus est ad Meinholdum, a quo artem typographicam disceret. Quo tirocinio ob eximiam industriam navitatemque ante legitimum tempus absoluto Lipsiae aliquamdiu typothetae officio fungebatur tumque iter fecit in Hungariam, unde, quamvis invitus, anno post revertit, ut rogatu familiae operam praestaret Weinedelo, sororis marito, typographeum paulo ante emptum instituenti. Hic, qua erat prudentia, mirifice brevi tempore res auxit atque ampliavit tribusque fere post illius mortem annis, cum diu non iam administri, sed moderatoris partes egisset, die 21 mensis Februarii anno 1811 ipse totam possessionem ab heredibus redemit. Hic ergo verus officinae Teubneranae natalis est. Eodem anno nuptiae celebratae sunt cum Iulia Koch Elsterbergensi.

Quod impigri viri opera exstruxerat, ne belli quidem potuit turbulenta tempestas delere. Nam etsi, ut consentaneum est, anno imprimis 1813 negotia non haerebant tantum, sed prorsus interdum iacebant, tamen res paulatim ita in melius mutatae sunt, ut tribus annis post Teubnerana, in qua novem iam prela exercebantur, inter maximas Lipsiae officinas numeraretur annoque 1821 e vetere loco, qui „Alter Amtshof“ appellabatur, in Forum quod nunc dicitur Augustanum fuerit demigrandum. Hic Teubner novam aedificarat domum tribusque tabulatis editam, in qua typographicum instrumentum primo, quae plano pede erant, conclavia occupabat, postea vero in aedificio annexo ac recentissima ratione instructo collocatum est. Tum ille ad Brockhaus amicum scripsit tantum se ob novas machinas duas in ore esse ac sermone collegarum, ut quatuor hebdomadas non esset in publicum proditurus; nimium se ubique illudi atque derideri. —

Tamen nihil rerum retardavit progressum. Anno 1819 quindecim iam prela praesto erant et pro septem vel novem »subiectis« quae vocabantur, aliisque paucis famulis ministerium totum ad septuaginta capita creverat. Weidmann, Hahn, Brockhaus, Reclam, Fleischer aliique bibliopolae clarissimi nullius fere nisi Teubneri opera utentes summam eius in imprimendis libris, praesertim philologis, accurationem collaudare non desistebant.

Sic factum est, ut, cum ipse antiquitatis studia adamare coepisset familiarisque factus esset cum Lipsiensibus aliisque Saxoniae philologis ab Hermanno praecipue profectis, Teubner

anno 1823 proprio nomine eius generis opera constitueret publicare, qua in re maxime eum adiuvit Franciscus Passow, qui idem alterum eius conatum, novos de philologia et paedagogia commentarios „Neue Jahrbücher" inscriptos et eodem titulo ad hunc usque diem prodientes, cum anno 1826 Jahno moderante in lucem emitterentur, commendaticiis consiliaque editorum fuse illustrantibus verbis est prosecutus. Nec multo post veterum scriptorum quoque editiones publicabantur a philologiae peritis confectae, a quo quidem consilio iniquitate temporum detentus, Teubner, genero imprimis hortante, per decem fere annos belletristica quae vocantur et historica populariter scripta curabat edenda. Deinde temporis condicione magis favente anno 1849 ad philologica reversus eo, qui secutus est, anno primos praeclarissimae illius »Bibliothecae Teubnerianae« libellos foras edidit, cuius usque adhuc prodierunt ducentorum circiter et quinquaginta auctorum graecorum et latinorum opera plus quingentis voluminibus comprehensa. Suasit consilium, quod tam feliciter postea evenit, Augustus Schmitt, qui cum vir erat negotiorum prudentissimus tum ipse per fratrem Schneidewin, Fleckeisen, Halm philologos noverat nec ita ignorabat scriptorum veterum editiones utique esse ad mutatam philologiae normam novandas. Sic primi Guilelmus Dindorf Sophoclis, Demosthenis, Aeschyli, Homeri, Ludovicus frater Xenophontis, Dietsch Nepotis, Eutropii, Herodoti, Sallusti retractarunt textus. His mox alii accesserunt antiquitatis periti, in quibus Foss, Weissenborn, Oehler, Merkel, Dressler et quos supra dixi. Mathematici generis libri iuxta haec minime neglegebantur.



Haec tamen omnia perfici non potuissent, nisi, qui praeerat officinae, diligentissime quaelibet in suo genere occurrentia observasset. Quidquid vero novi exstiterat, inquirebat, dignum si esset cura, temptabat, arripiebat avide, si conducere sibi consiliisque suis cognorat. Sic ille, inventis saeculi sapienter utens, rebus suis maiora quotannis dabat incrementa. Ineunte anno 1831 acta diurna, quae „Leipziger Zeitung" inscribebantur, recipit imprimenda et duobus annis post ea, quibus titulus est „Leipziger Tageblatt"; eodem tempore, cum consilium esset, Lipsiam via ferrata cum Dresda

coniungere, hanc quoque in urbem negotiorum transfert sedem paucosque post annos prima machina typographica constituta satis superque et publice et privatim accipit mandatorum. »Quidquid potest, fiet« solet dicere. Anno 1835 ipse typos fundere incipit, insequente anno stereotypicam exercere; chartariam etiam officinam instituere in animo habet. Denique nihil ad artem suam pertinens a se alienum putat: omnes fere eius disciplinas pari complectitur studio atque cura. Quid mirum, quod quarto saeculi decennio exeunte secundum inter omnes Lipsiae typographos obtinet locum? —

De philologia domus Teubneria quinquagesimum inter et septuagesimum annos Ritschlianae imprimis scholae opera vulgabat, sed etiam plurimos Boeckhii senis libros. Is quanti fecerit illius merita, satis apparet ex literis anno 1855 mense Augusto datis, in qua scripsit in genere philologico Teubnerum aquilae instar supra aemulos se extollere. Mox idem mathematicis de disciplinis licuit praedicare. Nam, cum dimidio iam a saeculo graviores eius generis libri ex magna illa officina prodiissent pauloque post edi coepisset Schloemilchi de mathematica et physica ephemeris praeclarissima, conditi sunt anno 1868 Annales illi Mathematici, qui aedibus, e quibus prodierant, philologiae iam patronae gloria florentibus mathematicae quoque fautricis tribuerunt laudem.


At haec Teubnero videre non contigit. Obiit enim, infracta paene valetudine, die 21 Ianuarii 1856. Tum officina in generorum transiit possessionem, quorum alter, Adolphus Rossbach, summa inter librarios Lipsienses florens auctoritate, mercatoria in posterum negotia gerebat, alter, Albinus Ackermann, typographica in arte optime versatus, technicis rebus praeerat. Augustus Schmitt, ut ante, omnia curabat ad redimendos edendosque libros pertinentia ac tantam sibi fidem meruit, ut ei postea non procuratoris solum, sed etiam, cum quinque et viginti annos eadem in domo ministerium fecisset, socii nomen ac titulus daretur. Eodem die in universitate Ienensi honoris causa ad philosophiae doctoris gradum promotus est, quod, ut scriptum est in diplomate, in administrando munere tam et praedicabilem industriam gnavitatemque et singularem prudentiam atque intelligentiam comprobavisset, ut officina Teubneria edita librorum utilissimorum insigni multitudine cum de aliis litterarum partibus egregie meruisset tum in philologicis potissimum disciplinis sine controversia principatum teneret.

Horum virorum felicissima laborum negotiorum consiliorum societate tantos tum quoque relictum Teubneri opus fecit progressus, ut domicilium iterum fuerit mutandum. Itaque in via, quae Poststrasse vocatur, ineunte anno 1864 novum aedificium erectum est, cui tantum areae adiacebat, ut futuris quoque temporibus spatium sufficere crederetur. Hic tandem vi vaporis ad machinas movendas uti licebat, id quod ante ob Musei Urbani vicinitatem non fuerat permissum. Eadem domo libraria quoque taberna, quam Teubner multo ante condiderat, recepta est. Tamen, cum plures pluresque incredibili, ut Passow olim dixerat, sollertia et diligentia invitati officinae Teubneranae uterentur opera, anno iam 1870 alteram aedificari domum oportuit. Machinae typographicae tum erant viginti duae, auxiliares machinae una et triginta, typorum centum viginti quinque milia chiliogrammatum, viri feminaeque opus facientes ad trecenti.

Haec omnia recentissimis his temporibus Alfredo Ackermann, nepote Teubneri, Alfredoque et Conrado Gieseckiis, eiusdem pronepotibus, res gerentibus ratione ac via aucta sunt ac tamquam exaedificata. Commemoremus hic »Thesaurum Linguae Latinae« anno 1900 et »Encyclopaediam Literarum Mathematicarum« auxiliantibus Gottingensi, Lipsiensi, Vindobonensi academiis anno 1898 edi coeptam. Quis autem ingentem ceterorum librorum recenseat multitudinem? Quis paedagogicos enarrabit omnium et inferiorum et superiorum

scholarum usus spectantes? Quis praestantissima de historia, philosophia, papyrologia opera? Satis equidem nota sunt unicuique literarum studioso. Hic, nunc qui praesunt librariae, vere dignos se proavi sui meritis probaverunt.

Augescente ita numero librorum a Teubnero redemptorum — decem fere milia toto saeculo inde prodierunt — cum omnis paene officina in his occupata esset perficiendis, anno 1905 omnia denuo constitui coepta sunt atque ordinari. Itaque singula conclavia ita partim mutata, partim aliter disposita sunt, ut melius aptiusque inter se cohaererent, pro veteribus machinis vaporariis novae substitutae omnes ad usus vim electricam suppeditantes. Non minus quam duodetriginta nunc exercentur machinae typographicae eaeque recentissima ratione constructae. Ex his prodeunt quotannis paulo plus duodeseptuaginta millena milia plagularum, quae ut typis inscribantur, ducenti fere typothetae laborant quatuorque machinae compositoriae. Praeterea ad typorum fusionem, stereotypiam, galvanoplasticam nunc conglutinatio quoque librorum accessit, in qua secundo anno centum iam et quinquaginta personae et septuaginta machinae adlaborabant. In omnia autem conclavia satis luminis aerisque immittitur, ut saluti opus facientium optime consuli videatur.



Liceat nunc, quam multa sint editoriae officinae munera, paucis dumtaxat numeris illustrare. Quid si dicam eos, qui simul praeparantur, libros octoginta circiter esse et ducentos? Quippe cum non nova solum opera prelis sint mandanda, sed veterum quoque iterandae editiones ephemeridumque sine intermissione fasciculi emittendi. Perficiuntur enim quotannis trecenta milia mandatorum librorumque quoquoversus dimittendorum non minus sunt quam vicies quinquies centena milia. Maxime negotiosa sunt scholastica quae vocantur anni tempora: tum numerus librorum per bibliopolas petitorum ad tria quotidie milia augetur. Literarum denique et telegrammatum singulis annis afferuntur centum fere et quadraginta milia, quibus adnumeranda sunt centum viginti milia schedularum librariarum aliarumque

rerum typis impressarum. Centum sexaginta quatuor personis opus est, ut omnia haec negotia tam diligenter et accurate, ut huius officinae moris est, expediantur.

Sed iam finem faciamus narrandi. Difficile sane est, tam parvo suppetente spatio verbis uti operis tanti magnitudine dignis. De quo quam multa dici queant, ex libro patet ab ipsis Teubneriarum aedium dominis edito, cui titulus est: B. G. Teubner 1811—1911. Geschichte der Firma in deren Auftrag herausgegeben von Friedrich Schulze. Leipzig im Jahre 1911 (15 M). Hunc enim secutus sum in historia hac mea adumbranda. Quod vero opus illud magnificum offert legentibus, id simplici eius ac quasi modesta inscriptione minime terminatur. Est re vera significans quaedam ac dilucida rerum in victu cultuque hominum superioris saeculi mutatarum expositio, in qua expresse imprimis eminent philologicae, historicae, mathematicae, physicae disciplinarum totiusque omnino educationis atque eruditionis progressus. Haec, quamquam a variis, pari tamen subtilitate atque concinnitate describuntur. Singulare libri ornamentum efficiunt imagines et personarum et locorum nec minus multae epistolae ex ipsis exemplis ad verum imitatae. Harum imaginum tres ut nostro possent commentario publicari, sumptu editorum ad minorem modum redactae sunt, pro qua munificentia optimas illis agimus grates.

Concludamus verbis, quibus Eugenius Grünwald nomine societatis, quae „Verein der Freunde des humanistischen Gymnasiums“ vocatur, festis Lipsiae habitis est gratulatus:

Si verum est illud Ciceronis omnes artes, quae ad humanitatem pertineant, habere quoddam commune vinculum et quasi cognatione quadam inter se contineri, non minus vere idem dicatur de iis, qui in illis artibus et docendis et propagandis cum industria versentur. Atqui saeculum est, postquam vos, viri bibliopolae ubique terrarum optime noti atque in vestro genere omne punctum ferentes, scriptorum et Graecorum et Romanorum thesauros publici iuris facere coepistis, plus in dies cum artis et elegantiae tum ingenii et diligentiae in eo labore exhibentes. Nec defuit vobis fortuna, quae adhuc fortes adiuvare non destitit, ita ut bene de vobis vestraque opera in reliquum tempus liceat augurari. Hoc enim et vobis et nobis videtur esse persuasum quod ait Xenophanes in elegia terrestria ista quae iam tum hominum animos distrahebant negotia atque occupationes minus valere ad bene beateque vivendum significans quam animorum elationem atque indagationem veritatis; sic enim dicit:

ῥώμης γὰρ ἀμείνων
ἀνδρῶν ἠδ' ἵππων ἡμετέρη σοφίη.

Quare pergite quo coepistis, viri spectatissimi et de humanitatis studiis, quae nos quoque ad extremum vitae spiritum cum singulari quodam amore et delectatione esse amplexuros palam ac laete profitemur, optime meriti: haec autem domus Teubneriana, unde quasi rivi prata irrigantes defluere non desierunt, vivat crescat floreat in multos annos.

Ex Epistulario Redactoris

M..., 11. 8. 11.

Plurimum colende domine!


Sine mora, sicut cupiisti, tibi scribo me de novo mandaturum esse Scriptorem. Fidem et ego tibi servabo quantumque potero, novos lectores et amicos commentarii tui colligam. Necesse habeo libellum edere, in quo colloquia cotidiana reperiantur latine conversa. Exempla praebent scripta Ploetziana: Voyage à Paris, The Traveller's Companion, Viaggio a Roma. Multi sunt, qui linguam latinam sciant et ament, latine loqui nesciant. Utinam quam primum tu hunc libellum edas, quo amici Scriptoris mirum quantum augebuntur. Vale.

Dr. A... H...,
consil. jur. et advocat.

Quid amici nostri de se ipsi scribant

1. Guilelmus Roesch Heibronnensis

Natus sum a. 1831 patre pastore Suevico, qui cum ipse prius praeceptoris munere functus esset, puerum ex elementis litterarum egressum sermone Latino initiare coepit, postea scholae quae in oppido Nuertinga fama Latinitatis florebat, tradidit ut ad studia classica in seminario q. v. inferiore in oppido Blaubeuren praepararetur. Hoc quadriennio absoluto in seminarium theologicum Tubingam receptus per alterum quadriennium philosophiae et theologiae operam dedi. Absoluto autem primo examine theologico ad philologiam me converti et primum Tubingae duo semestria sub auspiciis Teuffelii, unum Erlangae apud Naegelsbachium, virum omni laude superiorem, studium classicorum repetivi. Sed plurimam partem doctrinae, qua ad examen et munus philologicum opus erat, ipse meo Marte mihi adquirere debui, cum praeterea praeceptoris partes agerem. Haec enim tum ratio et condicio apud nos philologorum erat, ut duo essent examina, alterum quo facultas docendi apud classes inferiores, altero apud superiores probaretur. Candidati autem iam ante absoluta examina solebant ad vicarium in scholis maxime ruralibus munus admitti. Proinde nonnullos annos in compluribus oppidis, quae scholas Latinas fovebant, »pro praeceptore« stipendia merui, donec a. 1859 designatus sum ad scholam, quae in oppido Blaubeuren erat, ubi pridem seminarium absolveram, administrandam. Hinc a. 1869 Heilbronnam ad Gymnasium traductus septem annos in classe III., triginta in classibus superioribus munere publico professoris functus sum, donec a. 1904 aetatis anno LXXIII appetente senectute in otium recessi. Primo omnes disciplinas, postea litteras Graecas, Latinas, Gallicas professus eram.



Praeterea »inspectio« q. v. aliquot scholarum minorum in vicinia florentium mihi est mandata, denique 29 annos ad tentamen illud, quo qui in seminaria reciperentur, pueri probabantur, sum adhibitus (»Landexamen«). Cum semper omnem diligentiam in praeparandis lectionibus, multis scriptionibus corrigendis, etiam privatim adulescentium studiis juvandis ponerem, praeterea alumnos domi haberem, denique bibliothecam circuli Harmoniae quae vocatur administrarem, parum mihi temporis vacabat ad studia singularia tractanda aut libros scribendos. Tamen saepius dissertationes scripsi, quae diebus festis scholae vel in conventibus collegarum recitabantur, earumque nonnullae vel in annalibus nostris »Correspondenzblatt« vel in collectione dissertationum et orationum a Virchow et Holzendorff Hamburgi edita typis sunt expressae, ex quibus nomino libellos de vi et natura linguae, de Horatio, Tacito, Demosthene scriptos. Jubilaea q. v. duo celebravi, alterum post

exactos in Gymnasio nostro 25 muneris annos, alterum a. 1904 post 50 omnino officii scholastici annos absolutos.

Quodsi de privata mea et domestica vita pauca addere licet, 49 annos uno matrimonio conjunctus fui cum uxore dulcissima et piissima, qua abhinc quatuor annos amissa his versibus dolorem meum effudi:

Beatus ille, cui mulier superstes est
Eumque curat et senescentem fovet,
Ut otio grato fruatur commode,
Cura ac negotiis domesticis procul.
Contra miser, cui melior est ademta pars,
Ut solitariam trahat diutius
Vitam privatus diligentia pia,
Seni malorum quae fuit solatio.

Liberos educavimus quatuor, ex quibus duo filii in flore aetatis inter XX. et XXX. annum miserabili fato sunt abrepti. Amicitiae semper plurimum tribui et adhuc cum nonnullis aequalium, qui supersunt, commercium habeo epistolarum. Ruris amoenitatum, camporum, montium, peregrinationum pedestrium semper amantissimus fui et per 20 annos cum collega aequali et familiari magnam partem Alpium Helveticarum et Rhaeticarum perlustravi. Unum doleo quod nunquam mihi copia fuit Italiae visendae, quod desiderium litteris ad amicum, qui mihi illinc salutem dixerat, missis sic expressi:

»Infandum, regina, jubes renovare dolorem«,

vel secundum interpretationem Blumaueri:

»Infantin, lass das Ding mir nach,
Es kostet mich nur Zähren!«
Du rufst mir eine Sehnsucht wach,
Die fast mich will verzehren.
Ich bin ein rares Exemplar
Von einem Philologen,
Der niemals in Italien war.
Wie bin ich schnöd betrogen!

Ab anno aetatis LX. insperatum mihi divinitus donum est additum, ut Musarum afflatu plurima conderem carmina, quibus dies festos, amoenitates locorum et anni temporum celebrarem, varia sensa et cogitata verba numeris nectendo exprimerem, et ampli fasciculi eiusmodi scriptionum hoc spatio sunt congesti. Adeo licet grato animo mihi praedicare, Horatianum illud aliqua ex parte in me cadere:

— — — nec turpem senectam
Degere nec cithara carentem.

Narratiunculae

„Dantiste“ — „dentiste“.

Ioannem, regem Saxoniae, peritissimum fuisse linguae Italicae et sub nomine »Philalethis« poema illud Dantianum »Divina Commèdia« inscriptum singulari quadam arte et elegantia Germanice convertisse omnes, qui in litteris bene sunt versati, satis sciunt. Qua erat morum simplicitate, ille voluptatem summam percipiebat ex itineribus, quae una cum regina coniuge dissimulatis quidem nominibus facere solebat. Cum quando in Rheno flumine incognitus veheretur nave vaporaria, ceteri vectores amoenitate regionis unice laetantes alii alios interrogabant, quid nominis esset huic vel illi urbi et monti; rex et regina ipsi quoque in tecto navis erant. Subito unus ex itineris sociis regem sermone Francogallico rogavit de nomine oppidi cuiusdam, quod forte praetervehebantur. Rex Gallice respondens non solum oppiduli nomen indicavit, sed etiam se illud penitus novisse responso probavit. Postquam alii quoque vectores ad regem accesserunt, sermone magis magisque excitato omnes pendebant ex ore regis mira cum simplicitate de rerum ge-

starum memoria, de artibus litterisque disserentis atque auditores ob varietatem interpretationis summa admiratione imbuentis. Nimirum illi virum studiis et litteris deditum atque doctissimum loqui opinabantur; ex quibus denique unus ad reginam adiit, capite saepius inclinato multisque prolatis excusationibus se cupere dixit scire, quis esset maritus tot rerum cognitione praestantissimus, quaesivitque ex ea, an hac de re vellet certiorem se facere. »Bien volontiers, monsieur«, regina respondit »mon mari, c' est le premier Dantiste de l' Allemagne«. Quod cum audivisset homo curiosissimus, hianti ore adstans sic secum cogitavit: ah, hausimus igitur hercle e fonte, quem humilis quidam et simplex nobis aperuit dentium faber *(„dentista“)!* — Ex hoc temporis momento omnium ante audientium nemo allocutus est „homuncionem illum prudentiam simulantem et dentibus extrahendis sive reparandis operam navantem.“ Illos vocabula Gallica „Dantiste“ et „dentiste“ pronunciatu congruentia confudisse vix opus est dicere. Rex autem errore illo lepidissimo palam facto risit usque ad lacrimas. Postea rex casum Andreae Maffeio, amico praeclarissimo, et hic Tommaso Checchio, fabularum auctori, enarravit, qui in commentariis „Giornale d' Italia“ inscriptis nuper rem publici iuris fecit.

Guil. Lehmann Vratisl.

Professor universitatis L. studioso, quem publice in academia examinabat et stulta dare responsa aegre ferebat, cum duos apparitores forte in foribus adstantes vidisset: tu vero, inquit, submissiore saltem voce loquere! adsunt, qui audiunt.

Idem collegis, academiae senatoribus, cum suasisset, ut postmeridianis horis, non antemeridianis ut ante, senatus haberetur, quo argumento niteretur interrogatus, stupentibus haec respondit: quia saturata animalia mitiora sunt.

Idem collegae cuidam, qui, cum in senatu academico certo ordine omnes collocarentur, amice ei dixit se laetari quod bonum et probum virum iuxta se sedentem haberet: ita est, inquit, extrema se tangunt. F. G.

Carmen Germanicum

(Latine vertit F. Palata)

Greif: Sternentrost

Acrius mentes hominum dolerent
pluribus vultu lacrimis madente:
celsa sublimi nisi cernerentur
sidera caelo.

Quae polo dum fixa iubar serena
nocte fundunt, nos superesse Numen
admonent, nostris vicibus paratum
invigilare.

Sententiae

Satius est supervacua scire quam nihil.
Seneca

Verba reperta sunt, non quae impedirent, sed quae indicarent voluntatem.
Cicero

In praestantibus rebus magna sunt ea, quae sunt optimis proxima.
Cicero

Nihil est in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde illud quasi imago exprimatur.
Cicero

Catalogi antiquarii

O. Harrassowitz, Leipzig — Cat. 347: Klass. Philol. u. Altertumskunde, I. Script. graeci et lat., Inscript., num. 2362 (Script. lat. 1477—2146)

O. Harrassowitz, Leipzig — Cat. 348: Klass. Philol. u. Altertumskunde, II. Archaeol., Gramm., Lexikogr. etc., num. 1—2515 (Mittel- u. Neulatein 2417—2470)

J. E. Mueller, Halle a. S. — Cat. 154: Class. Philol., num. 1—2488 (Script. Lat. 1045—1597, Neulateiner etc. 1781—1920)

Süddeutsches Antiquariat. München — Cat. 145: Urchristentum u, Entwicklung der christlichen Kirche bis Ende d. IX. Jahrhd., num. 1—990 (Testamentum Novum, Evangelia, Acta et Epistolae Apostolorum etc.)

Jos. Baer u. Co., Frankfurt a. M. — Cat. 597: Bibliotheca Philologica Classica I. Auctores Graeci, num. 1—5277 (Incunabula, Aldi, Plantini, Elzeviri, Stephani, Bodoni aliorumque editiones)

A. Jullien, Genève — Cat. 28: Le Bouquiniste Genevois, num. 21946—22681 (Livres d'occasion de tout genre)

Schedula Cenatoria Latina

Q. B. F. F. F. Q. S.

CUNCTORUM PALATINATUS RHENI PHILOLOGORUM
CONVENTUS XLII DIE XIX MENSIS MAII MCMXII
AD CELEBRANDA
SOCIETATIS PHILOLOGICAE PALATINAE
SOLLEMNIA SEMISAECULARIA
GYMNASII BIPONTINI AUSPICIIS
NEAPOLIM PALATINAM SESE CONGREGANTIUM

INDEX CIBORUM:

GUSTATIO: Sorbitio quasi e testudinibus cocta quam Britanni vocant 'Mock - turtle - soup'

FERCULA:

Prima cena: Soleae assae
Ius quod Galli dicunt 'rémoulade'
Solanum tuberosum

Altera cena: Perna ex Praga urbe advecta
Asparagi in ipso Palatinatu nati

Tertia cena: Anates pullae pulmentario repletae
Fructus conditi — lactuca

MENSAE SECUNDAE:

Epidipnis: Globus mixtis lacte saccharo ovis
Vanilla glaciatus
Placentulae, bellaria sive
Caseus — butyrum
Poma

Ist das convivium mit comissatio glücklich vermählet,
Wo aus gerunzelter Stirne den Ernst Herr Liber hinwegscheucht;
Wo die Zunge gelöst an dicenda tacenda sich labet:
Was wohl möchte dem Gast da noch fehlen von reichlicher Tafel
In die Heimat zurück als Phaeax pinguis zu steuern?

QUOD FAXIT DEUS!

Periodicorum Summaria

Wochenschrift für klassische Philologie (XXIX. 20): Recensionen u. Anzeigen: Coptic Homilies, edited by W. Budge, London. Opus copiosum, accuratum, historiae, theologiae, philologiae studiosis aeque utile. (537/9, Wiedemann) — A. Macé, La Prononciation du Latin. Paris 1911. Quamquam ad peculiarem Francogallorum usum pertinet libellus, quaedam Germanorum quoque attentionem merentur. (539/44 Rosenthal) — E. Lieben, Zur Biographie Martials. Prag 1911. Digna, quae ab omnibus poetae amicis legatur, commentatio. (544/6 Harder) — C. Thulin, Die Handschriften des corpus agrimensorum Romanorum. Berlin 1911. Idem, Zur Überlieferungsgeschichte des corpus agrimensorum. Göteborg 1911. Labor utique necessarius. Quem quamquam negando praecipue refutandoque Thulinus confecit,

tamen iis, quae indagavit, merito gaudemus. (546/8 Gemoll) — A. Baumgartner, Untersuchungen und Urteile zu den Literaturen verschiedener Völker. Freiburg i. B. 1912. Cum plurima catholicis ante scripta fuerint, religioni quoddam fere tribuitur momentum, qua quidem re ipsum scriptoris iudicium minime turbatur. Digna erant, quae colligerentur. (549/50 A. F.) Auszüge aus Zeitschriften (Berl. phil. Woch., Athenaeum, Bollett. di fil. class., Ἀθηνᾶ). Rezens.-Verzeichn. philol. Schriften. Mitteil. (Preuss. Akad. d. Wissensch.). O. Achelis, De Herodoti parentibus (Herodoti pater nomen Halicarnasseum Λύξης habuit et Ξύλος est grammaticorum saeculi post Christum natum tertii aut posteriorum inventum.). Verzeichn. neuer Bücher.

Rheinische Hochschulzeitung (XI,1): Zu Beginn d. neuen Semesters — P. Ssymank, Zum Gedächtn. von Felix Dahn! — G. Lorenz, Selbsterziehung — F. St., Bemerkung. z. Reform d. jurist. Studiums — Rundschau (D. Deutsch-Akadem. Olympia 1912 — Umfrage betr. d. Reform d. Rechtsstudiums — Semesterbericht der Freistudentenschaft Aachen) — Bücherschau — Zeitschriftenschau — Schwarzes Brett (Freistudentensch. Aachen, Bonn, Cöln — D. Ämter d. Deutschen Freien Studentenschaft).

Discussiones (Organo de Academia pro Interlingua, Torino), III, 1: Ad socios de Academia — Propositiones in votatione — Deliberationes de Academia, usque 1911 — Regulamento — Propositiones de socios — Correspondentia — Propositiones de socio Michaux — A. Hartl, Forma et usu de infinitivo — G. Kolowrat, De grammatica minimo — G. Peano, De derivatione — Bibliographia — Intermediario — Activo de Societate.

Leuchtturm für Studierende (Illustr. Halbmonatsschr., her. v. P. Anheier, Trier) 1911/2, 8: Kaiserworte — A. Bea, Die Stimme der Völker — G. Herlt, Konstantinopel als Handelsstadt — W. Vincenti, Führer ihrer Völker in Nord u. Süd. Zum 100. Geburtstage Windthorsts — W. Gerhardt, Freie Menschen — H. Bosold, Heimverlangen — W. Wiesebach, Verstiegen E. Blatter, Pest und Ratten in der Geschichte — Marion, Die soziale Frage (Aus dem Polnischen d. St. Goldenring) — L. Franz, Mathematisches — Funken-Station.

In num. IV corrigenda:

In Ind. Rer.: novae novis; nominis substant.; Horae vespertinae; propositarum. Pg. 54[1], l. 28 : lingua adhibenda; 57[1] l. 21 : solvenda; l. 24: philologus Friderl-; 58 supra : Germanice; 59[2] l. 43 : sermone nostro; 60[2] l. 45: pro inventus

Sententia

Parva magnis saepe rectissime conferuntur.
Cicero

Censura Librorum

Lectores sociosque nostros hisce paucis certiores volumus nos, quamquam partem librorum ab editoribus nobis traditorum certis quibusdam iudicibus censurae causa dare solemus, tamen libentissime, quem quis cupiverit librum, si scribere de eo paratus sit, esse missuros. Opus enim est viris in eo, quod professi sint, genere censurae versatissimis. Scribat igitur, qui de uno ex libris indicatis iudicare velit, ad redactorem.

Die griechische und lateinische Literatur und Sprache. Von U. v. Wilamowitz-Moellendorff, K. Krumbacher (†), J. Wackernagel, Fr. Leo, E. Norden, F. Skutsch. Leipzig u. Berlin, B. G. Teubner, 1912 VIII u. 598. 12 (14) *M*.

De latinis graecisque literis ac linguis liber tertium iam emittitur — estne melius et praestantiae operis et arrogantiae eorum documentum, qui obsoleta haec studia atque obliterata dicant? In tertia hac editione Wilamowitz-Moellendorff, quae de scriptoribus graecis disseruerat, omnino retractavit, ita ut octaginta paginis librum oportuerit augeri. quibus additis non solum innumera hisce annis reperta recipi potuerint, sed etiam de classica, quae vocatur, Graecorum aetate uberius quam ante disputari. Sic totius rei expositio exstitit omnibus partibus aequabilis, qua ne poeticorum quidem generum origo praeteritur nosque omnem literarum historiam a primis usque ad sera antiquae graecitatis tempora ante oculos nostros progredi videmus. Sed et alia, quae libro continentur, passim correcta et aucta eduntur, excepta Krumbacheri nunc defuncti commentatione, quae immutata novam in editionem transiit. Multi doctissimique variarum ephemeridum iudices tantis librum laudibus ornaverunt, ut nos ampliore facile possimus commendatione supersedere. L.

H. Luckenbach, Kunst und Geschichte. Grosse Ausgabe, I. Teil: Altertum. 8. verm. Aufl. mit 4 farb. Taf. u. 308 Abbild. München und Berlin, R. Oldenbourg. 124. 2 M.

Iuvat lectorum nostrorum animos convertere in hunc librum; qui iam multos per annos tantum probatus est, ut vix ulla opus sit censura philologica vel archaeologica. Octava nuper prodiit editio, quae cum specie nitidissima tum maxima rerum ubertate ac varietate etiam superat priores. Videmus enim in libri fronte caput Athenae Myroniae artificiosissima Alberti Windischii manu delineatum; textui additae sunt quattuor tabulae pictae, quae libro summo sunt ornamento atque ostendunt haec: tab. I: sarcophagi qui dicitur Alexandri particulam; tab. II: trabes Doricas; templi angulum; tab. III: fastigium

templi Aeginetici; tab. IV: parietem e domo Liviae Palatina. — Praeterea, quaecumque recentissimis antiquitatis perscrutationibus in lucem prolata sunt, ea omnia, quoad pertinent ad discipulos instituendos, respiciuntur in libro omni laude et commendatione dignissimo. Cuiuscumque est iuventutem edocere veterum artes litterasque, ut superioribus sic etiam hac nova editione summo cum emolumento usurum esse persuasum habemus. Lhm.

Der Grosse Thüringer. Illustr. Führer durch d. Bäder, Sommerfrischen, Sommerwohnungen, Sanatorien, Fremden- u. Touristenorte Thüringens. 2. Aufl. Erfurt, W. Loewy, 1912. 72. 0.40 *M.*

Thuringiam visere cupientes in hoc nitido libello omnia inveniunt ad terram eiusque incolas, ad hospitia, deversoria, cauponas aliaque in itinere cognitu digna pertinentia. Praeterea hoc praesertim usibus convenit viatorum, quod ne horaria quidem viarum ferrearum omissa sunt. Imagines, quamquam non omnes aeque clarae, satis tamen, quanta amoenitate illius terrae regiones praeter ceteras eluceant, ostendunt, qua de re plura legi possunt in lepida commentatiuncula, quam A. Trinius, a cons. aul., Waltershusanus, qui optime omnium novit patriam suam, ‚duci' huic itinerum praemisit. L.

Fr. X. Reuss, Tentamina poetica. Romae, typis Cuggiani, 1911. III et 182. 2.50 *M**) Fr. X. Reuss, sacerdos ex ordine s. Red., opiparas paravit epulas omnibus, quibus poesis Latina in deliciis est. Collegit enim, quae pridem separatim in variis ephemeridibus vulgaverat carmina amplumque eorum volumen admodum modesto titulo Tentaminum poeticorum insignitum universae civitati litterariae proposuit. Sunt autem carmina illa argumenti vel maxime varii; sacra mixta sunt profanis, seria iocosis, hilaria maestis. Plurima tamen et epica et lyrica poemata e litteris sacris petita habent argumenta. Quae ex intimis animi praecordiis profecta nativum candorem et ingenuum fervorem ab omni fuco adscito alienum prae se ferunt et his potissimum virtutibus mirum quantum capiunt lectores. Accedit grata elocutionis perspicuitas, qua Reuss praestat vel Pascolio, poetae nuper defuncto, cui vulgo primas deferunt in versibus Latinis pangendis. Omnia carmina exarata sunt terso atque emendato sermone aetatis Augusteae, cui vix ulla citra necessitatem admixta est vocula Latinitatis recentioris. Neque in metrica ratione recessit poeta a severissimis Vergili, Horati, Ovidi normis, nisi forte offenditur quispiam trisyllabico aeneo (pg. 259), producto **e** in voce mel (72), correpto **o** in voce comunt (291) aliisque paucis maculis; quartus versus strophae Asclepiadeae: hos Penuria plectit (322), qui una syllaba mutilatus est, haud scio an ad typothetae incuriam revocandus esse videatur, cui etiam neve pro neque (254), patulum pro patulam (345) aliaque haud multa debent originem. — Quantam familiaritatem auctor operis cum lingua Latina contraxerit, inde potissimum manifestum est, quod in carminibus sacris ad eadem saepius argumenta relapsus, novo identidem ea scit adornare vestitu, ut nunquam taedium afferat legentibus, sed aliis aliisque eos mulceat leporibus. — Sed de his hactenus. Quid opus est pluribus verbis tollere vatem, quem iudices Amstelodamenses, quem Leo XIII, Musarum Latinarum arbiter elegantissimus, quem multae laudibus cumulaverunt ephemerides? Itaque finem censurae imponentes optimo iure opus Reussianum commendamus lectoribus; paucos enim aetas nostra tulit poetas ei comparandos, aetas autem futura dubito an latura sit neminem. P.

* Prostant venalia apud Editorem (cf. pg. 76!)

Unterricht und Sprechmaschine. Mitteilungen über die Verwendung der Sprechmaschine als Unterrichtsmittel. Herausg.: Prof. Victor A. Reko, Berlin; Verlag: W. Violet, Stuttgart. III. Jahrg. Jährl. 6 Hefte. 1.20 *M.*

Quod nomen ephemeridis, quae primum: ‚Sprachenerlernung und Sprechmaschine' inscribebatur, tam brevi tempore illo, quod supra indicamus, mutari oportuit, id signo est his ipsis annis phonographi et grammophoni usum exspectatione celerius increbuisse. Pauci enim suspicantur, quam late pateat harum machinarum utilitas quasque varias ad disciplinas eae iam nunc coeperint adhiberi, nisi qui ipsi rerum progressum sequi tamquam potuerint legendo. Ad hoc utile sane adiumentum sunt hi, quos Reko edit, libelli, quibus quam multae insint quamque varii generis commentationes, his intellegi licet ex inscriptionibus: E. Surkamp, Sprechmaschine und alte Sprachen; V. Reko, Die Sprechmaschine im Physikunterricht; F. Kluge, Der Phonograph im Dienste der Sprachwissenschaft; J. Fioretto, Les machines parlantes et la phonétique; R. B., Sprechmaschinen im Elementarunterricht; G. Schatzmann, Erfahrungen mit der Sprechmaschine an österreichischen Unterrichtsanstalten; Lötschert, Unterrichtserfahrungen bei der Verwendung der Sprechmaschine; K. Wolter, Der Pathegraph, et aliis. Circumspectu, quem vocant, rerum ad haec studia pertinentium et indice discorum in eruditione utendorum omnis fere ephemeridis fasciculus finitur. L.

Dr. K. Helm und Dr. G. Michaelis, Lateinbuch für Oberrealschüler. Mit 4 Tabellen. Leipz. u. Berl., B G. Teubner, 1910. 46 + 93 + 16. 2.20 M.

August Scheindlers Lateinisches Übungsbuch f. d. V. Kl. der Reformrealgymnasien. Herausgeg. von Florian

Weigel. Wien, Tempky, 1911. 225. 2.70 (3.20) K.

Quanta sit reginae illius linguarum, linguae dico Latinae, vis ac potentia, vix ulla re planius demonstrari crediderim quam eo, quod vel ipsis hisce temporibus, quibus a nimis multis acerrime impugnari videmus antiquitatis studia, eorum tamen, qui incumbunt Latine discendo, magis magisque augeri apparet numerum. Iam non solum in scholis, in quibus humaniora potissimum coluntur studia, lingua Latina suum obtinet locum, verum etiam in eius generis institutis, in quibus ad tractandas res technicas vel ad mercaturae usum discipulorum praeparantur ingenia, facultas non nunquam datur discentibus alicuius quidem assequendae sermonis Latini notitiae. Neque iam solos pueros, qui scholas frequentant publicas, linguae studentes videmus Latinae, sed etiam adultorum discipulorum discipularumque multitudinem in dies fieri auctiorem. Itaque librorum quoque, qui ad huius modi institutionem opus sunt, quod augescat numerus, non est cur mireris. Eidem librorum generi illi quoque adnumerandi sunt, quorum supra leguntur tituli.

Ac priorem quidem a duobus conscriptum esse auctoribus ex ipsa eius inscriptione perspicitur. Neque tamen de duobus unius operis auctoribus hic cogitandum est, sed de duobus opusculis, quorum utrumque suum habet auctorem. Quae opuscula licet uno legentibus praestentur volumine, nequaquam adeo inter se coaluerunt, ut unus iis efficiatur liber. R. Helm enim librum, qui »Volkslatein« erat inscriptus, officina usus Teubneriana ediderat, quo uterentur, qui »volgus« Latinis suscepissent instruendum litteris. Et quia una cum hoc libello G. Michaelis opusculum »Lateinische Satzlehre (verkürzte Ausgabe)« ab iisdem in usum vocari solebat, factum est, ut magistri eius generis discipulorum, qui iam provectiores aetate ad studium accesserant linguae Latinae, a viris officinam Teubnerianam administrantibus peterent, ut ex duobus illis libris unum curarent conficiendum. Atque K. Helm et A. G. Michaelis, libellorum auctores, ut qui nollent resistere, eos in unum connecti passi sunt volumen. Additae sunt ad Helmii libellum regulae, quibus substantivorum genus definitur, et tabula, qua coniugatio illustratur verborum, quae dicuntur a grammaticis anomala; ad utriusque autem libelli textum accesserunt sententiae ex Germanica in Latinam linguam vertendae. — Priore vero libri parte a Helmio conscripta, quam discipulis ad varias nominum verborumque formas cognoscendas memoriaque retinendas usui esse auctor voluit, nil nisi decem narrationes exhibentur, velut »De Roma Veturiae cura et opera servata«, »De Persarum apud Thermopylas pugna«, aliae. Sub finem adiecta invenies proverbia ex variis scriptorum Romanorum libris petita. Materia autem versionis, quae ex singulis sententiis constet Latinis linguae usum illustrantibus, at sensu inter se non cohaerentibus, Helmii caret libellus. Sunt in universum non plus sedecim paginae et dimidia — sat paucae sane ad tantae molis rem tractandam riteque absolvendam. Sequitur vocabularium Latino-germanicum (pg. 17—32) et appendix sententias narrationesque exhibens ex vernacula lingua in Latinam transferendas (pg. 33—46).

Altera eaque multo maiore totius libri parte continetur Michaelis opusculum, quo agitur de sententiarum in lingua Latina compositione (»Latein. Satzlehre«). Hoc eundem in modum scriptum est, quem hisce temporibus plerumque secuntur, qui libros in usum scholarum scribunt grammaticos: exempla sententiarum Latinarum secuntur regulae, quibus illarum nititur compositio. Materiae syntacticae (pg. 1—78) additum est calendarium Romanorum et index verborum locutionumque (pg. 78—93, de quibus verba fiunt in parte libri antecedente. In ipso fine reperies sicut in Helmii libello syllogam sententiarum (pg 1—16), in quibus ex Germanica lingua in Latinam transferendis adhibendae sunt regulae antea per inductionem quae dicitur constitutae. Totius libri naturam in universum aestimanti pars a Helmio scripta iusto minor mihi esse videtur, ut qui in docendis discendisque linguis peregrinis materiam versionum non tam ex vernacula lingua quam ex illarum litteris ipsarum petendam esse iudicem.

Dignum vero, cui palma deferatur inter libros, qui ad discipulos natu maiores Latino sermone imbuendos conscripti sunt, haud dubitaverim iudicare librum a Flor. Weigelio editum, qui inscribitur »August Scheindlers Lateinisches Übungsbuch für die V. Klasse der Reformrealgymnasien«. Notissimi enim illius operis Scheindleriani frugis optimae pleni, quod in usum ordinum I—IV. gymnasiorum Austriacorum est compositum, omnes partes quattuor Flor. Weigel, qui vir Romanorum sermone eruditissimus et ipse per aliquot annos iuventuti aetate iam provectiori elementis linguae Latinae operam dederat instituendae, mutatis, quae videbantur esse mutanda, ita in unum contraxit volumen, ut virtutes maioris illius operis non solum non evanuerint, immo vero in spatio artiore vel magis eluceant. Qui liber etsi inprimis ad usum V. ordinis recentium institutorum Austriacorum, quae »reformata gymnasia realia (Reformrealgymnasien« vocantur, est conscriptus, tamen aliorum quoque, qui Latine discere cupiunt, cum magno fructu versabitur manibus. Et singula quidem enuntiata ex altero sermone in alterum vertenda et ipsae narrationes ita delectae sunt, ut ad ingenia discipulorum natu paulo maiorum, quam qui vulgo primae alterive gymnasiorum classi adscripti sunt, sint accommodatae. Discipulos enim, qui in V^tam classem »gymnasii realis reformati« volunt recipi, cum aut scholae realis classes quattuor inferiores aut gymnasii oporteat absolvisse, annorum esse solent plus quattuordecim. Quorum quia pars longe maxima e scholis prodit realibus, ubi aliquam linguae Francogallicae sibi compararunt peritiam, rectissime fecit editor, quod in vocabulario

iuvandae discentium memoriae causa vocabulis Latinis Francogallica adiecit ex illis derivata. Eodem spectat, quod ad comparandam Romanorum linguae naturam cum Francogallicae in singulis sectionibus regulae adiciuntur rationem, quae intercedit inter has linguas, illustrantes, cf. § 10 »Im Lateinischen sind die Baumnamen auf -us Feminina im Widerspruch mit dem Französischen, wo sie Maskulina sind«, vel § 15 »Die Substantiva auf -or u. -os (gen. -oris) sind Maskulina, während im Französischen die entsprechenden Wörter auf -eur (mit Ausnahme der Personennamen) in der Regel Feminina sind, vel § 20, quo loco de usu Latini temporis perfecti et Francogallici »passé défini« et »p. indéfini« verba fiunt, aliisque ll.

Divisus autem est totus liber in partes quattuor, quarum prima textus quem vocant continetur ex altero in alterum sermonem vertendus (pg. 1—87)., altera vocabula per singulas libri paragraphos disposita (pg. 87—192), tertia et quarta (pg. 192—225) vocabularia Latino-germanicum et Germanico-latinum, quorum in utroque vocabula secundum litterarum ordinem reperiuntur congesta. — Denique minime neglegendum est singula enuntiata sive narrationum huic libro insertarum sive earum partium, quae ex sententiis ipso sensu inter se non cohaerentibus constant, ita esse composita, ut vertendis iis discipuli non solum vocabulorum variarumque horum formarum sibi comparare possint notitiam, sed earum quoque, quae ad verborum et sententiarum spectant compositionem, regularum. Ac priori quidem parti (usque ad § 93), qua inprimis agitur de nominum declinationibus, inserta reperiuntur ea, quae ex casuum quae dicitur syntaxi praepositionumque usu discipulis sunt cognoscenda, alteri (§ 95—147), qua verborum potissimum illustrantur coniugationes, ea, quae ad verbi pertinent syntaxin sententiasque inter se iungendi rationen. In paragraphis extremis (148—166) de temporum modorumque usu quaedam, quae, qui ad scriptores Romanos accesserunt legendos, debent habere cognita, addita reperies. Quae omnia si ipse animo perpenderis artisque illius rationem habueris paedagogicae, qua in hoc opusculo omnia inveniuntur disposita, vix ullum alium, qui ad provectiores aetate discipulos Latina lingua instituendos sit aptior, reperiri librum facile tibi persuadebis. Carol. Kunst Vindobonensis

Libri libellique censurae causa missi:

Die Anfänge der Perfekt-Literatur. Gesammelte Aufsätze v. A. Hartl, H. Krenn, J. Bernhaupt. Linz, Zentraldruckerei, 1911. 124. Pr. ?

A. Nardis, Carmina Subseciva. Aquilae in Vestinis MDCCCCXI. 36. Pr. ?

W. Mustard, The Eclogues of Baptista Mantuanus. Edit. with Introduction and Notes. Baltimore, John Hopkins Press, 1911. 156. Pr. ?

J. B. Pinth, Die Internationale Hilfssprache Interlingua. Luxemburg, M. Huss, 1911. 16. Pr. ?

P. Recanatesi, De Pugna inter Veritatem et Errorem in Rebus Theologicis Epistola. Romae, Societ. Editr. Rom. 20. Pr. ?

Von Schönheit und Freude. Eine Anthologie. 4.—5. Taus. Leipzig, F. Eckardt, 1911. 70. Pr. 0.15 *M.*

A. Nardis, Polymetron. Aquilae, Societ. Art. Graphic., 1912. 15. Pr. ?

Th. G. Thiele, Neuzeitige Friedhof- und Grabmalkunst. Berlin, O. Baumgärtel, 1912. 81 + 57 Taf. Pr. 6 *M.*

P. Peano, 100 Exemplo de Interlingua cum vocabulario Interlingua - Italiano. Torino, Bocca, 1911. 16. Pr. ?

P. Kröher, Amusing Studies in English. Puzzles and Games. Stuttgart, W. Violet. IV + 101. Pr. 1.60 *M.*

W. Arminius, Die neue Laterne. Roman aus dem Oberlehrerleben. Berlin, Gebr. Paetel, 1911. 2 Bd. 264. 286. 6 *M.*

R. Kühner, Ausführliche Grammatik der Lateinischen Sprache. 2. Aufl. I. Bd.: Elementar-, Formen- u. Wortlehre, neubearbeitet v. F. Holzweissig. Hannover, Hahnsche Buchhandlung, 1912. XVI + 1127. 24 (26) *M.*

P. Petzold, De Ciceronis obtrectatoribus et laudatoribus Romanis. Diss. Lipsiae, typis F. Peter Succ. MCMXI. 71.

R. Förster, Das Erbe der Antike. Festreden. Breslau, Koebnersche Buchhandlung, 1911. 114. 3 *M.*

Kleine Texte für theologische u. philologische Vorlesungen und Übungen. Herausg. Hans Lietzmann. Bonn, A. Marcus u. E. Weber.

3. E. Klostermann, Apocrypha I: Reste d. Petrusevangel., der Petrusapokalypse u. d. Kerygma Petri. 2. Aufl. 16. 0.30 *M.*

8. Idem, Apocrypha II: Evangelien. 2. Aufl. 21. 0.40 *M.*

11. Idem, Apocrypha III: Agrapha, Slav. Josephusstücke, Oxyrhynchusfragmente. 2. Aufl. 26. 0.50 *M.*

64. A. Ungnad u. W. Staerk, Die Oden Salomos aus d. Syrischen übersetzt. 40. Pr. 0.80 *M.*

65. E. Ziebarth, Aus der antiken Schule. Sammlung griechischer Papyrus, Holztafeln, Ostraca. 23. 0.60 *M.*

69. E. Diehl, Poetarum Romanorum Veterum Reliquiae. 165. 2.50 (3) *M.*

Responsorium

W. M.: Einfachheit verträgt sich sehr wohl mit gefälligem äusseren, lässt sich

sehr wohl mit einem g. ä. vereinigen = potest esse non incompta frugalitas; soll nicht prunkhaft, aber auch nicht unsauber sein = non splendeat, ne sordeat quidem; der zweck solcher erörterungen ist, zu beweisen = haec cum disputant, hoc student efficere . . . Pro ephemeride gratias! Vale.

H. H.: Ego iterum iterumque admiror egregiam tuam germanice scribendi facultatem: nihil tua a nostra differt consuetudine loquendi. Narratiunculam quoque certo scio amicos nostros magna cum voluptate esse lecturos. Vale tuosque discipulos meo nomine iube valere!

W. E.: Miseram ad te Ruehlii de arte memoriae in latina institutione utenda libellos, quorum te scribere velle censuram dixeras. Num ad te non pervenerunt?

— **ms.:** Quod S. L. tam benevole lectoribus tuis commendas ceterorumque, ut quisque prodierit, numerorum te facturum esse mentionem polliceris, plurimas tibi habeo agoque grates.

P. P.: Kal. Apr. a te quaesivi, num singulorum Scriptoris numerorum summaria in technica quae vocatur parte ephemeridis tuae tuae velles indicare. Tu vero nihil respondisti, quamquam specimen commentarii nostri simul miseram, ex quo consilia nostra a tot doctissimisque viris probata cognosceres. Licetne iterum te de hac re admonere?

M. E.: Missa libentissime, ut vides, recepi. Gratias!

F. V.: Episcopum vestrum laudibus extulisse Scriptorem magno cum gaudio legi. Sed quando hoc fecit? Palamne an privatim? Dic, quaeso, ubi habitet, et quo insignaculo utendum sit in literis ad eum dandis.

D. F.: Quando commodare mihi poteris illud programma, quo commentatio latina a discipulis conscripta continetur?

K. N.: Dolet, quod discipuli illius carmen publicari non potest. Remittam id tibi una cum docti cuiusdam viri iudicio, sperans te aptius quiddam aliquando ex bibliotheca vestra prolaturum esse.

H. R.: H. Peter, Der Brief in der römischen Literatur. Lpz., Teubner. 6 M.

G. H.: Narratiunculas lepidissimas grato, ut vides, animo accepi: Expecto, ut scribas iterum mihi roganti, quos libros censurae causa ad te mitti cupias.

U. R.: Pulchram illius carminis Heiniani versionem invenies in libro hoc ipso anno edito: W. R. Hardie, Silvulae Academicae (Londini, Henry Frowde. Pretium?)

Das Meer erstrahlt im Sonnenschein,
Als ob es golden wär'.
Ihr Brüder, wenn ich sterbe,
Versenkt mich in das Meer.

Hab' immer das Meer so lieb gehabt,
Es hat mit sanfter Flut
So oft mein Herz gekühlet;
Wir waren einander gut.

Aurea nunc Phoebo ridet maris unda sereno.
Cum moriar, comites, me tegat unda maris.
Pontum dilexi; dilexit me quoque pontus
Et gelidis fessum saepe refovit aquis.

K. B.: Haud satis gratias tibi referre possumus, quod etiam etiamque commendare Scriptorem pergis. Accipe, quaeso, benigne munusculum, quod ad te mittemus. Epistola superiore tua utemur paucis — ne offendantur osores — omissis partim, partim mutatis.

Chronogramma

quod occasione »Coetus Catholicorum«
Aquis habiti composuit
Saravinus

—o—

In Carolum Magnum

PRAELIANS ▫ QVOS ▫ EVICISTI,
LEGIS ▫ CONDITOR ▫ REXISTI,
CAROLE ▫ REX ▫ INSTRVXISTI
DISCIPLINIS ▫ SCOLAE ▫ CHRISTI!

Aenigmata

composuit

J. M. Hoogvliet Hagensis

1

Vocula pollicitans, minitans incerta-que monstrans
Atque ea res, paret cui probus omnis homo..
Haec duo jungantur, prope erit Marpesia cautes;
Dura habet utraque pars, summa-que dura datur.

2

(Versus Ovidianus restituendus)
Quid etetetet rasrasras, quae fulminis esset origo.

3

Ille ego sum, qui magna humeris molimina porto;
Vertas me, sum forma iubens intrare choreas.

4

Corporis intima pars foedae-que ex ulcere guttae
Iungantur — nunquam poterunt a corpore velli.

Ex iis, qui haec rite solverint, unus sortitus gratis accipiet librum:
Facciolati, Orationes et alia ad dicendi artem pertinentia. Patavii 1744.

Sententiae latine reddendae:

Nach den Wahlen wird bei allen ehrlichen Freunden unseres Volkes die eine Überzeugung lebendig sein: Mehr denn je ist es eine nationale, eine sittliche Notwendigkeit, dass Arbeitsgebiete vorhanden bleiben, in denen ehrliche Menschen von rechts und von links sich ohne Rückhalt die Hand reichen können in gemeinsamer fruchtbarer, aufbauender Arbeit. Der Bund Deutscher Bodenreformer hat in langen, oft schweren Zeiten bewiesen, dass er ohne Rücksicht auf politische Tageserfolge, auf Mandate und Ehren einen Bund der ehrlichen deutschen Arbeit darstellt. Ich werde gewiss den Kampf nicht schelten, in dem ich selbst lange genug gestanden habe, und in den ich morgen wieder hineingehen werde, wenn es meine Überzeugung ist, dass die Pflicht ruft. Aber wie sich der öffentliche Kampf heut nur zu oft gestaltet hat, kann unmöglich ein Segen aus ihm erwachsen, wenn nicht ein Gegengewicht gefunden wird in der Betonung der gemeinsamen Ziele aller derer, die die ehrliche Arbeit schirmen und ihren Anteil am Gesamtertrag der deutschen Volkswirtschaft erhöhen wollen gegenüber der arbeitslosen Rente in Stadt und Land. Der Anfang allen organischen Schutzes der ehrlichen Arbeit ist aber die Sicherung des vaterländischen Bodens! Gerade jetzt heisst es für jeden, der die Versöhnung und den Frieden will: Werbt Mitglieder für den Bund Deutscher Bodenreformer! (Bodenreform, 5. 2. 1912)

Huic penso qui satisfecerit optime, gratis accipiet libellum:

A. Bonefon, Carmina. Londini 1712.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem, Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., Baustrasse 10.

Nomina et domicilia
eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — H. Bigot, Prof. Instit. Carthag., Tunis — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislau — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. Th. Elsaesser, Maredsous (Belg.) — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Friedelshausen — Dr. J. M. Hoogvliet, Doc. priv., Haag — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul (Minn.) — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. L. Laurand, Canterbury — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila (It.) — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — P. Recanatesi, Prof., Osimo (It.) — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach (Bay.) — J. Tasset, Tonnerre — Dr. H. Weller, Ehingen a. D. — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Typographus: Carolus Wichert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus IX: Numerus VI

— Procurant negotia —

In Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
In Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
In Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
In Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. IX Francofurti a. M., Mense Novembri MCMXII Num. VI

ABEST SUDARIUM!

Solius loquentis puellae fabulam invenit et scripsit gallice Sido, in latinam convertit Tassetius.

*Lycei discipula, trunco de more vestifici *) tunicato, capite operto, peram explicat: ex qua codices, commentarios, denique sudarium promit.*

Hem! ecce sudarium meum. Pera condideram. Et nunc quum domum redivi, id demum reperio, postquam tam diu mane dolui, quod essem oblita... Quam insolitus tamen casus!

Discipula sum lycei Vergiliani, in quo diploma paro tenuius. Rheda publica deduci illuc soleo. Qui discursus graves sunt admodum. Ita enim tres minimum horas mamma aut ancilla perdit. Ne reputem asses quotidie duodenos aliquam esse mense finito summam... Quanta scilicet? *(cogitat)* ah! fide mea! computatu longius est: disciplinis non valeo rationalibus. Oratorias, ah! perorate mihi oratorias! magnos epicos, Nasonem, Maronem, Flaccum... Fallor, lyricus est Horatius Flaccus... Nihil tandem interest. Ea omnia sunt animi species, somnia quae te sublimem ferunt! sed arithmetica, chemia! C binum A ternum minus quattuor HO. C ternum O binum, acidum Borussicum, acidum Gallicum, acidum sulfuricum. Et physica, hydraulica, acustica, et commenta cetera in ica, quae caput hominum frangunt, me Deus, quam tonsorium istud est! Quae tamen omnia nobis trudenda sunt in *testam,* meus ut diceret fratellus... In meam cito non ingeruntur, et rationalium professor — pestis — id modo torvus iteravit mihi vice quinta et vicesima: »Luciana, malam, inquit, voluntatem huic rei adhibes. Pensa tua inepta sunt et puella, ut tu es ingeniosa, indigna!«

Cordis contriti habitum indui, et hoc venustulum prompsi sudariolum... *(sudarium educit e sinu)* ut flerem... flerem?... abige ista!... quod mihi sub nasum admoverem. Ah! verum vero optime... multo melius olet quam meum. Non enim meum est, sed nacta sum ab adolescentulo ... trossulo. Oh! grandis est fabula.

Perfrixit valde misella matercula et vetita est exire. Quamobrem hodie mane decretum est me lyceum solam esse nulla comite adituram. Minime mirum, annis quindecim nata sum semis, nec iam pupula. Supercilia quidem papa contraxit, mystacem mordicans: »Grave mihi est, inquit, incomitatam hanc pupulam fore!«

Sane, sed nec suarum disciplinarum cursus, inspectione instante, amittere haec pupula poterat, nec eam domum ancilla deficere, in qua curabat filiam avita suam. Haec illi mamma declaravit. Extulit humeros, et: »Quid plura?... inquit, te para, in rhedam com-

*) Vestificus in vestimento muliebri virilem habitum imitatur.

munem dabo. Et ad stationem me deduxit, ibi commonens hoc prolixius..

Rheda advenit... Plena... Descendit eques, fortuna quidem, et sedem eius occupo, ibi, iuxta ostium, ubi nullum est interseptum. Quamobrem crassam inter cauponam sporta onustam et matronam premor seniorem, adspectu parum commodam. Constringebar, attamen laetabar, quod tum primum, adulta tanquam persona, sine Mentore eram. Ultimum vale cum patre significo et molitur currus... Quintus temporis ex quo vehebamur aderat scrupulus, quum punctionem in naso sentio. Manum in sinum immitto, fodio... nihil... nullum sudarium! »Vecturas sultis.» Forte fortuna crumenam habeo, et confestim asses do rectori, nasum, acrius qui me pungebat, paulum ut scabam. Laevum exploro sinum, quo demota fit ut senior ganniat matrona. Nequaquam ibi sudarium! Et adeo mihi sudario opus est!... *(Gestus simul atque describuntur agendi sunt.)* Narem pulsatione levi tango, pituitam spiritu retraho... Id modo desinit, et post aliquanto magis magisque intolerabile redit. Nasum torqueo, depravari foedissime vultum praesentio. Male est, sed levari oportet... Indignatis micat oculis assidens proxima mihi. Erubesco, sed pergo. Quomodo aliter?... Et procul adhuc sumus a lyceo! Quid ego eo usque fiam?... Porro pituitam, quanquam retraho, defluere sentio. In aerumna sum!... Pituitam retraho desperanter... usque defluit, descendit canalem, ibi, usque ad labrum. Contemptim se avertit matrona senior, et acerba voce subito mihi: »Emungere, parvula. Sordes.« — »Vellem, domina, sed sudarium non habeo!...« Ad fletum paene deveniebam, id quod rem non exornavisset, quum puer, qui adversum nos sedebat, submittit caput et, bene plicatum promens e pectoris veste sudariolum omnimodo venustulum — hoc ipsum, ecce —: »Visne, inquit domina, sinere ut offeram aliquod tibi?« — »O! gratias, domine!« Et accepto, pudentissimo infecta rubore, et me tandem emungo, quanta levatione!

Inquinatum reddere sudarium non poteram, sed rogandus liberator meus erat de nomine et loco, quo illud ei remittendum foret. Id, adeo turbabar, non cogitavi. Puer me salutavit, de rheda desiluit. Me ei arrisisse credo, sed nihil ultra.

Itaque ergo hunc tenuiore lino nacta sum leporem sudarioli, syringae colore praetexti, et odorati aromate!... *(sudarium odorata)* Aromate... suavissimo!... Heliotropio?... Opoponax?... Ylang-ylang?... Corio Hispanico?... Verbena?... Nesciam dicere, nomine tenus bonos illos odores novi omnes. Quibus virginem uti non decere bene institutam contendit papa. Cur?... vos rogo... tam bene olet hoc sudariolum!... Littera O notatur... Octavi?... Oscaris?... Onesimi?... Ah! non ita, deformius id pronomen! Et decentissimus erat ille puer. Crine nigro? id est flavo, potius... vel myrrheo, credo. Mystax ... et quoque barbula, ut mihi videtur... Certissima non est mihi recordatio; satis eum non inspexi! Meo damno... bellissimus erat.

Ne multa, eum; si forte cognoscitis?... signavi vobis: puerum nigrum, vel flavum, vel myrrheum, cum mystace et barba... non praelonga ... sane, non praelonga. En sudarium ipsius, videtis: O acu in angulo pictum. Me illud habere, dicitote ei, et valde reddere velle.

Ex Epistulario Redactoris

Responso tuo accepto gaudeo quod non iam ut metueram Scriptoris tuique sum debitor sed creditor, ad annum usque 1914. Quae de Hultgrenii libello ad me adventuro scribis placuerunt. Haaseum quod attinet, spero non nimio pretio eum venum iturum esse, cum bursa mea nunquam hypertrophia laborare soleat. Tamen alea iacta est. Mitte igitur „leporem“ illum, si accurresit, indicato insignitum titulo. Ipse enim domicilio mutato non iam animal illud excipere potero: at sorores asyli et meo nomine pretium leporeum postsumendum solvent et ipsum animal post me mittent. Vale.

P. R ....

Templum Mariale Apud Eremitas

(Einsiedeln)

Salve, quae mediis surgis in Alpibus,
Sedes cara Deo, sacra Deiparae!
princeps Helvetiorum
salve gloria montium!

Heic olim, procerum natus in aedibus,
Meinradus latuit tesca per aspera,
felix psallere divae
coram Matris Imagine.

Icon alma pium vi trahit illice
Bennonem, populo quem rapit Alsato;
Suevum par Everardum
vis invadit et abripit.

Sparsos tum monachos colligit ambitus
vasti coenobii; grandius excipit
templum Virginis aram
primaevumque Sacrarium.

Mox (testata cano) labitur aethere
Christus, caelicolis cinctus ovantibus,
aeternusque dicanda
sacrat limina Pontifex.

O ter sancta Domus! te colat osculis
aetas nostra suis, priscus ut obtinet
patrum mos et avorum
regnis a Carolingicis.

Iam quis, diva Parens, dum rota vertitur
saeclorum decies, quis tua dicere
pertentet benefacta,
impertita vel improbis?

Tu plagas animi, tu quoque corporum
morbos voce fugas, «Omnipotentia
supplex» dicta, roganti
cui nil Filius abnegat.

Te praesente, fugit febris; in arida
sanguis membra redit; candida cernitur
lux caeco; pietatis
fax extincta renascitur.

Testes atque vades sint anathemata,
quae suspensa nitent aurea, gemmea
ante altare, tuamque
clamant munificentiam.

Virgo dives opum, perge clientibus
rivos largifluos fundere munerum.
Prolem, cui Benedictus
nomen legifer indidit,

omnem tu valida protege dextera;
at sit cura tibi prima Sacrarium,
quo non clarius ullum
sol perlustrat in Alpibus.

Arride et populis, quo tibi plurimos
quaevis orta dies convehit: Alsatos,
Rhaetos, Vindelicosque,
Gallos praeter et Italos.

Hos, lingua varios, tu, precor, effice
concordes animo, sacra Rosarii
laetos texere serta,
doctos solvere cantica.

Tutrix Helvetiae! cuius amabile
nunc tandem solium miror et osculor,
sero compos in aevo
votorum iuvenilium:

salve, Diva, mihi; tu neque supplicem,
quaeso, sperne senem: fac mea diluam,
flens, commissa; benignum
da post funera Iudicem.

Franc. Xav. Reuss

Lin. (2) In composita voce *Deipara,* metri causa, longam feci secundam syllabam, quae ceterum in voce simplici *Dei* produceretur. — Hoc autem vocabulo, in Codice Iustinianeo, latine redditur graecum Θεοτόκος.

(6) Meinradus, filius Bertholdi e nobilissima stirpe de Hohenzollern, amplexus Institutum Sancti Benedicti, anno DCCCXXIV cellam sibi et sacellum exstruxit haud longe a lacu Tigurino apud Helvetios, in ea alpina solitudine, quae deinceps appellata est *Einsiedeln.* Atque is ortus fuit oppidi cognominis et monasterii, toto orbe celeberrimi.

(10) Benno, abdicato munere, quod apud Alsatos in capitulo cathedrali Argentoratensi gerebat, anno CMXXV in eremum Einsiedlensem secessit, ubi et supremum diem obiit.

(11) Bennoni successit anno CMXL Everardus origine Suevus. Is vastum aedificavit monasterium, in quo monachos Einsiedlenses, ad id temporis dispersos, uno sub tecto collegit, quorum primus Abbas fuit. Amplum quoque erexit templum, in cuius ambitu excepta est primaeva aedicula Meinradiana, qualis etiam in praesenti conspicitur. — Prodigiosam fuisse huius aedis dedicationem, veterrima testantur monumenta, historicis probata. (Vid. *Wetzer* u. *Velte, Kirchenlexikon,* verbo *Einsiedeln)*

(60) Auctori, iuventutem agenti, fixum erat templum Einsiedlense invisere. Verum exsequendo consilio improvisa obstitit causa, nuper tandem post annos L sublata.

In Memoriam
Ludovici Uhlandii Ante Hos L Annos (13. II. 1862) Defuncti

tria poetae amabilissimi carmina

Latine reddidit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

I

„Droben stehet die Kapelle" . . .

Supra mutum stans sacellum
In convallem despicit;
Infra pastor parvus fonti
Verno clare succinit.

Triste sonat campanella
Nenia cum funebri;
Conticescit auscultantis
Laetum carmen pueri.

Quisquis valle lactabatur,
Supra terrae redditur:
Parve pastor: tibi quoque
Illic quondam canitur.

II

„So hab' ich nun die Stadt verlassen" . .

Nunc hac ex urbe iam discessi,
Quam colui diutine!
Fortisque protenus facessi
Sequente nullo comite.

Nec vestem mihi lacerarunt
(— Me misereret pallii! —)
Nec genam morsu violarunt
Maeroris pleni nimii;

Nec anxit quemquam dormiturum,
Quod mane foras abeo:
Nil moror hos! — sed, quod cessurum
Me fugit una, doleo.

III

„Noch ahnt man kaum der Sonne Licht". . .

Vix adhuc solis radios recentis
Mente praesagis, crepuere nondum
Aera campanae sonitura mane
Vallis in umbris.

Ut silet silvae spatiosa moles!
Alites strident quasi somniantes,
Non adhuc ramos vaga cantilena
Personat ulla.

Urbe iam dudum propere facessi
Rus et aestiva recreatus aura
Carmen hoc panxi cecinique laetus
Voce sonora.

Fragmenta Orationum Latinarum In Papyris Reperta

Deerat diu papyrorum collectio, qua omnia ad philologos, historicos, iurisperitos, theologos spectantia continerentur. Haec quam multa sint, nisi qui ipse in hoc genere scientiae versatur, non suspicatur. Bene igitur Mitteis et Wilcken consuluerunt doctis, quod librum nuper ediderunt omnibus eadem de re tractantibus uberiorem et, quod addere iuvat, viliorem. Titulus est illi: Grundzüge und Chrestomathie der Papyruskunde (Leipzig, B. G. Teubner, 1912) constatque opus totum duobus voluminibus, quorum altero de historicis, altero de iuridicis agitur rebus. Chrestomathia ipsa secundam utriusque voluminis efficit partem, prolegomena priorem. In his professores illi Lipsienses, sua quisque de materia scribens, incredibili subtilitate de iis disserunt antiquitatis monumentis, quae pari industria in altera parte congesserunt. Nos vero, qui legimus, haud minus admiramur eum, ad quem pervenimus, scientiae progressum, quam difficilem ac paene contortam vetustissimorum illorum regnorum administrationem. Plura enim ne nostrae quidem aetatis γραμματοκύφωνες solent scribillare!

Sed latina quoque insunt, in quibus duae orationes principis, mutilatae illae quidem, sed satis tamen servatae, ut, quibus de rebus agatur, inde co-

gnoscamus. Agitur de legitima aetate recuperatorum, in alteris duobus fragmentis de prohibendis accusatorum fraudibus. Habitae esse orationes videntur annos inter 37 et 61 p. C. n.

Textum, quo nostros quoque lectores delectatum iri puto, Naber, vir ille papyrologiae peritissimus, cum alio loco eum publicare vellet, ex ipso exemplo diligentissime recognovit. Denotant [ ] lacunam a doctis expletam, [[ ]] literas in papyro cancellatas, « » ibidem perperam scriptas. Ceterum, qui amplius rem investigare cupiunt, ab editoribus ad haec revocantur scripta: Berliner Griechische Urkunden edd. Gradenwitz-Krebs 611 — Blass, Lit. Zentr.-Bl. 1897, 687 — Mitteis, Hermes 32, 639 — Dareste, Nouv. Rev. Hist. 22, 687 — Brassloff, Sav. Z. 22, 169 — Gradenwitz, Bruns Fo.[7] 198. Ad eosdem referantur literae annotationum D, Br, G; M significat Mitteis, Edd. editores primos (Gradenwitz et Krebs), N Naber. Quae sine nomine proferuntur verba, ea Mitteisii esse intellegantur. In prima columna deesse putant Edd. 12 vel 15 summum literas, Bl 7 vel 8, M 10 vel 12.

Columna I:

]ave . videtur . [q]uinque . decuriis . in . iungi
]d . certe . face[r]e . ut . caveátis . nequis
qu]attuor . et . vi[gi]nti . annórum . reciperator
]neque . enim . [i]nicum . est . ut . puto . hos
]servitutis[. li]bertatisque . iúdicare
]res . suás . ag[en]dás . nihil . legis . Laetoriae
a]uxilió
]ulo . p(atres) . c(onscripti) . saepe . quidem . et . alias . sed . hóc
]pore . ani[m]«a»advertisse . me . mirificas
]. artes . qu[i . s]ubscripto iúdició . cum
...]m . iúdicem
...]et . nec
...]s . inter
...]stet
...]on . profi
...]cite
...]giunt
...]órem . est
...]antur
...]ae
...]ore . ne

I 1 fortasse: quoniam gr[ave M

2 i]d Br; hinc fortasse: opinor i]d

3 minor qu]attuor non sufficit lacunae; fortasse potius: nisi maior qu]attuor M; nisi qu[attuor D

4 detur] non explet lacunam; num forte: addicatur? M; l. iniquum

5 Dubium est, ‚prohiberi causas'] (Edd.) an ‚permitti causas'] (D) sit supplendum. Cui ‚prohiberi' longius esse, sed tamen vetari aliquid, non permitti videatur, is ‚vetari' scribat, quod ipse probandum censeo. Nam si cum D permissionem iis, qui iam quattuor et viginti annorum sunt, dari putamus, verba l. 6/7 difficilia sunt ad intellegendum. Tum supplendum erit: [qui vel ad] res suas agendas nihil legis Laetoriae [egeant vel: indigeant] auxilio (D); sed cur quis ad res suas agendas Laetoriae legis indigeat auxilio, quod actis demum rebus praestatur?

6]res N; qui vel ad li]tes Edd.

7 proficiant a]uxilio? M, i. e. res suas agere nequeunt propter legem Laetoriam. ‚Valeant', quod ante proposueram, nunc mihi sufficere lacunae non videtur. ‚Iuventur' a]uxilio (Edd.) equidem non intellego; vide tamen 5.

8]ulo (fortasse: sed]ulo?) N; p]uto Edd.

9 maxime tem]pore Edd.

Columna II:

tenuisse . caussam . petitóri . expediat Hae . ne [[pro]]cedant . artes . male . agentibus . si vobis . videtur . p(atres) . c(onscripti) . decernámus . ut . etiam prólátis . rebus . iis . iúdicibus . necessitas . iudicandi imponátur . qui . intrá . rerum[.]agendárum . dies incohata . iud[i]cia . non . peregerint. Nec . «non» defuturas . ignoro . fraudes . monstróse . agentibus multas . adversus . quas . excogitávimus . sp[e]ro remedia. Interim . hanc . praeclusisse nimium . volgatam . omnibus . malas . lites habentibus . satis . est. Nam . quidem . accusatórum . regnum . ferre . nulló . modó . possum qui . apud cum . curiosum . consilium . inimicos . suos reos . fecerunt . relincunt . eós . in . albó . pendentes et . ipsi . tanquam . nihil . egerint . peregrinantur cum . re[r]um . magis . natura . quam . leges . t[am] accusatórem . quam . reum . [co]pulatum . constr[ic-]tumque . h[a]beat. Adiuvan[t] . quidem . hoc [[consili]] . pro[pó]situm . accusa[tó]rum . et . reórum de[l]iciae(?) . q[uo] . min[u]s . invidio[s]um . sit . eórum tále . factum . qui . iam . sq[ua]lórem . sumere barbam[qu]e . et . capillum . [su]mmittere

II 6 «non» interpon. N.
8 l. excogitabimus
17 [co]pulatum N; .[.].ulatum Edd.; hinc priores coniecturae: [iug]ulatum M; [vinc]ulatum G — constr[ic]tumque Hirschfeld
18 Adiuvan[t] N
19 [[consili]] N

Columna III:

suá . caussá ., quó . magis . miserab[i]lis . [sit, non] fastidiunt . sed . vide[..]t [..]i[..]i . sibi . a[....] data . inst[r]umen[t]a . mis . [...........] accusatorib[u]s . quide[m ....]am[........] hanc . regni . impot[.....].....] [ut . potestatem] faciam[u]s . praetori . p]raeteriti]s . inquisiti[onis] di[e]bus . [voc]andi . acc[usatorem] . et . si . neq[ue . a-]der[i]t . neque . excusa[bitur . pro]nontiet . c[alumniae] caussa . negótium . f[ecis]se . . videri . [eum.] Haec . p(atres) . c(onscripti) . si . vobis . placen[t . s]tatim . signi[ficabo] simpliciter . et . ex . anim[i . mei .] sentent[ia . sin] displicent . alia[[m]] . reper[it]e[.] . sed . hic . in[tra] templum . remedia . au[t . si . a]d . cogitandum [ ] voltis . s[umere] . tem[p]us . [fortass]e . laxius, [sumite] dum . qu[ocu]mque . loci [......] fueritis [....] mem[iner]itis . vobis . di[cendam .] esse . sen[tentiam]; mini[me .] enim . decor[um] . e[s]t . p(atres) . c(onscripti) . m[aiestati]

huius or[di]nis . hic . un[um . ta]ntummodo . [me]
consule[m] . designatum . [in]scriptam . [ex]
relatio[n]e . consulum . a[d . ver]bum . dicere
senten[tia]m . ceteros . unum . verbum . dic[ere]
adse[nti]or; deinde . c[um . e]xierint . dix[imus]
ἀρν

III 1 [sit, non] N; [sit] Edd.
2/3 N proponit: 'sed vide[an]t [ne]i[ps]i sibi a [reis] data inst[r]umen[t]a mis.[.'; ,mis' sequitur e[vel c[N
4 accusatorib[u]s quide[m] N, qui legit: accusatorib[u]s quide[m legem fer]am[us censeo] hanc regni impot[entis sq.
5 potestatem D
6 praeteritis G
7/8 ader[it] N, hinc ceteris quoque locis singularis, non pluralis — pronontiet D — c[alumniae N; c[ognita] Edd.
9 f[ecis]se vel f[alsum fecis]se N; r[eliquis[se Edd.
10 [s]tatim N; [pal]am Edd.
12 m in ,aliam' cancellata est N
14 [fortass]e laxius, [sumite] N; [sumit]e laxsi s[patii] Edd.; [sumit]e D
17 decor[um] e[s]t N, P. Meyer
18 or[di]nis G — [me] N
19 [in]scriptam [ex] N; [con]scriptam [ex] D
22 c[um e]xierint; dix[imus] N. His verbis ii significantur senatores, qui, quamquam nihil praeter sententiam dixerunt, suis se argumentis probavisse rem gloriantur. C]um ab]ierint D
23 ἀρν numerus paginae actorum

Varia

De viris magnis parva vel puerilia tractantibus

Magnorum virorum saepissime proprium esse parvas quasdam ac pueriles res meditari eosque temporibus otiosis haud raro pueros fieri nemo ignorat. Quod utrum ingenii vere angusti an amplitudinis potius prominentis sit indicium, in medio relinquamus. Rosminius Italus, consilii publici auctor et philosophus, qui pauperibus pecuniam legavit ingentem, in viis carbonum fragmenta de plaustris delapsa colligere solebat; idem calamum scriptorium, quem e penna anserina ipse sibi erat fabricatus, duodeviginti menses in usu perdurasse gloriabatur. Imperator Augustus in plateis cum infantibus globulis ludebat. Etiam Agesilaus Lacedaemonius inter pueros puerorum mores induebat: cum liberis suis per aedium conclavia in baculo equitare summopere eum iuvabat. Darwinius cum liberis suis pila et delitescendo lusisse narratur. Faraday, Britannus ille chemicus et physicus, theatro pupulorum delectabatur. Gladstonius et Pittius ligna ad usum culinarum suarum necessaria ipsi caedere solebant. Beethovenus sexagenas fabas Arabicas cotidie consumendas sibi dinumerabat. Rossinius cunctas cenas suas ipse coquebat. Verdius butyrum, lycopersica, caseum obsonabat ipse cibos sibi cocturus, quos Italia »Maccheroni« vocant. Manzonius, poeta fabulae »Sponsi« inscriptae, domi suae fornaces ipse calefaciebat; idem peritissimus erat artis e seminibus arboris »theobroma cacao« appellatae et e saccharo condimentisque potionem concoquendi. Fridericus Magnus probe sciebat, quo cellarum suarum loco hoc vel illud vinum esset positum. Napoleo diligentissime reputabat, quantum sacchari consumere singulis aulae suae membris esset concedendum; — atqui idem data occasione sescenties centena milia nummum immotis palpebris dilargiri non dubitabat! — Guil. Lhm. Vratisl.

Carmen Germanicum

(Latine vertit F. Palata)

Grün: Das Blatt im Buche

Saepe contemplor vetulam, vetustum
dum librum versat, amitam: senecta
aridum florem studiosa libro
condit in illo.

Arida est dudum — puto — dextra, quondam
flosculum quae vere recente carpsit:
cur anus, spectat quoties vietum,
illacrimatur?

Duo Carmina Schilleriana

latine vertit

F. C. Baur, theologus olim Tubingensis, anno 1818.

I

Querela Cereris

An rediere novi gratissima tempora veris?
An rediit tellus flore renata novo?
Splendescunt virides Phoebi sub lumine colles
et constricta suo solvitur unda gelu.
Ac velut in speculo rident sine nube sereni
reddita caeruleis fluctibus ora Jovis.
Aethera per liquidum Zephyrus delabitur alis
lenibus et gemmas frons iuvenilis agit.
Carmina dant silvae, miserata gemiscit oreas:
En redeunt flores, nec tua nata redit.
Ah quoties terrae migravi rura pererrans
dubia cum trepido pectore signa petens!
Et radiis queiscunque nitet sol magnus Olympo,
quaesivi faciem, filia cara, tuam;
Nec tamen amissae vestigia caeca retexit
ullus nec vidit, qui videt omne, dies.
Tune, pater, rapuisti illam? Num victus amore
rex ad dira Stygis flumina duxit eam?
Quis mihi maeroris sub terras nuntius ibit?
Quis petet horribili Tartara plena metu?
Nonnisi perfunctos vectura per aequora manes
Solvitur aeternum litore maesta ratis.
Clausa manent superis semper[1]) Plutonia tecta
nec vivum vexit, dum fluit, unda Stygis.
Descendunt calles ad Tartara tristia[2]) mille,
ad claram ascendit semita nulla diem;
Quique ferat testis matri, quas fudit ab ore
innumeras lacrimas filia, nullus erit.
Mortales Pyrrhae matres de sanguine natae,
per flammas subolem vos comitare iuvat;
At qui regna tenent hominumque deumque parentis,
hos Stygii regis[3]) visere regna nefas;
Solum in caelicolas[4]), dirae gravitate sorores,
non habet imperium vestra severa manus.
Ex sede aurata me trudite noctis in umbras
nec quae matrem angunt iura timete deae!
In loca descendens, ubi tristi iuncta marito
considit Stygio plena dolore throno,
Ipsa dein Erebi[5]) sociata silentibus umbris
regalis peterem coniugis ora silens.
Eheu frustra oculos lacrimis sine fine rigata
anquirit radios, splendide Phoebe, tuos;
Eheu lonquinquas procul inde vagantur in oras
lumina nec carae matris in ora cadunt,

---

[1]) vel „superorum oculis".
[2]) vel „nocturna ad Tartara".
[3]) vel „tenebrosa Stygis".
[4]) vel „caeligenos".
[5]) vel „ hinc Tartareis".

Gaudia dum retegunt raptam, cum pectore pectus
 iunctum, Orcus nostris ingemit ipse malis.
Ah! quam vana precor, quas frustra fundo querelas!
 continuo Phoebi vertitur orbe rota.
Mens immota Iovis, numquam de sede beata
 convertet felix in loca taetra caput.
Est semel in Stygias procul hinc abrepta tenebras
 filia in amplexus non reditura meos,
Donec in aurorae radiis vada caeca relucent
 perque umbras arcum discolor Iris agit.

II

Nenia

Res quoque pulcra perit divumque hominumque voluptas
 pectora non Stygii mollit ahena Jovis.
Unus amor flexit regem, qui temperat umbras,
 et medio revocat limine dona ferox.
Nec Cytherea levat puero pia vulnera pulcro,
 quae nitido saevus corpore fecit aper.
Divaque non divum genitrix heroa tuetur,
 cum cadit et Scaeo limine fata subit.
At comitata choro Nympharum ex aequore surgit
 et fletus nati gloria magna movet.
Ecce dii lugent, luget quaecunque dearum,
 optima cum pereant, maxima quaeque cadant.
Quin quoque dilectis dulci iuvat esse querelae,
 nam Styga, quae vulgi sunt, sine voce petunt.

Gratulatio ad Petrum amicum

Fortiter exsupera mundi, bone Petre, pericla
 Invictaeque petrae nomen et omen habe!
Noveris iratos te circum frendere fluctus
 Nil te commoveat, quid mare triste ferat.
Confidens imitare Petrum, quem Christus ab undis,
 Ne „petra" corrueret, traxerat incolumem!

Saravinus

Literaria

Desinunt ista, non pereunt — his verbis Erwinus Rohde praeclarissimo suo de Psyche libro finem imposuit eo tempore, quo vita cultusque noster magis magisque videbatur ab antiquitate abalienari. Qua in re multa sunt paucosque intra annos mutata. An veniam hodie petit ignoscendi, qui, quae antiquitatis vis sit atque natura, ut plures rursum cognoscant, studet efficere? Nonne, quicunque poetarum et artificum nostrorum ad certam normam tendunt ac magnitudinem, eos veteribus ex fontibus videmus haurire? Immo theologi quoque intellegere coeperunt, quam multa ex religione et philosophia antiqua in Christianorum non ritus solum et dogmata, sed moralia etiam praecepta emanarint. Philosophi vero quid sentiant de Graecis, ut pauci tantum nominentur, Diltheyi, Wundti, Windelbandi, Euckeni demonstrant opera.

Crescit autem quotidie numerus hominum ita de antiquitate iudicantium. Cuius rei illud hic iuvat afferre documentum, quod his decem annis haud pauci exstiterunt et scriptores et

poetae, qui, quamvis diverse alioquin sentientes, mira tamen unanimitate, sive interpretis, ut ita dicam, munere fungerentur, seu ipsi homines scriptis suis erudirent, antiquitatis in vitam revocandae consilia adiuverunt. Hic Hugonem de Hofmannsthal, ut duos commemoremus viros suo in genere praestantes, eandem rem defendere videmus cum Hauptmanno, poeta illi multis partibus contrario. Ac tantum potest divinus ille, quo tales viri concitantur, instinctus, ut, vel si non omnino severis satisfaciant doctorum postulatis, eorum operibus mirifice animos hominum vegetari tamquam ac fecundari illaque magnam in vitam ipsam vim habere non sit dubitandum.

Tamen his commilitonibus, quamvis grata sit eorum opera, ut soli rem perficiant, non permittatur. Nam licet literarum studia, cur sint semperque fuerint, in se ipsa habeant causam, tamen, dies quoque quid postulet, quandoque est considerandum. Hoc tempus, si recte interpretamur saeculi indicia, antiquitatis studiis nunc advenit.

Atque hoc quidem praecipue doctorum erit demonstrare nostras res nullo tempore prorsus cum veteribus cohaerere desiisse et, quae inde consequantur, omnium, qui nunc sunt, hominum animis, ut ita dicam, inculcare. Hoc bene perspecto nos, liberi a nimia historiae observatione, qui simus et ubi simus, cognoscentes confirmabimur in hac culturae quam dicunt nostrae universum orbem terrarum complectentis confusione. Antiquitate enim, quod nostri proprium est, nobilitatur. Non casu accidit, quod earum artium, quae fecundissimae esse maximeque omnium in se ipsae positae videntur, Athena quasi symbolum atque imago habetur.

Sed quibusdam veterum operibus, quamquam ex suae olim aetatis condicionibus nata erant, tanta inest indelebilisque vis vitalis, ut egressa tamquam locorum temporumque terminos ipsa exsistant eius, quod immortale est in genere humano, symbola, quae omni et vivunt et prosunt posteritati. Hoc ipsi voluptatis causa litteris dediti facile possunt iis classica studia professis, qui desperare suam rem coeperunt, persuadere. Caveant igitur, quibus liberalium studiorum cura demandata est, ne quando neglecti officii in se admittant culpam. Ut nostri saeculi homines maturitatem adepti suaque virtutis fiducia elati omnis generis rebus gerendis vires intendant: Hereditas maiorum, quam illis retinere studemus, non gravi traditionis quam vocant pondere opprimet nascentia, sed vires excitabit novas novamque vitam donabit, dummodo recte nostris eam rationibus accommodemus. Non imitanda sunt, quae accepimus, sed nostrum in usum convertenda atque prudenter commutanda!

Denique religio quoque nostra, ut nulla unquam aetate, nullis, quae ab adolescente christianismo ad rerum apud Francogallos conversionem et gesta illa de libertate Germaniae bella praeterierunt, temporibus immemor fuit originis suae, ita ne his quidem diebus carere poterit arctiore quadam cum antiquitate coniunctione. Nam recentiora tempora quanto fuerint ad res humanas momento, quamquam non iam ignoramus, nec fugere nos potest non divini tantum, sed humani quoque, immo nimis, ut aiunt, humani multum inesse veteribus, tamen, quam novus qui vocatur humanismus sibi absolutionis perfecit imaginem, eam, cum tot iam tantique historiae periti ad obrussam redegerint, igni quodammodo spectatam esse iure videmur affirmare. Sunt sane magni viri Graecorum egregia exempla integrae illius humanitatis omnesque in partes excultae, qua nostri quoque homines tot in classes dissociati imprimisque eruditi inter acumina mentis sensusque animi ancipites possint educari. Huc accedit, quod ea certe aetate, qua summum Graeci perfectionis fastigium adepti erant, omnia mente quae percipiuntur et sensu pulcherrima quadam concordia univerunt, ex qua nova illa, quam ubique nunc nasci videmus, religiositas, qua rerum hominumque consuetudinem non fugere nec repudiare, sed complecti quodammodo altioreque honestate excoli docemur, novum agendi impetum consolationemque deducat, vehementer est optandum atque sperandum.

His verbis tam dilucide magna antiquitatis peritorum officia illustrantur, ut neminem esse lectorum credam, cui non, quod nostro ea sermone reddiderim, probetur. Sunt vero illa Theodori Weicheri, clarissimi editoris Lipsiensis, ad libros „Das Erbe der Alten" inscriptos prooemium, quorum adhuc prodierunt: Süss, Aristophanes und die Nachwelt; Treu, Hellenische Stimmungen in der Bildhauerei von einst und jetzt; Hirzel, Plutarch, brevique publicabitur: Zielinski, Die Märchenkomödie in Athen. Commentationes non ita scriptae sunt, ut, qui legunt, gravi, ut ita dicam, doctrinae pondere opprimantur. Eos potius spectant scriptores — nec pauci sunt his diebus — qui, veram genuinamque cum appetant eruditionem, tenuioribus ex fontibus haurire fastidiunt. Quamobrem versatissimi tantum in disciplina sua verba facient, nec solum philologi, sed germanistae quoque, iurisperiti, theologi. Neque in animo est, infinitam edere seriem librorum, seligentur, quibus hodie quoque iure movemur, res atque personae. L.

Sententiae

Par est omnes omnia experiri, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt.
Cicero

Timor est emendator acerrimus. **Plinius**

Non potest gaudere, nisi fortis, nisi iustus, nisi temperans.
Seneca

Fides supremum rerum humanarum vinculum est.
Quintilianus

Nuntii menstrui

Mensis September

18. Classis britannica H a u n i a e portum invehens a navibus longis Russorum in salo stantibus more nautico salutatur. Nec multo post eodem facto ab Hammonia itinere Zeppilinia navis, cui Hansa nomen, advenit superboque volatu aliquamdiu pendet super illas. Aeronautae, in his duo e bellica classe Danorum praefecti, ab urbis incolis ingenti ac paene exemplo carente gaudio excipiuntur, sed brevi ante meridiem ascendentes Malmö ad insulam dirigunt cursum, eo, unde profecti erant, reversuri.

19. Imperator Guilelmus censuram agit proelii navalis a se in mari g e r m a n i c o commissi.

Magistratus N o r i m b e r g e n s i s, ut caritati occurratur, carnem et pisces publice vendere statuit.

C h e m n i t i a: In hodierno socialistarum consessu, cum deliberaretur, an iuxta conventus generales secreta habere consilia liceret, pertinaces disciplinae assectatores, qui radicales dicuntur, maiores primum cum revisionistis i. e. sociis temporibus assentiri paratis habuerunt contentiones.

20. Denegat gubernium i a p o n i c u m deletae aeronavis nuntium. Non esse illam nisi leviter laesam nec ullo modo factam inutilem.

Ex I n d i a B a t a v o r u m graviores afferuntur nuntii de regiae classis nautis male parentibus. Hi enim de natali etiam reginae celebrando recusavisse dicuntur.

Acta diurna N e o - E b o r a c e n s i a nuntiant fossam Panamensem navibus longis apertum iri Id. Oct. anno 1913, mercatoriis anno 1914 mense Decembri.

21. Sermo est Simonem Copperum, implacabilem germanicae in A f r i c a dominationis adversarium, coloniam inter occasum meridiemque spectantem cum maioribus Hottentottorum aliorumque indigenarum globis invasisse.

Ex B a t a v i a affertur eum, qui bellicis ibi praeest rebus, ad senatum tulisse de urbe Vlissinga munitionibus firmanda.

Nuntiatur navem aeream Parsevalianam a J a p o n i i s nuper emptam exorto turbine ignem concepisse totamque flammis absumptam esse.

Turbis in concilio a u s t r i a c o redintegratis delectorum consessus incertum ad tempus differri oportuit.

Francogalli, ut urbem F e s ex obsidione Maurorum eriperent, profecti magnas ab hostibus accepisse iacturas dicuntur.

B e r o l i n o: Episcopi b o r u s s i c i litteris ad senatum datis postulant, ut lex societati Jesu imposita tollatur.

24. I t a l o s inter et T u r c a s constitutum est captivos togatos commutare.

Astley aeronautes, qui transvolati freti britannici laude florebat, apud B e l f a s t u m ascensione facta decidit statimque animam efflavit.

In sinensi provincia, cui T s e k i a n g nomen, quingenta milia hominum saevissima exorta tempestate interierunt. Centum fere milia familiarum tectis omnino carere narrantur.

Marschall de Bieberstein, nuperrime demum, ut Germanorum apud Britannos res curaret, Constantinopoli Londinium vocatus, valetudinis causa badensibus ad B a d e n w e i l e r utens aquis decedit. In exterarum rerum varietate versatissimus, cum mira constantia ad ultimum usque spiritum omnes muneris sui partes explerit, patriae ille vere dicitur consumptum esse inserviendo.

In actione publica contra Borchertum et Leinertum, concilii borussici delectos,

instituta summus Berolinensis iudicii praefectus hunc ducentis marcis, illum quinque hebdomadum custodia censet multandum.

Turcae cum Italis de pace agere desierunt, cum illorum accipi posse condiciones negent.

Ut militum germanicorum stipendium augeatur, septingenties centena milia marcarum in publicam imperii rationem induci oportebit.

Rei militaris in Britannia moderatores eo, quod aeronavibus nuper effectum sit in certamine ludicro, tam contenti fuisse dicuntur, ut duodecim statim machinas volaticas et sex navigia regibilia e gamma, quod vocatur, systemate iusserint construenda.

Russis cum Britannis convenit, ut eorum, quae Ssasanow et Grey, utrorumque legati, inter se constituerint, nihil enuntietur. Actis demum rebus pauca illorum promulgabuntur.

Rusanovius eiusque socii a gubernio russico Spitzbergam missi totam circa Bellsund regionem Russorum esse proposito vexillo significarunt. Qua occupatione illi iura cuiusdam societatis sueco-britannicae ad effodiendos carbones conditae laesisse dicuntur.

25. Adolphus Harnack theologus libello Lipsiae edito vehementer impugnat sententiam a senatu ecclesiastico de Traubio pastore pronuntiatam.

Berolino: Scapha tormentis instructa, quae ex apro nominatur, missa in Africam est, ut ad eos Conginensis coloniae appelleretur locos, in quibus vexillum germanicum nondum est sublatum.

26. In ‚Times' quae inscribuntur actis, dum mentio fit Marschalli legati mortui, legitur intellegentium neminem esse Britannorum, quin desideret amicitiam pacemque cum Germanis conservari.

28. De operariorum collegiis Papa novam ad episcopos germanicos encyclicam missurus esse dicitur.

30. Acta quaedam Leodiensia incredibilem dispergunt nuntium Papam ex Vaticano in insulam Maltam transferre domicilium cogitare.

Mensis October

1. Imperator Nicolaus regem Rumaniae summum exercitus russici praefectum nominavit.

Gubernio germanico caritati carnis mederi conanti ex agraria qui sunt factione vehementissime adversantur.

2. Turcae quoque et Montenegrini milites ad arma convocant.

2. Parisiis nuntiatur Russos mense Octobri versuram esse facturos mille ducentarum vel quingentarum millionum.

3. Vindobonae rumor est Austriacos, si Serbi Turcas adoriantur, copias maiores ad limitem serbicum contracturos esse.

4. Turcae cum Italis pacem fecerunt.

5. Austriaci declarant se cum Russis, quorum, quid geratur in Haemi paeninsula, non minus quam ipsorum intersit, omnibus viribus enisuros esse, ut pax servetur.

7. Poincaré et Ssasanovius, duplicis quod vocatur foederis ministri primarii, gubernio austriaco - hungarico suaserunt, ut magnae Europae civitates communi consilio res ad bellum haemicum pertinentes ordinarent.

8. Concilium Bavarorum omnibus sententiis rogationem gubernii accipit, qua tricies centena milia marcarum primae instar pensionis erogantur ad Moenum flumen ab Hanovia ad Ascaburgum navigationi aptandum.

9. Henricus, Gulielmi Caesaris frater, ex Japonia terrestri itinere revertens Spalam quoque veniet plures apud Russorum Imperatorem dies moraturus.

9. Montenegrini apud Beranam Turcis magnam cladem attulerunt.

De consilio naves emigratorias Emdenensi ex portu emittendi hoc ipso mense in senatu borussico agetur.

10. Nuntiatur prope esse, ut Bulgari et Serbi Turcis bellum indicant.

11. Berolino: Ob exterarum rerum statum, qui reipublicae praesunt, deliberare dicuntur de concilio convocando.

12. In colloquio, quod Ssasanovius habuit cum Britannorum ministro in castello Balmorensi, regulum Persarum terra expulsum in regnum restituere constitutum esse dicunt.

Censura Librorum

H. Zuschlag, Wie mache ich gute lateinische Extemporalien? (Hilf dir selbst! No. 28) Lateinischer Extemporale-Regelnschatz mit übersetzten Musterbeispielen. Bonn, C. Georgi. 48. 0.50 *M.*

Hunc libellum, qui omnia Latinae grammaticae praecepta discipulo necessaria cum exemplis Germanice versis continet, multis et utilem et gratum fore existimamus. Cum ea quae maioris momenti sunt, crassioribus expressa sint litteris, facilius memoriae mandantur. Quod nonnullae sententiae Germane versae sunt, laudandum. Paucas vero sententias aliter vertendas esse censemus, ut haec: propter me vivit: er lebt durch meinen (sic!) Verdienst; verte: er hat mir das Leben zu verdanken (pag. 4). Item: Me miserum! te per me tantas opes collegisse: O ich Unglücklicher, der du durch mich so grossen Reichtum zusammengebracht hast; verte: Ich Unglücklicher! Dass ich es sein muss, der dir zu solchem Reichtum verholfen hat! (pag. 19.) — Errores typographicos inveni hosce: ante exactam aetatem; lege: aestatem (pag. 3.), et: maxime sunt certissimaeque divitiae; lege maximae (pag. 18). — Parvo pretio libellus commendatur.

W.

Johann Amos Comenius, Orbis Sensualium Pictus. Herausg. von J. Kühnel. Leipzig, J Klinkhardt, 1910 6 M.

Cum tabellarius hunc mihi librum traderet egoque inscriptum bibliopolae legissem nomen, Heus, mecum cogitavi, quae tu a Klinkhardto antiquaria? Nam quamquam nihil eius generis ab illo mandaram neque, cum non curet haec negotia, mandare potueram, sectura libri ex involucro utrimque conspicua operis speciem praebebat vetustioris. At quanta demum voluptate affectus sum, cum folia ipsa perlustrabam! Typi, imagines, charta, omnia illum, quo nos φιλόβιβλοι delectamur, sensum excitant antiquitatis. Est profecto libellus cuiusvis literarum studiosi gaudium Quis praeterea omnium eorum, qui de Comenio scripserunt vel examinis subeundi causa illius scriptis operam dederunt, originalem, ut ita dicam, Orbis Picti editionem ipse vidit! Quid quod etiam, quae in notissimis nostris de paedagogia libris inveniuntur imagines, ex editionibus ab aliis retractatis sunt desumptae. Kühneli vero liber primam, quae anno 1658 prodiit, editionem exhibet integram, secundae paulum ab illa differentis paucas paginas, tertiae anno 1662 publicatae partem maiorem. Quaecunque discrepant inter illas, infimis paginis editor annotavit idque, ne textus turbetur, minimis literulis. Ut concludamus, praestantissimus omnino libellus nec a nullis paedagogiae studentibus, seminariis, institutis aliisque scholis emendus; redemptori vero, qui ingentibus impensis pretiosissimum hoc literatae civitati munus donavit, haud satis putamus referri posse grates. L.

(168)

LXXXII.

Viator. Der Wandersmann.



Viator, 1	Der Wandersman/ 1
portat Humeris	trägt auf dem Rücken
in *Bulgâ*, 2	im Reise Fell/ 2
quæ non capit	was nit fassen können
Funda 3	der Schiebsack 3
vel *Marsupium*; 4	und die Tasche; 4
tegitur,	Decket sich/
Lacernâ; 5	mit dem Reißmantel; 5
manu tenet	Hält in der Hand
Baculum, 6	den Wanderstab/ 6
quo se fulciat;	daran er sich halte;

Ex Kühneli nova Orbis Picti editione.

Th. Zielinski, Die Antike und wir. Deutsch von E. Schoeler. Dieterich'sche Verlagsbuchhandlung, Leipzig. 3. Aufl. IV + 124. 3 *M.*

Tollite, legite! His, quibus tantopere vigent temporibus artes ingenuae, cultus atque humanitas maxime floret latissimeque per orbem patet, summo sunt salutandi gaudio libri, quibus studia antiquitatis, utpote quae sit fons atque semen omnium, quae nostra feruntur aetate atque coluntur, rerum, maximopere commendantur atque excitantur, excitata conservantur atque augentur. Huius generis libellum praestantissimum dignumque attentione omnium hominum doctorum cl. ille Petersburgensis professor anno 1911 jam tertium tribus ab altera editione (1908; primum 1905) confectis annis nobis donavit. Octo, quibus constat libellus, disputationibus — habitae sunt vere anni 1903 apud Petersburgenses discipulos qui gymnasia aut scholas superiores reales, quas

vocant, egressuri erant — prof. Zielinski, vir summo ingenio atque disciplina, praeclare diserteque de antiquitatis praestantia tribus agit capitibus: 1) Der Bildungswert der Antike, 2) der Kulturwert der Antike, 3) Die Wissenschaft von der Antike. Primo quae tractat capite, cum et universe historia humani cultus civilisque comprobet antiquitatis studio omnes omnium temporum locorumque homines doctrina excultos atque ad humanitatem informatos esse et proprie Graecorum Romanorumque linguis addiscendis mentes moresque plurimum informari ipsa earum linguarum natura atque indole confirmet, non minus summo afficient gaudio cum eos, ad quos potissimum spectant, discipulos dico, qui veteribus Graecorum Romanorumque linguis addiscendis operam dant, tum omnes omnino antiquitatis amicos, quam novos admovebunt stimulos ad persequenda antiquorum temporum studia. Quae secundo tertioque capite tractantur, ii velim iterum atque iterum legant, qui fictis vanisque ducti opinionibus nihil prorsus nobis antiquitatis studium prodesse contendunt. Denique haud parvae scriptori laudi esse puto, quod — pro origine hujus libelli atque fine — imagine quasi effingit Russorum praejudicatas de antiquitate opiniones et, quae ex his ortae sunt amicos inter adversariosque antiquitatis, concertationes.

Fr. Fr.

Joannes Pascoli: Thallusa. Carmen in certamine poetico Hoeufftiano praemio aureo ornatum. Amstelodami 1912. Postumum opus principis omnium, qui exeunte saec. XIX et ineunte saec. XX exstiterunt, poetarum Latinorum minime degeneravit opera eiusdem vatis antiquiora. Excellit enim et inventionis felicitate et exquisita narrandi facultate et subtili affectus humanos exprimendi arte. Inducit ancillam Christianam scribae Romano servientem, quae suo filio orbata postquam vario mentis aestu diu inter iram et dolorem fluctuavit, tandem amorem, quo suam prolem amplexa erat, transtulit in filium heri sui. Multa in carmine capiunt teneriores lectorum animos, imprimis autem lepidissima illa nenia, metro Saturnio concinnata, qua serva quondam suum, nunc heri filium sopire conatur: „Ocelle mi, quid est quod vis apertus esse“ etc. Elocutio poetae ubique fere nitet, si paucissimos locos excipis obscuriores et aliquot voces obsoletas atque a sermone optimae notae poetarum alienas, qualibus omnino Pascoli libenter orationem distinguebat. Restat, ut de metri ratione verba faciamus. Pro more suo non imitatur poeta hexametrum Vergilianum aut Ovidianum, sed potius laxiorem illum Horatianum, saepius admittit versus voce monosyllabica conclusos, nec fastidit versus, in quorum quinto pede ictus metricus non congruit cum accentu grammatico, aut quorum et quintus et quartus pes spondeum exhibet. Immo incuria poetae sane dormitantis fudit etiam horridulum hexametrum „serva levis venit, pueris semihiantibus albas“ (pg 13) et duo monstra hexametrorum septenis pedibus salientium: „balbutit puer — i: nunquam tetigisti crustula, quo nil“ (pg 6) et „et caros pueros habet et pueris est cara; vide sis“ (pg 8). Fortasse etiam superior ille versus errore typographico depravatus est ex simili „septipede“ hexametro: „serva levis venit pueris et semihiantibus albas“. Non sum ignarus esse plerosque, qui obscuritate et duritate elegantiae Pascolianae passim admixta veluti opere quodam musivo delectentur, ubi levia varientur asperis, rotunda quadratis: ego tamen ex gravioribus illis, quos postremo loco commemoravi, erroribus meo iure mihi conicere videor poetam mala valetudine extremam manum carmini imponere prohibitum esse.

F. P.

Allgemeines Hochschul-Taschenbuch. Breslau S. S. 1912 Breslau, Akademisch. Verl. W. Finsterbusch. 104. Pr.?

Hunc libellum omnibus iuvenibus universitatem litterarum Viadrinam aut academiam technicam Vratislaviensem cum hodie frequentantibus tum imposterum adituris enixe invat commendare. Nam opusculo illo forma habilissima insigni et involucro flexibili praedito omnia fere, quaecumque de studiis aggrediendis et persequendis scire opus est civibus academicis, brevi in conspectu posita continentur, imprimis docentium nomina habitationesque, seminaria aliaque palaestrarum illarum instituta ad litteras et ad artes technicas pertinentia; de studiosorum receptionibus, de auditionum electione, de summis academicis honoribus capessendis praecepta. Enumerantur praeterea consociationum vel «corporationum» nomina, colores, sententiae, rationes atque consitia; deinde theatra, bibliothecae et musea publica; additi denique sunt fasti, pugillares tabulae tabelariae, alia, in his etiam praeconia publica. — Errores quidam vel menda typographica, velut pg. 68 Min. 32 scienta pro scientia, pg. 60 l. 27 ἐν ἀγάκῃ pro ἐν ἀγάπῃ, pag. 103 l. 11 über 100 pro über 150, nova editione facile corrigentur. Quoad sciamus, libellus initio cuiusque semestris spatii denuo editur.

Lhm.

H. Rühl, Die lateinischen Genusregeln in 2 Stunden zu erlernen. Ein mnemotechnisches Hilfsmittel für deutsche Lateinschüler in Form eines Trauerspieles. Selbstverlag (Darmstadt, Teichhausstr. 15). 3. Aufl. 15. 0,30 M.

Die unregelmässige Deklination in Form einer Schilderung des Aufstandes der Plebejer. 2. Aufl. 16. 0,20 M.

Vir mnemonicae artis peritissimus nova quadam ratione pueris Germanis linguae Latinae studiosis labores sublevare conatur. Grammaticorum de genere substantivorum praecepta lepidissima tragoedia ita ostenduntur, ut et facile ediscantur et in perpetuum in memoria haereant. Plebis motu ad actus scenarum composito enormis substantivorum et adiectivorum flexura

declaratur. Quamquam pauca arcessita videntur et vi adhibita, ut ita dicam, attracta, quamquam versus extremis syllabis similiter sonantes, qui nescia qua facilitate irrepunt in aures, nusquam sunt recepti, tamen non dubitamus, quin libelli isti difficultates, quae discipulis et tironibus et exercitationibus semper occurrunt in discenda lingua Latina, minuant ac tollant. W.

Periodicorum Summaria

Fremde Zungen. Journal mensuel illustré (Dir. B. Albano, Göttingen; 4 M. par an, Union Postale: 5 M.) I, 2, Oct. 1912: G. Lebarge, Institutions françaises — Chronique du mois (1—30 sept.) — Lecture du mois (E. Quinet, Une Hôtellerie en Espagne) — Variétés (La cinématographie au service de la science — La réputation des fermiers généraux du temps de Voltaire) — F. Le Bourgeois, Au fil du Rhin. Durch das Rheintal — Le costume sous le Directoire — Pour le commerçant allemand — Publications récentes — Petite poste — Petites annonces.

Die Stimme. Centralblatt für Stimm- und Tonbildung. VII, 1 (Okt.): B. Ulrich, Das Auftauchen der Voix mixte in der Renaissance — F. Dubitzky, Sonderbarkeiten unserer Notenschrift — G. Heinrich, Ueber Stimmbildung — O. Schäfer, Einiges über das Atmen — F. Kahrig, Elementarunterricht u. Sprechtechnik — Umschau — Vereine, Kongresse — Personalnachrichten — Literatur.

Das Alumnat. Eine pädagogische Zeitschrift. I, 2 (Mai): E. Horn, Alte moderne Pädagogik — W. Hartmann, Selbstregierung im Alumnat — W. Hartmann, Wohin bringen wir unsere Söhne in Pension? — Philoneus, Paul de Lagarde über Alumnate — *** Die staatliche Fürsorge für die „auswärtigen" Schüler in Preussen — H. Gebler, Das Martinsstift in Fild bei Mörs — Aus dem Vereinsblatt alter Nieskyer — Aus der Ostrauer Chronik — Neugründungen von Alumnaten — Literarisches — Fragen u. Antworten — Vakanzen.

Catalogi antiquarii

Heinrich Kerler, Ulm — Cat. 379: Altclass. Phil. u. Altertumsk., num. 1—25112 (Aut. lat. 9339—15739, Neulat. 15740—16302, Opuscula 16302a—16385)

J. Halle, München — Cat. 38: Genealogie u. Heraldik, num. 1—2282 (Alte Drukke, Holzschnittbüch., Manuskripte, Studentica etc.) Mit 4 Regist., XXIV+304. 1 M.

J. Halle, München — Cat. 34: Neue Erwerb. von kostb. Manuscr., alt. Holzschnittbüch., Kupferwerk. u. selt. Incunab., num. 1—481, mit 7 Taf. u. 7 Abbild. 1 M.

J. Halle, München — Cat. 41: Manuscripte, seltene u. kostbare Bücher (Neue Erwerbungen), num. 1—261. Mit Regist. u. 43 Abbildungen.

J. Halle, München — Cat. 40: Auswahl von schönen, seltenen Porträts, num. 1—2495. Mit 67 Bild. in Autotypie. 2 M.

F. Meyer, Leipzig — Cat. 110: Germanistik, Philologie u. Kultur, Pädagogik, Sprachwissenschaft, num. 1—3467.

Gustav Fock, Leipzig — Cat. 405: Klass. Phil. I., num. 1—4198 (Lat. Schriftstell. 1818—2773a, Neulat. 2844a—3015)

Schweitzer u. Mohr, Berlin — Cat. 14 (Nachtrag zu 11): Studenten-Silhouetten u Universitätswes., num. 1—410.

J. Halle, München — Cat. 45: Geschichte d. Humanismus, num. 1 - 953 (Schrift. d. Humanist. u. neulatein. Dichter 1—510, Grammat., Wörterbüch. 511—630, Griech. u. latein. Schriftstell. 631—953). Mit 17 Abb. Pr. 1 M.

J. Poole & Co., London — Classical Literature, pg. 1—56 (Latin Grammars, Readers, Prose and Verse Compositions 1—8 Authors 18—55)

J. Ricker, Giessen — Cat 63: Klass. Phil. I., num. 1—2971 (Script. lat. 1716—2954)

J. Ricker, Giessen — Cat. 64: Klass. Phil. II, num. 1— 2378 (Herculan. u. Pomp. 813—823, Rom 1692—1714)

J.-B. Mulot, Paris — Cat. 48: Phil. class., num. 1—1042 (Littér. et Philol. lat. 353—662)

Göttinger Antiquariat — Cat. 144: Klass. Phil. II, num. 1—1454.

Süddeutsches Antiquariat, München — Cat. 137: Klass Phil., num. 1—2916 (Sript. lat. 1416—2790, Spät. u Neulat. 2791—2879)

Mayer u. Müller, Berlin — Cat. 263: Klass. Phil. I, Griech. Aut., 78 pgg.

Mayer u. Müller, Berlin — Cat. 265: Klass. Phil. II, pgg. 74 (Lat. Autor. 1—46, Neulatein. etc. 46—53)

Jos. Baer u. Co., Frankfurt a. M., Cat. 602: Auctores Latini, Texte, Übersetz., Erklär., num. 1—4214 (Auct. lat. 219—4198, in his multa incunab., Aldina, Plantin., Elzevir. etc.)

Paul Alicke, Dresden — Cat. 108: Linguistik, num. 1—658 (Latein 500—513)

Mayer u. Müller, Berlin Cat. 271: Universitätskatal., pgg. 40 (Klass. Phil. 26—28)

Jos. Baer u. Co., Frankfurt a. M. — Cat. 580: Bibliographie, Palaeograph., Buchdruck, Buchhandel, Bibliothekswesen, num. 1—3639.

Prostant apud Redactorem:

Ranke, E. R., Carmina academica. Cum effig. Marb. 1866 1.35 M.
—, Horae lyricae. Cum effig. Vindob. 1874 1.60 „
Ulrich, F., Carmina academica. Dresd. 1894 1.10 „
—, Carmina varia. Dresd. 1895 1.10 „
Fischer, Poetar. aliquot german. carm. Stuttg. 1826 1.60 „

Kloss, W., Lyra germanica-latina. St. Louis 1904 2.10 M.
(In omnibus his libris textus vernaculi appositi sunt)
Hasper, L. G., Lessingi Laocoon lat. Gueterslohae 1879 1 60 „
Kürschners Fünfsprachen-Lexikon. 2. Aufl. Berlin 4.— „
(Omnia vocabula germanice, britannice, francogallie, italice, latine reddita. In recentissima libri editione hispanica quoque interpretatio adiecta est. Quam qui non desideret, commodam hic habet occasionem operis propter multas novarum rerum versiones utilissimi minuto sibi pretio comparandi)
Studien und Mitteilungen aus dem Benediktiner- und dem Cistercienser-Orden. Herausg. Dr. M. Kinter. Ann. 1906, 1907, 1908, 1909.
Singula volumina, elegantissime compacta 2.25 „
Menge, H., Lateinisch-Deutsches Schulwörterbuch mit besonderer Berücksichtigung der Etymologie. Berlin 1907. 8.50 „

His pretiis expensae tabellariae includuntur. Pecunia signis tabellariis in literas impositis ipso cum mandato persolvi potest. Mandata ad me ipsum diriguntor.
Lommatius

Responsorium

L. C.: Nihil est, quod gratias agas pro opusculi tui in Scriptore Latino publicatione. Ego potius me tibi obnoxium pto, quod facultatem mihi dedisti amicos nostros tam iucunda lectione delectandi. Numeros desideratos statim post acceptam chartulam ad te transmisi.

F. F.: Cum nullius qui in urbe vestra esset, lectoris nomen in indice meo invenissem, ipse, quomodo res se haberet, volebam temptare. Nam quamquam, ne defecisses a nobis, minime metuebam, tamen — vide quantum tribuam iudicio tuo — te, continuato quid sentias de commentario, scripturum mihi esse sperabam. Qua in re me non errasse ex gratissima tua literula gavisus cognovi.

B. B.: Tertia solutio non respondet aenigmati.

H. L.: Frustra adhuc exspectamus discipulorum praemiis ornatorum versiones latinas . Huius enim generis rebus cum lectores nostri mirifice delectentur, talia te promisisse valde gaudebam.

C. C.: Tu iam dudum nihil ad me das literarum. Quid sit causae, cur irascaris, nescio, miror tamen, quod, cum alios scientia tua latina adiuves, nos quibus oblectes rebus, non vides. Legi nuper in quadam tua de latine docendi ratione te in manibus habere libellum similem. Qua de re si pauca nobis quoque scripseris, maximas tibi grates habebo.

Ignoto: Schilleri de campana carmen latine verterunt — temporum ordine servato —: 1) Röller 2) Füglistaller 3) Heine 4) J. D. Fuss 5) Niethammer 6) B. G. Fischer 7) V. A. Svoboda 8) Diepenbroick-Grüter.

G. H.: Mirum quantum me tibi obligaveris, si editori illius commentarii, in quo superiore anno de Scriptore censuram fecisti, suaseris, ut, quemadmodum alii faciunt, singulorum nostrorum numerorum summaria publicet. Credo enim illum hoc facturum esse, si tu ipse ab eo petiveris, quod nobis magno fore usui consentaneum est.

E Circulo Lectorum

Matrimonium contractum

nuntiant

Hermannus Weller, philosophiae doctor Ehingensis,

et

Anna Weller, Fessleria gente nata, Sorethana

Aenigmata

composuit

Hoogvliet Hagensis.

1

Aëris est summum, tamen in terra latet ima,
Oceani medium est: mundus pontusque polusque
Nusquam habet illud idem — Dices ubi solveris: A! A!

2

Pars mea prima vocat: »Specta, ecce, vide, hoc age sodes!«
Altera dicit »Age exsistas, fias maneasque!«;
Totum sum telum nitido mucrone timendum.

3

Divina! . . . Sum sacra Diis divinaque porto;
Vertas me! . . . Sum sacra Diis divinaque porto.

Ex iis, qui recte solverint haec aenigmata, unus sortitus gratis accipiet librum:

G. Ferrero, Die Dichter Roms.
Mit Bildnis Ferreros und Nachwort von W. Lohmeyer. Stuttgart 1912.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), *pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,* Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., *Baustrasse 10.*

Nomina et domicilia

eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — H. Bigot, Prof. Instit. Carthag., Tunis — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislau — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. Th. Elsaesser, Maredsous (Belg.) — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Friedelshausen — Dr. J. M. Hoogvliet, Doc. priv., Haag — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul (Minn.) — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. L. Laurand, Canterbury — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila (It.) — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — P. Recanatesi, Prof., Osimo (It.) — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach (Bay.) — J. Tasset, Tonnerre — Dr. H. Weller, Ehingen a. D. — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Priores commentarii huius anni

praeter primum et secundum venales prostant

apud redactorem

his pretiis:

III	5 M	V	4 M
IV (18 num.)	6 „	VI	4 „

VII . . . . 2.50 M

Pauca cum supersint exemplaria, nemo mandare illos cunctetur!

Typographus: Carolus Wichert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus IX: Numerus VII

— Procurant negotia —

In Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
In Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
In Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
In Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. IX Francofurti a. M., Mense Februario MCMXIII Num. VII

UNDARUM MELOS

Carmen Anglicum „The Song of the Surf", cuius poeta Adam Lindsay Gordon est, Latine vertit septenariis trochaicis

P. H. Damsté Ultraiectinus.

Manni Nereos candentes, fusca voce et horrida
Qui durum celsumque litoris insilitis aggerem,
Non quisquam modos feroces explicare istos potest,
Cum vel barbarorum linguis docti non frustra vacent?
Assiduum maestumque nostras aures impellit melos,
Litteris quod tortuosis scriptum est nec cuiquam patet.
Dum consurgitis tumentes dumque flectitis gradum
Quid narretis edocete, cantus iste quid strepat.

Nunc adestis — hirtae strident spumis aeternis iubae;
Nunc abitis — Iris ridens vestris e lacrimis nitet.
Fertne cantus iste laetus imperiosa iubila
An resarciendis numquam flebilis ingemit malis?
Quod sedile vacat patris, quem liberi frustra vocant?
Nupta quod stupet ad caminum tristis, sola, pallida?
Fervidus aestus quod voragine omnia deglutit sua?
Quod quidquid sorbetis fauces vobis usque urit sitis?

Haud procul hinc in arenis quondam siccis iacuit litoris,
Vultu fluctibus contuso nullum iam quaerens polum.
Vestrae cum praeruptus aquae mons eius obruit caput,
Ore et pectore dum repleto cum pedibus torpent manus
Et scopulis illisum rursus indomita hauriunt freta,
An natator ille, mundi in oris alterius morans
Inque aeternitatis limine iuxta leti marginem,
Tum forte istos intellexit subito fatales modos?

"Noli, mortalis, rogare, fluctus quod rogitas vagos;
Stulte, quid stulte nos temptas? Servi miseri nos sumus.
Acrior nos vis impellit — sorti parendum est datae.
Qui nos cogit, et nos curvat Ille ad arbitrium Suum.
Undas an putas furentes Eius iussa parum sequi?
Parvi scilicet illud nostra refert nec quicquam tua.
Ergo haud frustra murmurantes officium relinquimus:
Usque humiles laboramus nos laas orbis per plagas."

De Ricardo, Anglorum Rege

**Ex Friderici de Raumer
Historia Europae in Latinum convertit
Christianus Wurm*)**

Secundo bello sacro anno millesimo centesimo nonagesimo secundo cum Saladinus Ioppam obsideret, praesidium urbem tanta virtute tantaque pertinacia defendit, ut ipsi hostes eam summo opere admirantes laudarent. Postremo cum jam hostium multitudinem sustinere non possent, urbe relicta in arcem sitam in monte juxta oram maritimam concesserunt. Ibi avidissime exspectabant auxilium, sed ea spes destituta est; nam Ricardus, Britannorum rex, qui Accone cum exercitu naves conscenderat, ventis adversis tenebatur; Iohannitae autem et templarii caeterique peregrinatores, qui terra Ioppam proficiscebantur, Saladini copiis prohibebantur. Magis etiam auctus est metus oppidanorum, cum fama esset perlata, Turcarum imperatorem, ut ulcisceretur nefariam illam crudelitatem, quam Ricardus Accone exercuerat, omnes Christianos captivos interfecturum esse. Sed tantum abfuit, ut Saladinus facinus illud punire cogitaret, ut illis incolumitatem polliceretur eademque qua Hierosolyma expugnata usus erat clementia se praeberet, dummodo si non ante diem certum auxilium advenisset, arcem traderent pretiumque redemptionis, quod constituisset, penderent. Patriarcha multique nobiles Ricardo rege caeterisque sociis confisi obsides se dederunt, deditionis pignus futurae.

*) Progr. Gymnas. Curiensis 1835

Itaque cum dies ille constitutus, qui dies erat ipsis Calendis Sextilibus anno millesimo centesimo nonagesimo secundo illuxisset cumque nec terra nec mari apparuisset auxilium, pecuniae quod convenerat pendere deditionemque facere oppidani coeperunt. Saladinus summam adhibuit diligentiam, ut in omnibus, quae pollicitus erat, fides constaret sua; sed eam ipsam ob causam aliter ac sperabat res cecidit. Nam cum referta esset Ioppa oppidum Turcarum exsultantium victoriae licentia, timebat Saladinus id quod fieri solet in urbibus captis, ne, si Christiani ex arce deducerentur, milites non possent contineri, quin hostes diriperent ac violarent. Et Ezzedin Siordicus princeps Turcicus quanquam milites virgis etiam repellere atque avertere conabatur, tamen si qua via videbatur patere, inconditi praedaeque avidi alia ex parte instabant. Cum maxime id ageretur, Bohadinus, qui res gestas scripsit Saladini, ad Siordicum advolavit eumque certiorem fecit, ut quam posset maxime oppidanos ex arce deducere properaret; magnam enim classem apparuisse, quae Christianis contra se ferret auxilium. Itaque confestim oppidani quinquaginta unus cum pueris atque mulieribus, cum equis caeterisque bonis, quae moveri poterant, deducebantur.

Christiani autem ubi classem illam adventantem conspexerunt, deditionem facere recusarunt atque ultro in Turcas impetum fecerunt, idque prospere primo succedebat; sed postquam hostis multitudine abundans eorum impetum repulit, in majores etiam angustias sunt adducti. Nondum enim

aderat subsidium, quod avidissime exspectabant, quia Ricardus arcis situm ignorans non audebat classem appellere, cum Turcae ingenti multitudine littus occupassent. In hoc tempore sacerdos quidam pro salute omnium corpus haud dubio periculo objecit; hic ex altissima turri summa audacia desiluit cumque solum esset molle et arenosum salvus ad mare pervenit regemque certiorem fecit, quanto res esset in discrimine. Ricardus nullam moram interponendam esse existimans primus e navi desiluit et in terram pervenit. Hic primo atrocissimum utrimque certamen est editum; pavor deinde ingens incidit Turcis, qui majores copias in insidiis collocatas esse suspicabantur; praedaque omni relicta fugam capessiverunt. Itaque Ricardus nullo jam resistente urbem occupavit militesque in castra duxit, quae Turcae ante habuerant.

Hunc successum opinione faciliorem vehementer admirans Ricardus illico Turcarum legatos (nondum enim abscesserant) vocavit ac nimis copiarum suarum exiguitatem detegens: Cur, inquit, Saladinus summus Orientis princeps, qui id, quod pluribus mensibus aegre mihi videbar posse conficere ut Joppam expugnarem, paucis perfecit diebus, haec castra reliquit, simulatque cum exercitu accessi? Nam mehercle nulla re satis eram paratus eaque quam habui manum socium navalium rei bellicae imperitorum vix audebam proelio decertare. Nuntiate Saladino, ut pacem mecum faciat bellumque componat, quod ni fecerit, et meae et illius provinciae plus etiam accipient incommodi. Si Joppa et Ascalone decesserit, satis habebimus atque ultro vasallorum officia praestabimus. Sed Saladinus unam tantum urbem Joppam cessurum se dixit adjiciens facile esse, cum Ricardus ex Asia excessisset, id quod brevi speraret eum facturum, terram universam recuperare; neque se ulla re ad has conditiones tam aequas adduci, nisi certaminum, quibus mortalium vita infestaretur, fastidio, quod cum senectute quotidie augeretur.

Hac actione cum Turcae cognovissent exiguitatem Christianorum, a quibus victi fusique turpiter essent, majoresque copias a Caesarea proficisci, Saladinus priusquam caeterae copiae adventassent et cum Ricardo se conjunxissent, proelium cum eo committere statuit, nec dimittere egregiam rei gerendae occasionem, quam dabat Ricardus, cum satis incuriose cum parva manu sub urbem consedisset. Itaque eodem die vesperi Saladinus exercitum eduxit, ut Christianos inopinantes opprimeret. Sub ortum lucis cum Turcarum agmen jam non longe a castris Christianorum abesset, Genuensis quidam, qui procul conspexerat galeas fulgentes, ad arma excitavit alios. Miles quidam in tabernaculum regium accurrit ac clamitans: certa, inquit, rex, adest pernicies. Hunc iratus Ricardus se sua manu interfecturum esse minatus est, nisi taceret. Vixdum autem loricam satis aptaverat caeterique se armaverant, cum aderant Turcae haud dubia spe, priusquam concurrerent acies, fore uti exiguus Christianorum numerus aut dederet se aut fuga salutem peteret. At tanta erat regis audacia, ut ingenti hostium multitudini cum parva manu resistere constitueret; nam de numero militum non convenit inter auctores, qui plurimum septendecim equites, mille milites, qui minimum equites novem, trecentos milites fuisse scribunt. Aciem autem ad hunc modum instruxit: pedites subsidere et projectis ante se scutis hostium impetum hastis excipere iussit; inter binos ita protectos sagittarios locavit, post hos alios, qui sagittariis tela praeparata ministrarent. Hanc phalangem cum sexies Turcae adorirentur, sexies rejecti sunt.

Inde cum Saladinus, qui omnia obibat militesque adhortabatur, vociferaretur: ubinam, rogitans, sunt ii, qui regem Ricardum captum mihi volebant adducere? quidam ex militibus: imperator, inquit, Ricardus rex plus habet virium, quam natura fert humana nec quisquam omnium mortalium ejus impetum potest sustinere. Admiratus hanc tantam tamque eximiam virtutem frater Saladini, Adel, dum atrociter utrimque pugnabatur,

Ricardo equum specie eximia, quo illi opus esse animadverterat, dono misit: quem equum quum satelles quidam regius conscendisset, nec frenis parens nec calcaribus citato cursu Turcorum aciem repetiit, ut dolum aliquem subesse Christiani suspicarentur; quae tamen omnis suspicio est sublata cum satelles ille esset reductus additusque equus etiam praestantior illo altero. Caeterum ea res ne minimam quidem proelio moram attulit. Ipse Ricardus comminus pugnavit tanta contentione, ut cum jam dextra saucia esset et attrita gladio, majori etiam audacia evectus extra aciem equo centurioni cuidam Turcico uno icto caput, humerum dextrum brachiumque abscideret. Hoc facinore tantum pavoris hostibus incussit, ut omnes undique cederent satisque haberent eminus tela in eum conjicere, quibus leviter tantum vulnerabatur. Itaque Saladinus ubi perterritos suos et perculsos pavore animadvertit, ne fuga effusa dissiparentur, recipere se iussit. Hac pugna magis etiam quam omnibus superioribus illustratum est nomen Ricardi leonino, ut praedicabant, animo praediti, ita, ut etiam postero tempore matres Turcicae terrerent liberos flentes Ricardum regem minitantes instare equitesque equos consternatos interrogarent num Ricardum regem viderent?

De »TEMPLO AMICITIÆ« Halberstadiensi

Prope Melibocum, montem celeberrimum, cui ab incolis »patri« cognomen datur, Halberstadium, oppidum a Carolo Magno conditum, situm est. Ille rex etiam Ecclesiam Cathedralem St. Stephano consecratam fundavit, cuius secretarius canonicusque saeculo duodevicesimo exeunte Gleim erat. Dignus autem est poeta »carminum militarium«, qui ab omnibus veterum studiorum amantibus summis honoribus colatur, cum gymnasio Stephaneo Halberstadiensi dono dederit magnas pecunias, quibus poetas doctosque futuros instrui voluit. Sed cum musae non multis faveant poetaeque defuerint, excellentissimi eorum, qui summum ordinem gymnasii frequentant, discipuli ex eodem legato separatim ab eximio magistro litteris Graecis imbuuntur. Habitabat vir de poetis illorum temporum et de rebus antiquis optime meritus, qui »Anacreon Germanorum« appellabatur, in domo foro, quod »Domplatz« vocatur, adiacente, quae quamvis pauper nobilissimos ingenii principes, ut Goethe, Herder, Wieland, aliosque, ut I. H. Voss et Seume, Klamer-Schmidt et Lichtwer Halberstadienses hospitio accepit. Quorum multorum picturas amicorum Gleim summo cum amore in domum obsoletam coegit conclaviaque, quorum parietes eis ornaverat, »TEMPLUM AMICITIAE« consecravit. Pretiosissimus autem thesaurus templi est Lessingi imago, qua meliorem artis peritissimi non esse censuerunt, quam iam Goethe cognoverat, qui anno millesimo octingentesimo quinto possessore domus mortuo visendi causa Halberstadium venerat. Pictura ita ei placuit, ut eam mutuaretur et secum Vimariam auferret neque prius heredibus redderet, quam se eum huius rei reum postulaturos esse minati essent. Qua de re et de »TEMPLO AMICITIAE« plura comperiri potest ex libello a filio custodis domus, Carolo Becker, philosophiae doctore, diligentissime conscripto, qui inscribitur: »Der Freundschaftstempel im Gleimhause zu Halberstadt« et qui minimo unius marcae pretio emitur. In Hercyniam silvam pulcherrimam profecturi Halberstadium deflectant; nam illud oppidum vetustissimum non solum »TEMPUM AMICITIAE«, sed etiam alia multa ornamenta, et naturae et artis et historiae, habet, ut Ecclesiam illam Cathedralem sitam in tali campo, quali Iulius Wolf Guilelmusque Raabe summo gaudio affecti sunt.

Lucianus Mueller

Responsorium

M. B.: Librum, cui titulus: Emilia Galotti. Progymnasmatis loco latine reddita et publice acta moderante J. H. Steffens (Cellis 1778), venalem nuper inveni apud antiquarium F. W. Haschke Lipsiensem. Pretium est 10 *M*.

Pii PP. X De Opificum Consociationibus Literae Encyclicae

Dilecto Filio Nostro
Georgio S. R. E. Presb. Cardinali Kopp
Episcopo Wratislaviensi
Venerabilibus Fratribus
Archiepiscopis et Episcopis ceteris
Germaniae
PIUS PP. X.

Dilecte Fili noster & Venerabiles Fratres salutem et apostolicam benedictionem.

Singulari quadam caritate benevolentiae erga Germaniae catholicos, qui, huic Apostolicae Sedi summa fide atque obsequio devincti, generose ac fortiter contendere pro Ecclesia consueverunt, impulsi sumus, Venerabiles Fratres, omne studium curamque convertere ad eam excutiendam controversiam, quae inter eos est, de consociationibus opificum: de qua quidem controversia iam pluries Nos proximis annis cum plerique vestrum tum prudentes et graves viri utriusque partis edocuerant.

Atque eo studiosius incubuimus ad rem, quia pro Apostolici officii conscientia intelligimus sacrosanctum Nostrum esse munus eniti et efficere, ut doctrinam catholicam hi Nobis dilecti filii sinceram et integram servent, nec ullo pacto sinere, ut ipsa eorum Fides periclitetur.

Nisi enim mature excitentur ad vigilandum, patet periculum eis esse, ne paullatim et quasi imprudenter in vago quodam nec definito genere christianae religionis acquiescant, quae *interconfessionalis* dici solet, et cum inani communitatis christianae commendatione diffunditur, cum tamen manifesto nihil ea sit praedicationi Jesu Christi magis contrarium.

Accedit quod, cum maxime Nobis in optatis sit catholicorum fovere et firmare concordiam, amoveri quaslibet volumus causas dissensionum, quae, bonorum vires distrahendo, non possunt, nisi adversariis Religionis, prodesse: quin etiam cupimus optamusque, ut cum ipsis civibus a professione catholica alienis nostri eam pacem colant, sine qua nec disciplina societatis humanae nec prosperitas civitatis queat consistere.

Quamvis autem, ut diximus, statum huius causae haberemus cognitum, tamen placuit, antequam eam diiudicaremus, uniuscuiusque vestrum, Venerabiles Fratres, exquirere sententiam: vosque rogantibus Nobis ea quidem diligentia ac sollicitudine singuli respondistis, quae gravitati quaestionis erat consentanea.

Itaque primo loco edicimus catholicorum omnium officium esse et quidem in consuetudine vitae tum privata tum communi et publica sancte inviolateque servandum, tenere firmiter profiterique non timide christianae veritatis principia, Ecclesiae Catholicae magisterio tradita, ea praesertim quae Decessor Noster sapientissime in Encyclicis Litteris *Rerum Novarum* exposuit; quaeque maxime et Episcopos Borussiae, qui anno MCM Fuldam convenerant, in suis consultis secutos esse scimus, et vosmet ipsos, rescribentes Nobis quid de hac quaestione sentiretis, summatim complexos esse videmus.

Videlicet quidquid homo christianus agat, etiam in ordine rerum terrenarum, non ei licere bona negligere quae sunt supra naturam, immo oportere, ad summum bonum, tamquam ad ultimum finem, ex christianae sapientiae praescriptis, omnia dirigat: omnes autem actiones eius, quatenus bonae aut malae sunt in genere morum, id est cum iure naturali et divino congruunt aut discrepant, iudico et iurisdictioni Ecclesiae subesse.

Quicumque vel singuli vel consociati christiano glorientur nomine, non eos debere, si officii sui meminerint, inimicitias simultatesque alere inter ordines civium, sed pacem caritatemque mutuam.

Causam socialem controversiasque ei causae subiectas de ratione spatioque operae, de modo salarii, de voluntaria cessatione opificum non mere oeconomicae esse naturae, proptereaque eiusmodi, quae componi, posthabita Ecclesiae auctoritate, possint

„quum contra verissimum sit eam (quaestionem socialem) moralem in primis et religiosam esse, ob eamque rem ex lege morum potissimum et religionis iudicio dirimendam“.*)

Jam, quod ad societates operariorum attinet, quamquam iis propositum est commoda huius vitae comparare sociis, tamen maxime propagandae aptissimaeque omnium ad veram solidamque sociorum utilitatem illae sunt habendae. quae praecipue religionis catholicae fundamento constitutae sunt et Ecclesiam aperte sequuntur ducem: id quod pluries Nosmet ipsi, ut ex diversis gentibus occasio oblata est, declaravimus.

Ex quo illud consequitur, ut consociationes huiusmodi, confessionis, ut aiunt, catholicae, in regionibus catholicorum certe ac praeterea in aliis omnibus, ubicumque per eas variis sociorum necessitatibus consuli posse videatur, institui atque omni ope adiuvari oporteat.

Neque vero — si de iis consociationibus agitur, quae causam religionis et morum directe aut oblique contingant — res foret quae probari ullo modo posset, in iis ipsis regionibus, quas modo memoravimus, fovere et propagare velle consociationes mistas, id est, quae ex catholicis et acatholicis conflentur.

Etenim, ut alia omittamus, in magnis sane periculis ob societates huius generis versantur aut certe versari possunt nostrorum et integritas Fidei et justa obtemperatio legibus praeceptisque Ecclesiae catholicae: quorum quidem periculorum etiam in pluribus e vestris de hac quaestione responsis, Venerabiles Fratres, apertam significationem legimus.

Nos igitur mere catholicas, quotquot sunt in Germania, consociationes opificum perlibenter omni ornamus laude, cupimusque bene evenire quidquid nituntur in commodum multitudinis operariae, laetioraque semper eis optamus incrementa.

Verumtamen, hoc cum dicimus, non negamus fas esse catholicis, ut meliorem opifici fortunam, aequiorem mercedis et laboris conditionem quaerant, aut alia quavis honestae utilitatis causa, communiter cum acatholicis, cautione adhibita, laborare pro communi bono.

Sed eius rei gratia, malumus catholicas societates et acatholicas iungi inter se foedere per illud opportunum inventum, quod *Cartel* dicitur.

Hic autem, Venerabiles Fratres, non pauci a Nobis petitis, ut Syndicatus christianos qui appellantur, uti hodie in vestris dioecesibus constituti sunt, per Nos vobis tolerare liceat, propterea quod et numerum opificum longe maiorem, quam consociationes mere catholicae, complectuntur, et magna, si id non liceret, essent incommoda secutura.

Cui Nos petitioni, respicientes peculiarem rei catholicae rationem in Germania, putamus concedendum, declaramusque tolerari posse et permitti catholicis, ut eas quoque societates mistas, quae in vestris sunt dioecesibus, participent, quoad ex novis rerum adiunctis non desinat huiusmodi tolerantia aut opportuna esse aut iusta; ita tamen, si cautiones adhibeantur idoneae ad declinanda pericula, quae in eius generis consociationibus inesse diximus.

Quarum cautionum haec praecipua sunt capita. — Primum omninum, curandum est, ut qui opifices catholici horum Syndicatuum participes sunt, iidem catholicis operariorum societatibus, quae *Arbeitervereine* appellatione notantur, sint adscripti.

Quod si ob hanc causam debeant alicuius rei, praecipue pecuniae, iacturam facere, pro certo habemus, eos, ut sunt incolumitatis fidei suae studiosi, non invite facturos.

Etenim feliciter usu venit, ut hae consociationes catholicae, adnitente Clero, cuius ductu vigiliaque gubernantur. plurimum valeant ad sinceritatem fidei, ad integritatem morum tuendam in sociis atque ad alendos eorum religiosos spiritus multiplici exercitatione pietatis.

Quare qui consociationibus hisce moderantur, non est dubium, quin

*) Epist. Encycl. „Graves de communi“

gnari temporum, velint, praesertim de iustitiae et caritatis officiis, ea praecepta et praescripta tradere operariis, quae his necessarium aut utile sit probe novisse, ut in Syndicatibus recte possint secundum doctrinae catholicae principia versari.

Praeterea, Syndicatus iidem — ut sint tales, quibus catholici dare nomen possint — necesse est ab omni se contineant vel ratione vel re, quae cum doctrinis mandatisque Ecclesiae legitimaeve potestatis sacrae non conveniat: itemque ne quid minus probandum ex hoc capite aut scripta aut dicta aut facta eorum praebeant.

Quare sacrorum Antistites officii ducant sanctissimi, observare sedulo, quem ad modum hae societates se gerant, et vigilare, ne catholici homines ex earum communione aliquid detrimenti capiant.

Ipsi autem catholici Syndicatibus adscripti ne umquam siverint, ut Syndicatus, etiam qua tales, in curandis terrenis sociorum rebus ea profiteantur aut faciant, quae quocumque modo contraria sint praeceptis, supremo Ecclesiae magisterio traditis, iisque praesertim, quae supra revocavimus.

Et hanc ob causam quoties de rebus attingentibus mores, id est de iustitia aut caritate, quaestiones exsistent, attentissime vigilabunt Episcopi, ne fideles catholicam morum disciplinam negligant, neve ab ea transversum unguem discedant.

Equidem certum habemus, Venerabiles Fratres, fore ut quae hic a Nobis praescripta sunt, ea vos religiose inviolateque servanda curetis, Nosque diligenter et assidue de re tanti momenti certiores faciatis.

Quoniam vero hanc Nobis assumpsimus causam, eiusque iudicium, consultis Episcopis, Nostrum debet esse, praecipimus bonis quotcumque numerantur in catholicis, ut eadem de re iam nunc omni inter se disputatione abstineant; qui quidem, iuvat confidere futurum, ut, fraternae servientes caritati, pleneque obsequentes auctoritati Nostrae suorumque Pastorum, integre et ex animo efficiant quae iubemus.

Quod si qua inter eos rerum difficultas oriatur, quo modo dissolvenda ea sit, habent in promptu: adeant Episcopos suos consultum, hique rem ad Apostolicam hanc Sedem deferent, a qua diiudicabitur.

Quod reliquum est — et ex iis, quae diximus, facile colligitur — quemadmodum ex una parte nemini fas esset accusare de suspecta Fide eoque impugnare nomine qui, constantes in defendendis doctrinis iuribusque Ecclesiae, tamen recto consilio volunt de Syndicatibus mistis esse, et sunt, ubi pro locorum rationibus potestati sacrae visum est Syndicatibus huiusmodi, certis adhibitis cautionibus, esse permittere: item, altera ex parte valde improbandum foret inimice insectari consociationes mere catholicas — quod genus contra omni est ope adiuvandum ac provehendum — atque adhiberi velle et quasi imponere *interconfessionale,* quod aiunt, genus, idque per speciem quoque exigendi ad unam eamdemque formam omnes, quotquot sunt in singulis dioecesibus, catholicorum societates.

Interea, dum pro Germania catholica, ut magnos habeat in re et religiosa et civili progressus, vota facimus, ea ut feliciter eveniant, singularem Dei omnipotentis opem et Virginis Matris Dei, quae ipsa Regina pacis est, patrocinium genti dilectae imploramus: atque auspicem divinorum munerum et eamdem praecipuae benevolentiae Nostrae testem, Apostolicam Benedictionem vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, vestroque Clero et populo amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIV mensis Septembris MCMXII, Pontificatus Nostri anno decimo.

PIUS PP. X.

Narratiunculae

Quid ancilla nuntiarit

Matrona quaedam, cum advenisset, ubi otio aestivo esset fruitura, non sine dolore horologium se domi reliquisse animadvertit. Quod in tapete, quo solum cenaculi stratum erat,

decidisse opinans sine ulla mora per filum ancillae mandavit, ut, si quid ibi repperisset, statim nuntiaret. Nec diu haec sciscitantis exspectationem est morata. Scripsit enim:

„Petis, domina, ut, quid in cenaculi nostri tapeto repppererim, dicam. Haec sunt, quae hodie mane inveni: tres cortices, qualibus lagoenae vino Campano repletae clauduntur, praeterea septendecim voluminum fumificorum reliquias, sex et triginta ignifera exusta et socculum holosericum rosei coloris.“ L.

Qui fuit in furno, socium sibi quaerit in illo.

Pater cuiusdam iuvenis literarum minus quam voluptatum universitati studentis, cum filius scripsisset se ferias domi apud parentes degere velle, comitante uxoris fratre, qui ipse olim civis academicus fuerat ideoque hilarum illum Musarum studiosum valde diligebat, statuto die ad viae ferratae stationem contendit, quo eodem, quo currus in porticum invehebantur, tempore advenerunt. At quanta fuit eorum admiratio, cum seriem curruum praetereuntes hominesque, qui descenderant, viritim recensentes iuvenem exspectatum non viderunt! Jamque patre illum longa vectura fatigatum obdormivisse putante singulas vectorum cellas inspicere coeperunt, cum avunculus se facile, ubi esset filius, inquirere posse dixit. Nec mora brachiis in latera iactatis magna voce, ut pueri solent cauponii, clamat: Cerevisia! Recens e dolio cerevisia!! — Tum una ex cellarum fenestris ingenti cum strepitu demissa: Ad me fer, quidam vociferatur, cerevisiam! Siti pol pereo!! Qui respondit avunculo, studiosus erat. L.

Julius Caesar — miles tiro Austriacus

Olumucii, cum novissimi haberentur delectus, viris ad conscribendos milites destinatis cum alii tum iuvenis Austriacus stitit, cui nomen — extra iocum — erat Julius Caesar. Is qua erat corporis integritate, cum probatus esset, misere coepit flere. — Rebus tam male peractis Caesar domum profectus est. F. F.

E parvis vel maxima saepe gignuntur.*)

Homo gravedine dudum laborans, cum per viam cujusdam urbis Normanniae iter haberet, tanto strepitu sternuisse dicitur, ut obvius canis valde exterritus latrare vehementer coeperit. Asinus tum forte praeteribat, sequente agasone. Repetitis latratibus commotum animal aures primo subrigere, dein se conjicere in pedes. Fugientem molossus insequitur; insequitur molossum asinarius, non minori voce quam cursu. Asinus furens, quippe cui canis instaret acerrime, discursat ultro citroque per forum, et fictilia vasa conterit, quae proposita venum erant. Inde lites: venditor in jus vocat asinarium; asinarius herum molossi; hic hominem intempestive sternuentem; is denique medicum suae artis omnino rudem. Accingit se operi Themidis garrula cohors; clamitant causidici; fervet omne forum, quod homo gravedine affectus sternuerit, et *adhuc sub judice lis est.*

Captivus captor

Johannes et Christophorus, ambo milites, nocte quadam caliginosissima, sociis amissis, aliquo inter se discreti intervallo, incertum iter tenebant. Repente Johannes clamitat: „Christophore, Christophore, unum ex hostibus

*) Prodeunt quotannis in Francogallia mense Julio libelli, qui „Devoirs de Vacances“ inscribuntur, in quibus Mufbngus, Bonnetus, Goudierus aliique quidam professores superiorum quae vocantur scholarum discipulis pensa offerunt inter ferias absolvenda. Hic praeter mathematica, historica, geographica exercitia locos quoque invenias ad britannice, germanice, frangogallice vertendum idoneos, in his illas, quas supra posui, narrationes lepidissimas. Sumptae sunt, ut nota indicat, ex Herme Latino, ephemeride olim a Barbier Vernars, qui regiae bibliothecae Parisiensi erat praepositus, edita. Eximium hoc opus, in quo plurima sunt et optima excerpta e veteribus et recentioribus scriptoribus, reperire, praesertim integrum, nunc est difficillimum. Cf. etiam indicem librorum censurae causa missorum et „Varia“ hodierni numeri.

cepi." — „O te beatum, inquit Johannes; duc ad me captivum." — „Nae ego ducerem si duci vellet." — „Atqui sine hominem, et veni." — „At . . at . . , captivus non vult me dimittere."

Miles cibi avidissimus

Cum plurima olim in coetu militari edacitatis stupendae prodigia commemorarentur, repente Germanus quidam centurio, ibi forte sedens: „Quid hic, inquit, mirum, quaeso? Unius ex militibus meis ea est aviditas ut, cenam per eamdem, integrum deglutire possit vitulum." Consecutus est risus; at centurio, facta sponsione, accersit illico militem compellans: „O bone, ait, potesne vitulum totum comedere? Te posse affirmavi: quid censes? Nempe agitur de aureis nummis quinquaginta." — „Subdifficile quidem istud judico, retulit miles; sed quoniam sponsio est facta, non est ad tergiversandum locus: nec per me stabit quominus venter cum voluntate consentiat." Ad coquum artis peritia insignem protinus se contulit centurio, curavitque ut, condito sexcentis modis vitulo, pransoris fastidium varia cena vinceretur.

Constituta die, miles adest. Fercula longo ordine famuli apponunt, vitulinas aures scilicet, linguam, cerebrum, pedes, armos, costas, jecur, glandulas, pectus, lumbos, tendines, renos, caudam, quidquid demum carnis vitulinae jurulentum, assum, frixumve solet edi. At iterum miles rem strenue agens non in ista ac infinita prope ciborum varietate sibi absorbendum animal agnoverat. Illud nempe cum in integro appositum iri sibi fingeret, his omnibus utebatur veluti cupediis quibusdam ad exitandam famem maxime idoneis. Jam vitulum ferme totum inscius ac singillatim voraverat, cum ad centurionem conversus: "Expedit ut vitulum afferri quamprimum jubeas, inquit; talibus enim dum vescor, etsi leviusculis dapibus, timeo ne fames tandem attenuata solidiori cibo sufficere nequeat." Quod audiens adversarius, sponsione se victum fatetur et pecuniam solvit.

Adversarius maxime omnium timendus

Juvenem nuper auctoratum admonuere sui commilitones ut, honestandae virtutis gratia, militem quendam, virum spectatae fortitudinis, et armis inclitum, ad singulare certamen cito provocaret. „Ni feceris, aiunt, in omnium contemptionem certe venturus es." — „Esto", respondit juvenis; nec plura locutus, adiit adversarium quem in taberna cum nonnullis pergraecancantem invenit, et vocato seorsim dixit: „Te virum totius exercitus pugnacissimum commilitones dicunt, et tecum mihi decertandum esse arbitrantur." — „Est quod gratias iis persolvam; sed tibi gravem adversarium quaerenti melius favet fortuna." — „Qui sic?" — „Istum contemplare qui tabernam ingreditur: homo est legionis sane deterrimus. Quoties armatum ferro vidi egomet excutientem femora lacertosve! Quotquot incidunt in manus, eos solet dare neci. Hunc igitur potissime provocandum judico." — Nec mora, ad hominem juvenis accedit et: „Quandoquidem, ait, non tibi quisquam se impune tulit obviam, tecum hodie rem habere constitui." — „Irrides . . ." — „Minime, nonne tu mactator ille es . . . ?" — „Sum ego chirurgus."

Equus ostrearum amans

Viator quidam, nocte frigidissima diversorium ingressus, cum ad focum accedere, utpote a plurimis jam obsessum, non posset, vocato stabulario: „Heus tu, clara voce ait, centum ostreas equo meo statim appone." — „Equone ostreas? exclamat servulus. — „Ostreas quidem, et quam properiter equo ministra", inquit noster subirato vultu. — „Testasne simul, an pulpam tantum?" — „Testas, inquam, simpliciter; ipse objectas facillime aperiet, tali cibo dudum assuetus." — Corbi immissis ostreis stabularius, rei novitate stupens, ad equile concessit; neque ullus fuit adstantium qui miraculi spectatorem praebere se dubitaret. Hoc commento veterator noster, igne deserto potitus, angulum sub ipso lare delegit sibi tepidissimum. Brevi

redux intacta cum corbe stabularius, narrat equum ostreis ne os quidem admovisse. — „Mihi ergo ostreas, ait viator, verum testis hiantibus appones; equo meo dabis hordeum.“

Iam desine . . .!

Narrabat Vasco quam multos homines, sive provocatus ad singulare certamen, sive ipse lacessens, neci dedisset; ac tandem: „Ne vos, inquit, prope infinita recensione diutius detineam, heri cum tribus viris rem habui. Primum quidem, post brevissimam pugnam, ense transfossum dejeci; alter vero, sed paulo citius, eidem fato occubuit; tertium ego geminata victoria ferox . . .“ — „Ohe! jam desine, mactator infrenis, interpellavit unus adstantium: si tertius quoque ceciderit, illi me ultorem fore palam spondeo.“ — „O te felicem! reposuit Vasco, quod supervenerunt milites, qui tertium illud certamen diremerunt.“

Eja redibo!

„Ich kehre heim“ carmen Coelestini Gschwari

liberiore imitatione latine reddidit

Saravinus.

„Eja redibo!“
„Patria salve!“
Sic juvenis vox
Alta canit,
Quem procul ardor
Urget amoris
Quemque parens et
Sponsa gemit,
„Jam peregrina
Terra, valeto!
Jpse trahor de-
siderio.“

„Eja redibo!“
Qui pius almam
Hospes adivi
Jerusalem;
Sancta Sionis
Templa valete,
Patria nati
Regna Dei!
Scandere puppes
Ardeo, caram
Meque reportent
In patriam!“

„Eja redibo!“
Navita cantat,
„Divide pontos,
Remigium!
Flate, aquilones,
Tendite vela!
Cedite, nubes
Et scopuli!
Oppida, montes,
Arva videre
Posco paterno
Cum fluvio!“

„Eja redibo!“
Pallida maeret
Sponsa recentes
Ad tumulos.
„Luna, nigresce!
Stella, recede!
Conde coruscas,
Sol, facies!
Vulnere amoris
Corda dehiscunt,
Quando licet te,
Sponse, frui?“

„Eja redibo!“
Ipse recanto,
Si qua procella
Corde furit.
„Concidat orbis
Igne cremandus,
Nil timeo, Pro-
tector adest!
Quando polorum
Regna subibo?
Tuta Supernis
Est requies.“

Ex Epistulario Redactoris

Editori Scriptoris Latini Salutem!

Quaerenti tibi simne novum quoque in annum me professurus lectorem Scriptoris Latini hisce paucis respondeo me de novo mandaturum esse commentarium vestrum. Redactori atque editori magnas novasque res in futurum molientibus laeta precamur pollicemurque nos studiis eorum curisque ad linguae latinae humanitatisque cultum spectantibus numquam esse defuturos.

Dabam A... V... a. d. IV. Kal. Sept. MCMXI. **T... H..., consiliarius a studiis**

Voldemaro Lommatzsch clarissimo et spectatissimo viro Salutem!

Facturusne essem operae pretium, si Scriptorem societatibus philologicis Germaniae commendarem, diu multumque anno ante cogitantem me non fugit, quantopere etiam nunc abhorreat saeculum a studiis nostris: quae ridet volgus, rident cultiores, rident ipsi philologi; frustra mehercle huius academiae professoribus philologiam tradentibus persuadebam talem commentarium in potioribus philologiae subsidiis numerandum esse. Prodeunt iam dissertationes philologicae Germanico sermone conscriptae, quarum numerus in dies crescit...

Atqui nolo te exagitare querelis. Sunt enim qui non omnem humanitatem exuerint, quos adii nec desinam adire. Haud pauci sodales nunc Scriptorem legunt maiore studio; iam spero me effecturum, ut omnes foliis subscribant. Valeas.

A...
Tui addictissimus

P. D.

Abhinc paucissima momenta temporis, dum me cibo meridiano oblecto, juvenis quidam mihi proxime adsidens de suis studiis loquebatur, maximeque de Latinis, quibus octo annos se dederat. Rogavi, num libros Latinos legere sciret sine magno labore. Negavit. »At volo discere linguam Latinam.« »Tu igitur, interfatus sum, debes fieri subnotator Scriptoris Latini.« Tum multa de tuo commentario. Subnotator factus est. Mitte numerum VIII sequentesque ad Cl. N. K. T.

Pretium ego solvam. Aliam praedam sector, eamque nobilem, noctu, interdiu, etiam dum vescor.

Utinam quoque mense S. L. typis mandare posses! Si mihi otium esset, narratiunculis te oblectarem lectoresque. »Quare Melita insula non sit inventa« plurimum me delectavit. Iacobus Tassetius, cur non scribit? desiderio ejus angor.

K.

Varia

Linguae veteres num sint mortuae vocandae

In Herme Latino, qui prodibat Parisiis ab anno 1817 usque ad annum 1817, J. Planche, lycei Bonapartiani tum professor, de quaestione nostra his disseruit verbis:

Ne vos moveat quod de linguis mortuis quotidie jactatur ab imperitis. Aiunt, dictitant linguas graecam et romanam esse mortuas. Si hoc nomine vocarent Phoenicum et Aegyptiorum sermones qui cum illis gentibus consepulti jacent, nemo sane refragaretur; sed quis ferat ab iis mortuas vocari linguas illas, quae Graecorum et Romanorum monumentis et disciplinis traditae, de manu in manum per continuatam eruditorum et intelligentium virorum seriem, ad hanc nostram aetatem pervenerunt; quas tanquam vernaculas semper usurpavit, et etiamnunc usurpat, aut in scriptis aut in colloquiis, haec aeterna quae totum orbem complectitur, doctissimorum virorum respublica? Num id mortuum est, ex quo recentiorum populorum sermones, quidquid sanguinis et succi habent, expresserunt? Num id mortuum, quod omnibus omnium gentium scriptoribus spiritum et animum afflavit? Dedoceantur ergo falsis uti vocibus utriusque linguae calumniatores: sciant illam quam dicunt mortem, esse vitam et immortalitatem.

Num feminis conveniant classica studia

Hac de re ibidem haec scripta legimus a muliere quadam doctissima:

Qui fieri potuit, ut quae virgines dicuntur Musae, virginum laudi infestae crederentur? Ut, quae animorum sunt velut quaedam faces, quibus ad magna et laudabilia omnes similiter feminae virique accendimur, eadem contaminare muliebres animos dicerentur? Sane, dum nobis viri, per malignitatem quamdam arrogantem et stultam, eas opes invident quibus ipsi superbiunt, maledicta invidiae miscuere. Aconita et venena non minus illi fugiunt quam nos fugimus, quas vocant sequiorem sexum; quia quae nobis nocere pestis potest, et illis etiam potest. Si nobis eruditio est pro veneno, ut obtrectant, quomodo illis prodest? nam sibi prodesse non negant. Quomodo eadem peste nutriuntur quae nos enecat? Ex eruditionis fonte nos mala omnia et flagitia hauriemus, illi vero bibent nectareos latices ad immortalem gloriam! Quam eruditam fatentur, pudicam negant! Quasi honesti mores ineptam declarent, neque ulla queat esse virtutis comes nisi stoliditas.

Latinae poesis in Silesia cultus

Die Jovis, pridie kal. Jul. anni 1910, reverend^{mus} dom. Pietschius, decanus atque hospitii emeritorum sacerdotum praefectus, quinquagenaria sacerdotii sacra celebravit, peracta hospitii in templo, quod rev. dom. Scholzius, parochus emeritus, maxima quam poterat cura exornaverat, solemni missa, cui cum frequens populus tum senis memoriam agentis propinqui intererant. Is per sacerdotes, quorum in numero etiam rev. P. Tauerum S. J. videbamus, domo in templum maximo hominum conventu deductus solemne peragebat sacrum administrantibus diaconi munus Titzio, principe capellano, subdiaconi vero Ihmanno capellano, presbyteri assistentis Pischelio, archipresbytero spritualiumque rerum consiliario. Quam solemnitatem dom. Janocha perpulcra cumulabat concentione cantorum scholae, quam eximio studio multaque opera regit. Domum deinde, postquam solemne cantatum est „Te Deum“, reducto felici atque gaudio perfuso domino decano Pietschio rev. dom. Pischelius, cum literas, quibus Eminentissimus Dom. Episcopus Cardinalis gratulatus senem sacerdotem designaverat consiliarium in spiritualibus alteramque reverend^{m} vicarii in spiritualibus generalis epistulam perlegisset, tabulam quandam gratulatoriam sacerdotum tum decanatus cum urbis Nissensis tradidit, qua tabula mirifice depicta atque descripta hoc, quod sequitur, carmen rev. Pischelii continetur:

Est divina manus, qua duce per vias
Rectas progrederis, Presbyter iubilans
Grato corde! Videt Nissa Tui gradum
Ascensus modo tertium.

Annorum iuvenis quum prope sedecim
Joseph castus eras, hic Tibi floruit
Oranti ante aditum prima vocatio
Viventi ordine clerici.

„Quo mittamus” aiunt consiliarii,
Hunc aetate minus quam studio probum
Levitam?” Atque pater rector eum fide
Nissae reddidit ominans.

Cappellani operam muneribus dabas
Cura per quatuor lustra fidelium
Sex annosque graves tum parochi vice
Fungebaris adhuc manens.

Quot Christi genitos Flamine parvulos
Lustrasti atque animas concilians Deo
Rexisti in semita luminis ardua,
Quam perfecti adeunt viri!

Nec non virginibus magnanimis piae
Vitae ductor eras, atque sororibus
In claustro et domibus, quae miseros fovent
E Jesu patientia.

Nostra ecclesia si magna decus novum
Prae se fert, meritum principii est Tui,
Qui pulchrae studiis artis et indole
Pollens feceris exstrui.

Digne altaria sex, dona rosarii
Viventis, Domino sacrificans Deo
Sanctorum variis sub titulis, Tibi
Dicantur prece gratiae!

Te, Joseph, opifex praesidii memor
Laudat hospitio, et emeriti domus
Almae presbyteri iure patrem vocant,
O nutritia providens!

Sit haec villa Tibi florida Nazareth
In valli placida, splendida liliis,
Pax et pura salus tempore Te beent,
Aeternis mora callibus!

Ex actis „Neisser Ztg." exc. F. F.

Textus In Latinum Vertendi Exempla

Francogallice et latine

Paroles épiscopales

S. Gr. Mgr. Chesnelong, archevêque de Sens, étant évêque de Valence, écrivait dans sa lettre pastorale de 1910:

Un évêque a dit de la bonne presse qu'elle est »une mission perpétuelle«, et ce mot définit très exactement l'œuvre du journal, lorsqu'il est franchement et avant tout catholique. Sans doute, le journal n'est pas la chaire. Le publiciste n'y prêche pas, à proprement parler, l'Evangile; mais il s'en inspire, et de même que, de faits très vulgaires — comme la blancheur des lis ou l'éclat d'un flambeau — le divin Maître savait tirer de hauts enseignements, de même le journaliste catholique interprète ou apprécie en fonction de sa foi les événements de chaque jour. Ce n'est point sa tâche d'initier les fidèles aux vérités du symbole; mais, sans que son intention transparaisse à chaque ligne, sans même qu'il s'en doute, et par le seul fait qu'étant chrétien il pense chrétiennement, c'est à la clarté de la révélation qu'il écrit, pour ainsi dire, l'histoire du monde.

Le journaliste fidèle à sa mission est donc, à sa manière, un propagateur de la bonne nouvelle, un apôtre, et nous lui devons, à ce seul titre, un peu de ce respect, de cette sympathie que nous accordons à quiconque porte le message de Jésus.

Mais ce que nous admirons surtout en lui, c'est qu'il est apôtre à la façon des chevaliers: sa plume est une épée qu'il met au service des bonnes causes; son attitude est celle d'un soldat; sa voix sonne comme un appel de clairon et, plus d'une fois, sa vaillance, l'obstination calme avec laquelle il fait face à l'ennemi ont ranimé des courages qui commençaient à défaillir.

Catholiques, notre premier devoir envers la bonne presse est d'estimer

De Scriptoris Diurni Militia*)

Vir egregius Iohannes Chesnelong, archiepiscopus Senonensis, tunc anno 1910 Valentinus quum erat episcopus, haec pastoralibus scribebat litteris suis:

Scripturam bonam quidam dixit episcopus »missionem esse perpetuam«, quo verbo opus planissime definitur ephemeridis ingenue et ante omnia catholicae. Haud profecto sacrum quod esset pulpitum ephemeris. Non inde Evangelium si proprie loquamur, scriptor popularis praedicat, sed spiritum ab illo mutuatur, et quem ad modum vulgatissimis de rebus — ut liliis candidis aut lampadum fulgore — altas divus sciebat Magister ducere doctrinas, sic quotidianos, pro suae fidei ratione, catholicus scriptor diurnus interpretatur vel aestimat eventus. Non eius officium fideles symboli veritatibus initiare; sed singulis licet lineis ipsius non pelluceat intentio, et ne conscius quidem sit huius rei, eo ipso quod christianus christiane cogitat, revelatione scribit illuminatus mundi, ut ita dicam, historias.

Munus ergo suum qui diurnarius observat, nuntii boni suo more propagator et apostolus est, quo nomine ei aliquantum illius debemus observantiae concordiaeque, quam Christi mandatum cuivis tribuimus ferenti.

Sed id in ipso praecipue admiramur, quod militum ritu apostolus est: causas bonas pro gladio stilo suo adiuvat; propugnatoris est status eius; vox quasi lituo canentis classicum, et ipsius non semel virtus atque tranquilla, qua obsistit hostibus, pertinacia animos aliorum recreat labentes.

Homines catholici, primum erga

*) Haec praeter titulum quem affinxi, e Gallico diario La Croix (Parisiis die XIV Augusti 1912) verti J. Tasset, Turnoduri in dioecesi Senonia.

a leur prix les services qu'elle rend. Pie X bénissait naguère les stylographes des journalistes chrétiens: Nous comprenons ce geste et nous sommes heureux de bénir et de féliciter ici, en notre nom comme au nom de tous nos fidèles, les hommes de talent et de foi qui, dans notre diocèse, soutiennent avec courage le bon combat.

scripturam bonam nostrum est officium, pretio suo munera eius aestimare. Diurnariorum Christianorum stilos nuper Pius P.P. X benedicebat: illum Nos gestum intelligimus, et nostro omniumque fidelium nomine eis iuvat ingenio fideque praeditis benedicere atque gratulari, qui certamen bonum fortiter in dioecesi nostra sustinent.

Sententiae

Mole carens currus quanto strepit ille tumultu!
Absque caput sensu plurima verba facit.

Da jucunda mihi, da tristia, diva Voluntas:
Gaudeo, nam patrio munera corde fluunt. (Mörike)

Catalogi antiquarii

F. W. Haschke, Leipzig — Cat. 8: Illustr. Bücher, hauptsächl. d. 17., 18. u. 19. Jahrh., Fremde Literat., Curiosa etc., num. 1—726

E. Bolleter, London — Cat. 8 (1913): Rare and Miscellaneous Books in all Branches of Literature, num. 1—696

Simmel u. Co., Leipzig — Cat. 223: Universa Antiquarum et Litterarum et Rerum Studia III, 1, num. 8971—12956 (Scriptores antiqui 8971—9799) *)

J. Jolowicz, Posen — Cat. 182: Klass. Phil., Bildungswesen, num. 1—2054 (Lat. Schriftst. 466—818, Neulatein. 819—926)

C. E. Rappaport, Roma — Cat. 27: Roma Aeterna (Histoire, Topographie, Architect., Plans, Cartes etc.), num. 1—706, cum imagg.

G. Fock, Leipzig — Cat. 421: Klass. Phil. I, num. 1—3963 (Aut. lat. 2132—3366, Neulat. 3426—3645)

— — — — Cat. 422: Klass. Phil. II, num. 3964—8158 (Sprache, Geschichte, Archäol. etc. nebst Anhang: Ägyptologie)

*) Inter omnes, quibuscum negotia gero, antiquarios hic solus latine in catalogis suis alloquitur doctos. Haec enim ibi scripta legimus:

Viris doctis et bibliothecarum academicarum scholasticarumque administratoribus nec non aliorum institutorum ac societatum antistitibus nos offerimus cum ad omnes libros et quaevis litterarum monumenta ordine certisque temporibus subministranda tum ad maiores bibliothecarum lacunas explendas omnibusque nos desideriis quam aequissimis conditionibus ac diligentissime suffecturos esse promittimus et recipimus.

Catalogi nostri omnibus viris doctis maximeque bibliothecarum praefectis nullo impendio prompti expositique praebentur.

Sententia

Observa orbem rerum in se remeantium: videbis nihil in hoc mundo exstingui, sed vicibus descendere ac surgere. Seneca

Summaria Periodicorum

Akademische Rundschau. Zeitschr. f. d. gesamte Hochschulwes. u. d. akad. Berufsstände. (Herausg. Wilh. Baum und Friedr. Schulze) I, 2 (Nov. 1912): K. Lamprecht, Die Zukunft d. Universität Leipzig — S. Merkle, Vergangenheit u. Gegenwart d. kathol.-theologischen Fakultäten — Zur Reform d. jurist. Studiums (Neukamp, Verhandl. d. 31. Deutsch. Juristentages üb. d. Aus- u. Fortbildung d. Juristen; Hedemann, Eine Umfrage an die jurist. Studentenschaft; F. Behrend, Universitätsreform u. akad. Lernfreiheit) — E. Daenell, Nordamerikan. Universitätspolit. in Südamerika — A. von Holtum, Panamerikan. Studententag in Lima — W. Printz, D. internation. kunsthistor. Kongress — Kuhr, Deutsch-akadem. Olympia 1913 — E. K., Die Ausbild. russischer Professoren in Tübingen u. Berlin — Nachrichten u. Notizen.

The Journal of Education. Jan. 1913: Occasional Notes — Local Authorities — Science Notes — E. O. Lewis, The Elementary Education of the Democracy — Mark P. Mayo, A Year's Training in a Pedagogic Seminary II — Education in Scotland — Jottings — Gift Books — Education in the Periodical Press — Notes on Education by an old Fogey — The History of a Testimonial — Reviews ond minor Notices — Colonial and Foreign Notes — Universities and Schools — Prize Competitions — Training or Experience — C. S. Bremner, King's College for Women — The Department of Home Science and Economics — The

Head Masters' Conference — S. Walton, A Schoolmaster Abroad (German Boys and English Boys) — Books of the Month — Correspondence — Safe Novels.

Libri libellique censurae causa missi:

Emma Biller, Heinz der Lateiner. Eine Schulgeschichte für Knaben bis zu 14 Jahren. Stuttgart, K. Thienemann. 157, m. 6 Bild. v. K. Mühlmeister. 3 *M.*

Devoirs de Vacances: Quatrième A. Par H. Muffang, J. Bonnet, Gasnault et Larget-Piet. Angers, G. Grassin, 1912. 43. 0.60 fr.

— — —: Sixième A. Par H. Muffang, J. Bonnet, A. Goudier. Ibidem. 47. 0.60 fr.

— — — Troisième A. Par H. Muffang, J. Bonnet, Gasnault, Larget-Piet. Ibid. 48. 0.60 fr.

— — — Cinquième A. Par H. Muffang, J. Bonnet, A. Goudier. Ibid. 48. 0.60 fr.

P. Brandt, Lateinische Hausübungen (mit Schlüssel). I: Sexta. Leipzig. Seele u. Co., 1912. VII u. 75.

A. Fetz, Der geographische Arbeitsunterricht in ein- und mehrklassigen Volksschulen und in Mittelschulen. Leipzig. K. F. Koehler, 1913. 122.

P. Lippert, Die alleinseligmachende Kirche (Sonderabdruck aus den „Stimmen aus Maria-Laach"). Herder, Freiburg i. B., 1913. 14.

E. M. Schranka. Buch berühmter Hunde. In Lexikonform bearbeitet. Frankfurt a. M., H. Lüstenöder, 1913. 100.

K. Kuchtner, Vier Bücher an C. Herennius über die Redekunst ins Deutsche übertragen. München, E. Pohl, 1911. 156. 2.40 *M.*

E. Schulze, Die römischen Grenzanlagen in Deutschland und das Limeskastell Saalburg (Gymnasial-Bibliothek: 36). 3., ergänzte u. bericht. Aufl. v. J. Schönemann. Gütersloh, C. Bertelsmann, 1912. VIII u. 128. 26 Abb. u. 4 Kart. 1.80 (2.40) *M.*

H. Rühl, Geheimnisse und Lösungen. Verschiedene Anwendungen der Gedächtniskunst: IV. 1.—4. Taus. Darmstadt, H. Rühl, 1912. 39. 1 *M.*

Censura Librorum

E. Schulze, Die römischen Grenzanlagen in Deutschland und Das Limeskastell Saalburg. (Gymnasialbibliothek: 36) 3. ergänzte und bericht. Auflage von J. Schönemann. VIII u. 128. mit 26 Abbild. und 4 Kart. Gütersloh, C. Bertelsmann, 1912. 1,80 (2.40) *M.*

Quam multis iam historiae amicis hic libellus a viro antiquitatis Romanae peritissimo conscriptus utilitati fuerit et voluptati, satis inde existimo elucere, quod tertium nunc in lucem emittitur. Nam ut archaeologiae tam feliciter his annis progredienti responderetur, multa erant nec parvi tantum momenti mutanda et corrigenda. Huic rei operam dedit auctoris in munere successor, prudenter iis usus, quae defunctus ipse notaverat ad novam editionem locupletandam. Discipuli quarumlibet scholarum, sed eruditi quoque omnis ordinis multa cum delectatione legent haec tam perspicue de limite Romano exposita, quae imaginibus tabulisque efficacissime illustrantur. —m

In superiore numero corrigenda:

Pag.	77^1 l. 3	infra	pro me Deus	lege mi Deus,
„	78^2 l. 7	„	„ accurresit	„ accurrerit,
„	80^1 l. 16	(str. 3)	„ lactabatur	„ laetabatur,
„	80^1 l. 17	„	„ partor:	„ pastor!
„	83^2 l. 24		„ Italia	„ Itali,
„	87^1 l. 12	infra	„ Zeppilinia	„ Zeppelinia,
„	87^2 l. 4	„	„ consumptum	„ consumptus,
„	90^2 l. 39		„ consitia	„ consilia,
„	90 l. 41		„ tabelariae	„ tabellariae. —
			post pugillares	comma ponendum,
„	90 l. 44		pro Min.	lege lin.,
„	90 l. 44		„ 60	„ 69,
„	92 l. 10		„ francogallie	„ francogallice

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportuensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad **Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven)**, *pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,* **Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M.**, *Baustrasse 10.*

Nomina et domicilia

eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — H. Bigot, Prof. Instit. Carthag., Tunis — T. Chave, B. A.; Praef. Schol. Publ., Chicago — Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislau — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. Th. Elsaesser, Maredsous (Belg.) — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univers., Leiden — V. Hertel, Parochus, Friedelshausen — Dr. J. M. Hoogvliet, Doc. priv., Haag — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — F. J. M. Joseph, Hilversum (Holl.) — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul (Minn.) — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. L. Laurand, Canterbury — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila (It.) — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — P. Recanatesi, Prof., Osimo (It.) — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univers., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn a. N. — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach (Bay.) — J. Tasset, Tonnerre — Dr. H. Weller, Ehingen a. D. — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Priores commentarii huius anni

praeter primum et secundum venales prostant

apud redactorem

his pretiis:

III	5 M	V	4 M
IV (18 num.)	6 „	VI	4 „

VII . . . . 2.50 M

Pauca cum supersint exemplaria, nemo mandare illos cunctetur!

Typographus: Carolus Wichert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus IX: Numerus VIII

— Procurant negotia —

In Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
In Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
In Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
In Russia: K. L. Ricker, St Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Schedulam huic numero **appositam ut quam plurimis notam faciant amici**

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. IX Francofurti a. M., Mense Aprili MCMXIII Num. VIII

RVBECVLA

Carmen Francisci Joannis Mariae Joseph Batavi

Collis ad antiquam situs est sublimior urbem,
Humano capiti similis, quo vertice quondam
Fraudibus oppressis mortalibus unica Patris
Progenies tanti donum praebebat amoris.
Numen erat, sed, foeda videns malefacta misellae
Plebis, Homo, gentes miseratus, funera poscit,
Et se pro nocuis irato victima Patri
Tradidit; an magis Hoc mortales alter amavit?
Quem sua damnatum ligno suspendit in atro
Gens inimica reum. Misere pendebat, ab omni
Solus, et ex imo surgebant pectore questus.
Audiit orbatum silvae tenera ales in imo
Condita secessu, nemorali condita nido.
Parva avis est, parvis membris in corpore parvo
Caeruleus color unus erat, nec amica domorum
Ulla nec est illa tectis magis hospita nostris.
Protinus ad gemitum fertur perterrita pennis,
Saucia tristitia Damnati, saucia curis,
Et super excelsas celeris properabat olivas,
Fluminis obscuris Cedron fugiebat ab undis,
Et pietate viam nascenti sensit in umbra.
Constitit, et sese libravit in aere pennis
Celsa super tumulum; sed vix pendentia Membra
Et Capiti impressas lacrimoso lumine sentes
Viderat, infandum subter decus addita rostro
Solvere Damnati tentavit spinea serta.
Attamen ex illis sentem dum dimovet unam,
Vulnerat ipsa sibi trepidantia pectora: manat
Sanguis, iamque pedes parvos se fundit in ambos.
Contremuit toto subita vertigine capta
Corpore, et extemplo, celerans in funera, praeceps

Labitur, et, Divi membris ubi vita recessit,
Sub pedibus tanti vitam finivit Amici.
Tunc vero totum foedissimus occupat orbem
Pallor, et adsurgens taetra caligine gentes
Attonitas altae noctis perterret imago,
Motibus et magnis concussus inhorruit orbis.
At Pater, aetherea caeli dominator in aula,
Viderat et visas avis ut laudaverat artes,
Ne ventura dies tantas absconderet, huius
Restituit vitam membris, animamque rubentes
Et nondum gelidos pollens inflavit in artus,
Atque, nec immerita, volucrem Deus arte renatam
Per tenebras tectis salvam nemoralibus infert.
Sed semper manet ille rubor, nec tempore - mirum -
Pectore vel pedibus cessit color ille perunctis;
Perpetuumque illi generi donavit honorem:
Nam pietatis habet semper documenta prioris
Posterius genus: in pedibusque et pectore, quamvis
Incolumi, tantum meritum Deus ipse notavit.

In villa Marci A. d. IV. Non. Sept. a. MCMXII

De Epitome Thesauri Latini

F. Gustafsson[1]

Magni illius et egregii Thesauri Latini, qui anno MCM quinque academiarum Germaniae curis unitis edi coeptus est, Epitome quod hoc anno uenum datur a bibliopola Teubnero, haud parua causa est cur gaudeant litterarum latinarum studiosi, praesertim cum huic operi et grauissimo et difficillimo praesint Vollmer, Bickel, ceteri, quibus et auctoritas est et in his rebus usus.

Atque uel ex primo quod iam diuulgatum est specimine nescio an eluceat plurima ipsius Thesauri bona esse in Epitome seruata: adferuntur omnia uocabula formaeque eorum, comparantur italicae graecae celticae ceterarumque gentium uoces, plene indicatur orthographia, adduntur plurimae glossae et grammaticorum definitiones, etyma, cognata, synonyma, antitheta multa, inseruntur latinae editorum descriptiones et diuisiones, adsunt uetustissimi loci, inscriptiones, spectantur aetates quaedam tamquam uocum et significationum, insunt collocationes uerborum, nec desunt loquendi formulae et prouerbia, uariae significationes copiosissime et interpretamenta nonnumquam locorum proponuntur; usque ad romanicas linguae latinae aetates extenditur exemplorum copia, quamuis ex Liuio Andronico ad Tertullianum perfectius res explanentur. In omni opere iam nunc apparet summa diligentia, locis denuo collatis et nouissimis adminiculis assumptis.

In tot tantisque uirtutibus si qua uitia reprehendas, non est mirum. Vna in re, haud minima illa quidem, non mihi satisfaciunt editores, quantum ex primo quem indicaui fasciculo concludendum uidetur: in significationibus uocabulorum explicandis. Atque in ea ipsa re ne maioris quidem Thesauri auctores et socii praeclarissimi rationibus satis certis et firmis aut saltem non satis dilucidis aut plane expositis[1] rem suam mihi uidentur

[1] ap. philol. Gotoburgi a. 1912 congress.

[1] Cfr. de latinis lexicis F. Heerdegen in Lateinische Grammatik von Stolz et Schmalz, 4 ed. p. 715. Difficultates latinae lexicogra-

egisse, quod infra interdum obiter attingetur.

Significationes in Epitome primum moleste fero quod non numeris et litteris distinguuntur, sed punctis ternis binis singulis, quibus non facile capita rerum breui conspectu comprehenduntur. Grauius est quod iis quibus utuntur editores disponendi rationibus non semper lucidus ordo adiuuatur. Ab externis, ut ita dicam, rebus, significationibus concretis et sensui subiectis, ab origine uocum ubique, ni fallor, exeundum est neglectis haud raro etiam temporibus scriptorum, in quibus per multas latini sermonis aetates non tanta est significationum differentia. Nec tantum quantum fit in Epitome discernendum est inter propria et translata, neque inter ea quae hominibus, ceteris animalibus, rebus animi, ceteris rebus attribuuntur. Neque uero in opere uiris doctis dedicato opus est interpretari uocabula nota et per se definita, praesertim cum lectis uel primis exemplis quid significent satis appareat. Praecipue cauendum id est ne significationibus in maius elatis et in alia omnia detortis obscuretur aut etiam pessumdetur uocabuli significatio siue primaria siue uera.

Sed exemplis allatis — non repetitis locis et ceteris quae facile qui leget ex Epitome supplebit — demonstrandum est quid in Epitome minus rectum actum uideatur.

a ab propriis titulis distinentur »*de loco*« »*de origine auctore modo*« »*de tempore et ordine*« »*recentiora*« (pro abl. comparatiuo et cetera). Primo in capite: »...*alqs uel alqd mouendo separatur*« »..*post intransitiua*« »..*disto*....*post transitiua*« ... »sternit a culmine Troiam« ... »*res a re proficiscitur*« — huc pertinet illud »a culmine Troiam« — .. »a stirpe« .. »ab imo« ... »*certis formulis*« rursus »ab imo« .... »*de distantia*«, sed longe ante »distare« ipsum positum uidimus . . rursus »ab imo«, quae certa de certa re et concreta formula loquendi tribus locis ponitur. »*De origine*« .. »*liberius*« . . »ab igne ignem capere«, quae locutio minime libera et prorsus sensualis longe ante pronenda erat ... »*De modo*« .. »formas .. effingere a parentibus liberos«, ubi non modi sed originis (*ef*fingere) est ratio.

abalieno ».*hominem*« »a uiro me tali abalienarier« .... »agrum«, »picturam«, »seruam« — haec sine dubio uetustiora quam illud. Idem tamen ipsius Thesauri est ordo.

abdicare ».*i. q. negare:* consanguineam esse abnegant ... *filium* ἐξωθεῖν: te repudio nec recipio, natum abdico« .. hoc uero primarium, weise ab; cfr. radicem δεικ et indicare.

abdo ».*remouendo in alium locum celare*«; hoc primum ponitur, haud rara tamen est uere primaria uocabuli uis non celandi, sed alio loco ponendi, ut Verg. Georg. 3, 96, Aen. 2, 553, Ter. Hec. 175, me totum in litteras, se litteris

abduco »*homines uel animalia*« .. »*res*«: »aquam«, in qua uel maxime elucet natiua uerbi uis.

abeo .... »*translate*« .. aes exulatum ad illam abibit patris«; hic uero tota remanet uis uerbi.

abhorreo »*proprie*: ab Atticis abhorreo«; sed neque in hoc exemplo neque in ceteris seruata est propria et quasi physica horrendi significatio, quae exstincta uidetur in iis quas nouimus litteris latinis.

abigo sic fere explicatum uelim Epitomes locis adhibitis quam breuissime (additis paucis quibusdam ex ipso Thesauro). *1 (a se uel ab loco):* (canes) pecus, serpentes; (uolucres), muscas, apes; uentos, nubes; mare abigit littora, magnes ferrum abigit; niues mercatores abigunt. *2 ex se:* pisces cibum abigunt caudis *(abl. uiae)*, partum sibi medicamentis, (lacrimas Petron.), febrem (fastidium, cupiditatem). *3 passiue:* (mater abacta), abacti magistratus, noctes abactae, pauperies abacta epulis. *4 aperte posito separatiuo:* aduenientem ab

---

phiae recte demonstrat F. Vollmer in Nov. ann. philol. 1904 XIII 51 s. Principia inter alios tractat O. Hey in Supplem. ann. philol. 1892 XVIII 81 s. et in Archivo Woelffl. 1896 IX 193, Kretschmer in Einleitung in die Altertumswiss. I 210 s.

aedibus, uxorem ab ianua, te a cibo, hunc a te, ab ludis abactos, famem a labris, pestem a me, lassitudinem abs te; alqm *ex* uita. *5 cum allatiuo:*[1] hunc rus, oculis intus abactis, greges aestiuatum. — Aut fortasse datiuus aduerbialis seorsim ultimo loco tractandus. Haec a me crediderim paulo melius ordinata quam sunt in Epitome.

abluo »*lauando tollere*« [item in Thesauro] .. »*purgare*« .. »*translate : tollere*« — haec omnia neque necessaria, neque utilia, neque satis certa; quid sit abluere, nemo dubitat.

abnego »*repudiare, non agnoscere*« . . . »*nolle reddere*« (depositum) — nimia haec sunt, partim falsa, ut qui depositum abnegat, negat esse depositum, non omnino negat se redditurum, si sit depositum.

abnuo »*non agnoscere, negare*«, minime haec significat verbum, sed est fere »abweisen«; et Pl. Merc. 69 (abnuere, negitare adeo me natum suom) aliud est negitare, aliud abnuere.

abortus num iam apud Terentium de fetu dicatur neque ex ipso loco in Epitome [et Thesauro ipso] allato, Hec. 398, euincitur neque ex Donati explicatione; et incerta est lectio Hecyrae loci.

abripio »*ui tollere:* nasum abreptum mordicus« — quis ibi explicationem desiderat, non prorsus ueram praesertim. »*homines, imprimis feminas, infantes*« — inutile hoc quoque. » . *eripere, tueri* . . . senatores Hadriano saeuienti« — quis credat ereptum defendi, qui quidem effugiat; *tuendi causa* minus inepte, sed inutiliter additum esset.

abrupte . . . »*confidenter*« : Don. Ter. Hec. 476« — non hoc significat Donati loco, sed rerum uel ipsius ueritatis conexu abrupto.

absoluo uide quae mira significet: »*perficere* [item in ipso Thesauro]: uno ut labore absoluat aerumnas duas« — quod non congruit cum interpretamento; quis enim aerumnas siue facit siue perficit. »*finiendo tollere*: uestram de iis curam absolui« — simile hoc est.

abstinere » . . . *transitiue* . . . *non facere*: sermonem de istis rebus . . . . *reflexiue* . . . . . *manum*« prima significatio in prauum detorta est, tertio loco quae posita est, primaria est.

absum » . . *proprie*: . *non adesse* . . . *distare*« — prius oportet esse posterius; idem tamen ipsius Thesauri ordo. » . . *translate* : . *de hominibus*: *ab re* : *neglegere, non facere* : ab eri quaestione Plaut. Trin. 1012 . . . a cultu atque humanitate prouinciae Caes. Gall. 1, 1, 3« numquis alius ita hos locos interpretabitur uel omnino explicatione egebit?

abundo »*proprie*: . . *de ipso liquore* . . . . *de liquoris receptaculo* . . . abundat pectus laetitia . . . *translate*: . . *de copia* (*etiam nimia*) *rerum non liquidarum* . . . . *de quasi receptaculis*: *abunde habere* — quis paenultimam illam interpretabitur interpretationem; exempla sunt: diuitiis, fortunis, uite, lauro abundare.

accedo partim propter seruata auctorum tempora ordine minime lucido explicatur: *ad* hominem, *in* sese, hunc, Iugurtham, circulis, propius dextrae, portis . . . *conueniendi causa* . . . *rogandi* . . . *coeundi* . . — quae minime discernenda uidentur — . *ad loca*: *ad* aedis, *in* aedis, *ad* fores, fores, ad urbem, urbem, ad locum, in locum . . . *sacrificandi*, *iurandi* . . *emendi* . . *rem agendi* — h. e. in iure agendi — et q. s.

accinctus *exornatus, praeditus* . . . *paratus, habilis* — haec inutilia sunt et nimia.

accipio ». . . *de ipso actu* . . *manibus* . . . . . *sensibus, praesertim auditu, animo* . . fando . . *translate* . . . fama et auditione . . . *audire* . . . . . . *uariis instrumentis*: follibus auras . . sortem galea . . — hoc ultimum multo melius sensibus percipi potest quam quae ante posita sunt haud pauca . . . . . *hospitio* etc.: cibo . . bene in prandio . . . in amicitiam . . in deditionem . . caelo . . in arcem . . intra fines . . . bene« — rursus! — . . . *de effectu capiendi* (sc. *possessione*), *acquirere, habere incipere, participem fieri, affici*

[1] quem vocant »terminum ad quem«

.. argentum .. calamitatem .. iniuriam .. epistulam .. ad supplicium ... *de uoluntate accipientis* .. condicionem .. contumeliam .. iniuriam» — rursus! Nonne ita discriptis significationibus, philosopho magis quam philologo digna ratione, similia distrahuntur, congluti-nantur quae uix cohaerent?

accliuis nescio an calami lapsu uidetur explicari: arduus.

accliuitas non idem est quod »*cliuus*» Ammiani loco 16, 10, 14, intra septem montium culmina per accliui-tates planitiemque posita urbis membra — ubi accuratius situs urbis depingit quam si *per cliuos* dixisset auctor.

accresco »..*augeri, crescere* . *de rebus incorporalibus*: .. labor ... *de rebus corporeis*: flumen, rogus, cae-spes . *de uiuo corpore:* puer — inuerso, ni fallor, ordine res agenda erat: 3, 2, 1.

accubare »..*epulandi causa* .. *inter-dum fere i. q. epulari* .... *interesse* ... *quiescendi, sim. causa, iacere*» — ultima illa explicatio uerum sensum uerbi pessime corrumpit — neque enim i a c e b a n t cenantes Romani! — et nimiae sunt ceterae glossae.

accumbere .. *epulandi causa, inter-dum fere i. q. epulari* . *i. q. interesse* . *quiescendi sim. causa, interdum fere i. q. quiescere, iacere, dormire*» — cur non *stertere* uel *somnia uidere!* Prorsus iidem in hoc lemmate sunt errores atque in eo quod antecedit nisi quod etiam omnis tollitur accu-bandi et accumbendi distinctio. Haec ualde miror eadem fere ratione esse tractata in ipso Thesauro.

acies demum nescio quo modo uel qua licentia et in Thesauro et in Epi-tome uarietur: »*exercitus*«, »*manus proeliaris*«, »*totus exercitus ad pu-gnandum dispositus*«, »*proelium*«, re-fragantibus testibus, qui plurimi ad-feruntur, fere omnibus, modo ipsos locos perlegas.

Nimis multa attuli et in quibusdam forsitan ipse fuerim nimius et errori obnoxius. Neque in popularibus qui uocantur libris recuso quin liberius uerba latina uertantur. In docta in-uestigatione longe alia res agitur. Et in lexicis caput mihi hoc est, ut ex origine uocis et primaria eius signi-ficatione exeas, ut eam ipsam quam longissime teneas, ut prima ponas quae sensuum iudicio facile probantur, ut subtiles diuisiones ne admittas, ut explicationes inutiles euites, ut longe ab origine uocum recedentes tamquam toti rei pestiferas abhorreas. Aliter enim facile fiet, ut aut falsa aut nulla omnino uerborum cognitio percipiatur, peruersa ipsius sermonis opinio eua-dat et ulterius in dies euagetur.

Huius autem, de quo locutus sum, libri tam multae eminent uirtutes, uel ipsa rerum copia et diligentia, ut quae contra adnotaui, laudem eius non ob-tundant, modo caute significationes explicatas accipias et implicatum non-numquam ordinem prudenter expedias.

Textus In Latinum Vertendi Exempla

Britannice et latine

Abrahami Lincoln in Coemeterio Gettysburgensi Dedicando Oratio

Fourscore and seven years ago, our fathers brought forth upon this continent a new nation, conceived in liberty and dedicated to the proposition that all men are created equal. Now we are engaged in a great civil war, testing whether that nation, or any nation so conceived and so dedicated, can long endure.

We are met on a great battlefield of that war. We are met to dedicate a portion of it as the final resting-place of those who have given their lives that that nation might live. It is altogether fitting and proper that we should do this.

But, in a larger sense, we cannot dedicate, we cannot consecrate, we cannot hallow, this ground. The brave men, living and dead, who struggled here, have consecrated it, far above our power to add or to detract. The world will very little note nor long remember what we say here; but it can never forget what they did here.

It is for us, the living, rather, to be dedicated here to the unfinished work they have thus far so nobly carried on. It is rather for us to be here dedicated to the great task remaining before us: that from these honored dead we take increased devotion to that cause for which they here gave the last full measure of devotion; that we here highly resolve that these dead shall not have died in vain; that the nation shall, under God, have a new birth of freedom, and that government of the people, by the people, for the people, shall not perish from the earth.

Octavus iam et octogesimus annus est hic, cum maiores nostri novam in hac terrae parte rem publicam pepererunt, quam libertatis in condicione conceptam in illam consecrarunt sententiam: aequo nasci iure homines universos. Nunc vero ingenti bello civili inito nos experimur, haecne res publica vel alia, sic nata sic consecrata, per longum temporis spatium possit stare.

Convenimus in eum ipsum locum, ubi acerrime in hoc bello pugnatum est; convenimus autem huc, ut huius campi partem aliquam ad supremam quietem eorum consecraremus, qui ut viveret haec res publica, vitam hoc loco profuderunt. Quibus id nos merito ac iure praestamus.

Verum hunc locum, si altius rem spectaverimus, neque inaugurare neque dedicare neque consecrare nos posse videbimur; quem illi ipsi viri fortissimi, qui hic dimicarunt, sive mortui sunt sive superstites, tanta consecrarunt sanctitate, ut nos neque addere quicquam neque demere possimus. Nos enim, quae hic diximus, neque multum attendent homines neque diu recordabuntur: quae ab illis hic gesta sunt, nulla unquam delebit oblivio.

Nos potius, qui in vita sumus, hoc loco consecrari oportet ad opus illud perficiendum, quod illi tam praeclare propagarunt; nos, inquam, consecrari ad hoc tantum opus, quod reliquum nobis videmus; ut ab illis, quos hic honoramus mortuos, maiore in dies pietate eam discamus amplecti causam, qua in defendenda illi hic morientes pietatem praestiterunt summam; ut magno hic animo id statuamus, ne animas illi frustra devoverint; ut huic civitati nova, Deo volente, nascatur libertas; denique ut imperium populare, quod et a populo et pro populo administretur, ne pereat unquam in orbe terrarum.

James A. Kleist, S. J. (The Classical Journal, VII, 7)

Belsazar

Secundum Henr. Heinii carmen „Belsazar"

Latine panxit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

Jam mediae noctis caligine pressa quiescunt
  Rura; iacet Babylon muta sopore gravi.
Atria cuncta silent; modo summa regis in arce
  Armigeri strepitant sub trepidante face.
Namque dapes ducibus festas instruxit in aula
  Ampla Belsazar regia sceptra tenens.
Assidet ornatu splendenti turba clientum,
  Qui potant nitidis fervida vina scyphis.
Magna sonant cyathi, grex exsultatque furore:
  Hoc placet immiti, dure tyranne, tibi!
Jam regis facies rubro fervore refulget:
  Audaces animos ceperat ille mero.
Atque Deum temere provectus rex maledictis
  Laedit et infandis increpat opprobriis;
Increpat erectus celsusque pudoris et expers; —
  Immanem plausum dat furibunda cohors.
Deinde iubet divi contemptor abire ministrum:
  Actutum properat continuoque redit
Multaque fert capite apportans puer aurea vasa
  Ex Jehovah templo crimine rapta malo.
Jam prendit calicem sacratam rite, repletam
  Ad summum, regis conscelerata manus,
Et calicem, potans avide, rex haurit ad imum
  Oreque spumoso vociferatur atrox:
„Irrisum, Jehovah, denuntio tempus in omne
  En tibi: rex ego sum, rex Babylonis ego!"
Sed vix desierant audiri verba nefanda,
  Angor olam coepit regis inire sinum;
Atque effrenati mox conticuere cachinni;
  Exedra ceu tristi funere capta silet.
Aspice: nescio quid spectatur pariete in albo:
  Humanae signum provenit ecce manus,
Quae — mirum — scribit! flammantes pariete in albo
  Litterulas scribit; — tum velut umbra fugit.
Divino monitu stupidus rex torva tuetur;
  Genua subit terror, luridus ora color.
Horribilique sedent perfusi frigore servi:
  Immemores strepitus attonitique tacent.
Convenere magi; nec vero calluit unus
  Prodere, quid vellent ignea scripta sibi. —
Impius hac ipsa Belsazar nocte tyrannus
  Caesus ab armatis traditur esse suis.

Lin. 20) Jehovah (indecl.), ut Hebraice pronuntiatur.
31/33) i in „pariete" pro consonanti legendum, sicut abjete Verg. Aen. II 16, al. „ arjete apud Verg. et alios.
36) u in „genua" item, cf. Verg. Aen. V. 432 et saepius.

Schola Tam Corpora Quam Animos Discipulorum Curans

Cum novae novitate res homines alliciant, arbitrabar si recens Scholae Superioris Centralis huius urbis institutum breviter exposuissem id lectoribus Commentarii Classical Weekly fore iucundum.

Propterea quod schola nostra non plus quam semel cotidie considit, magistri, eo consilio ut discipulorum ipsorumque saluti consulerent languentibusque servirent stomachis, proximo anno ineunte merendas vendendas apparandasque per delectos pueros ac puellas, quibus Cl. Mgra. A. Hosmer praesidebat, curarunt. Scholarum Publicarum moderatores pecuniam qua institueretur culina suppeditaverant. Apocleti autem cibis eisque in diem coemptis, coqua conducta, compluribus pueris puellisque adhibitis administris, octingentos discipulos (sunt nostra in schola mille omnino et quingenti) hora undecima cum dimidio atque magistros viginti vel triginta hora post tempus meridianum prima cibis concoctu facilioribus iuvabant. Rationibus vero post integrum annum confectum consolidatis perceptum est lucellum. Cuius rei exultantes successu gratosque significantes animos gratias Clmae Mgrae A. Hosmer persolverunt maximas, quas versibus litteris his adiunctis, lepida manu scriptis atque exornatis, confirmarunt. His item adiungo Edularium, ut quam delicate epulemur scias.

Carmen Conviviale Nostram ad Hosmeram

Flava Ceres, frugum genitrix, tibi munera in aris
  sacrorum praeses pinguia ponet ovans,
cellam triticeam modo si cumulaveris altam;
  namque sibi panes semper eruntque suis.
Te verum astripotentior est nobis domina altrix,
  quae nobis donat mollia fraga, papae!
In cumulos extructa super libis geminatis,
  necnon melomeli, Caelicolumque dapes,
pruna Damascena, asparagos, porros capitatos,
  iuscellum ostriferum, pisciculosve, fabas,
Bostoniae mori respondentes venerando
  largiter obfusas altiliore sue!
Et calices minime Ismarias, Baccho titubantes,
  miscet, sed quales mire hilarare solent
sollicitos animos, gremiumque statim stimulare,
  quas nunc indociles haud numerare volo.
O! utinam nemo nobis Tirynthius optet
  te sibi prospiciens ducere gymnasio.
Sis puerisque puellisque esurientibus Hebe—
  HOSMERA perpetuo! quae studiosa patres,
libellis etenim Lucullo lautius octo
  ut convivemur Sidoniisque toris.

—J. E. K.

Edularium

Ius Fervidum .... patina sing. 3nis libb.
Perna .... 5nis libb.
Caseus recens .... 3nis libb.
Bubula .... 5nis libb.
Panis Vitulinus .... 5nis libb.
Condimentum Chile, Salgama, Olivae, Lactucula cum embammate Gallico, Arienae cum flore lactis, Porri, Radiculae, Pruna elixa, Armorica, pretiis variantibus, semper tamen pusillis.

Syrupus Acernus . scutula sing. 3nis libb.

Citra, Aurantium secta, Melomeli Uvarium, Butyrum Malinum, Pastillae, Triticum Tumens cum flore lactis, pretiis variantibus, semper tamen pusillis.

Thea, cy. 3nis libb.—Cacaotica et Caffa, cy. 3nis libb.—Lac, 3nis libb.

(John E. Kenny in ,Hebdomadario Classico' Princetoniensi, 1910)

Alexandri Petoefii,

poetae Hungarorum praeclarissimi, carmina duo Latine reddidit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.*)

Streift ihn der Vogel . . . . .

Streift ihn der Vogel,
Zittert der Strauch;
Denke ich deiner,
Zittre ich auch,
Denke ich deiner,
Liebliche Maid,
Herrlichen Weltalls
Schönstes Geschmeid!

Schwellende Donau
Dämme durchbricht;
All die Erregung
Fasse ich nicht!
Bist du mir holde?
Bin dir's so sehr:
Vater und Mutter
Sind's dir nicht mehr!

Hast mich vorzeiten
Liebend geletzt;
Sommer war's damals,
Winter ist's jetzt —
Liebst mich wohl nimmer?
Fort denn, ade! —
Liebst mich noch immer?
Juch! und juchhe!

Ut frutex, strictus volucri, tremescit,
Sic gravis memet tremor urget ipsum,
Cum tui fio memor, o venusta,
Diva puella!

Aggeres perrumpit aquosus Hister;
Comprimor turbis! Mihi, dic, favesne?
Non tui maior favor est parentum
Quam meus hercle!

Me beavisti — fuit aestus — olim;
Nunc hiems regnat: dea, iam calere
Desiisti me? — valeas! — — Amas me
Protinus? — euhoe!

In der Wildnis

Die Wildnis ruht von Nacht umfangen,
Unheimlich flüstert's in den Zweigen;
Ich bin mich müd' und irr' gegangen —
Wer wird den rechten Weg mir zeigen?

Wohl seh' ich Sterne leuchtend prangen
Hoch über mir in dunkler Ferne;
Doch, werd' ich auch ans Ziel gelangen?
Trau' ich dem Strahle goldner Sterne?

So leuchtend, wie noch niemals schaute
Ein goldner Stern vom Himmelsbogen,
War jenes Auge, dem ich traute;
Doch ach, sein Strahl hat mich betrogen!

Sub nocte caeca vasta iacent loca,
Frondes susurrant sollicito sono;
Errore defesso viaque
Quis mihi monstrat iter petendum?

Caelo sereno lucida me super
Remota longe sidera conspicor;
Sed, quo volo, fas est venire?
Sidereone nitore fidam?

Sic enitebat, sidus ut aureum
Non fulsit umquam de superum domo,
Ocellus is, cui credidi, — sed
Me nitor heu miserum fefellit!

*) Addidimus Germanicum textum a Maximiliano Farkas viro doctissimo comparatum in libello: „Gedichte von Alexander Petöfi. Aus dem Ungarischen von Max Farkas. Leipzig. Bibliographisches Institut. 199." Quam conversionem praestantissimam et elegantissimam nostratibus, qui poesin Petoefianam ingeniumque poetae illustrissimi accuratius cupiant cognoscere, enixissime commendamus.

Responsorium

M. G.: In chartula, qua aenigmatum num. I. nuntiaras responsa, manuscripta quoque te misisse ad me dixeras. Quae cum usque ad hunc diem mihi non sint allata, plura hac de re audire vehementer cupio.

G. E.: Carmina ex avunculi bibliotheca, ut scribis, servata avidissime exspecto. Mitte, quaeso, ea, ut primum otium tibi datum erit describendi.

M. Z.: Nulla nota mihi nota, novi nota sit nisi novi!

E. M.: Olim nihil audimus de libro tuo: „Nos in itinere latine loquimur." Num vis omnino desistere consilio? Utut est, fac nos, qui scriptione tua semper delectemur, data occasione certiores.

V. Thomsenio Fennorum Hospiti*)

a. d. IX Kal. Oct. MCMXII

Fecundum pectus, mentis Deus ipse proceros
nisus donavit quondam mortalibus, almas
ut degant vitas primordia cana scrutando,
vel nova ponendo lucentia limina terris.
Adspice sol noctem conlustrat opaca recludens,
gaudia verna facit seu campos flore coronat:
cor fervens mittit radios umbracula quaerens,
pervia cum sentit, penitus fluit inque latebras
patrat ovans aperire vias, loca tristia dudum,
lumine quae laeto caruere inclusa tenebris,
caeca beans visu lucis seu sordida purgans,
multa aperit mucore sita aut labentia saeclis,
ducit mirantes et pallida tempora narrat.
Sic ea, quae patres perduro tempore nati,
nullorum hospitio laeti per tristia rura
palantes, mixti pecore et non ulta luporum
praeda, timens teneris uxoribus, anxia semper,
saxa sui fati posuere rigentibus arvis
signa, quibus pueris priscae dent nomina gentis,
facta, genus tradant narrentque negotia dura:
debilia haec pridem saeclis conlapsaque, tecta
putri telluris sub gurgite caeca iacerent
vestigiis depressa pedum, demersa ruinis,
ni quondam foret ut magno vir robore nixus
evertat lapides et signa latentia tollat.
At ea, quae pridem tardo sunt pollice caesa
sciscier usque notas metuunt atque invida seruant
arcana haud umquam nutu concessa petenti.
Haud invicta tamen per tempora prona iacebunt,
eximium ingenio felix si forte virum quem
aetas extulerit, qui possit tollere tegmen
nec horrentem animo mortalia visere fata,
qui sciat humatos patres adducere voce,
ut surgant vivi et sua tradant mortua facta.
Sic felix unum vidit lux nostra potentem
sollertia ingenii D a n u m, cui condita terris
patrum signa patent lucem latura tenebris.
Praepetibus nomen pennis fert fama per orbem,
vivet in extentum T h o m s e n i u s inclutus aevum,
Uigurum interpres Turcarum voce peritus.
Fennorum fautor multo in discrimine rerum
Veneris optatus Fennis huc tempore fausto!

Scr. Einar Heikel, Dr. Phil.

---

*) Vir ille Doctissimus, Universitatis Hauniensis Professor, cuius nomen explicatae inscriptiones Uiguricae in Asia repertae et multa praeterea de linguis Fenno-Ugricis exquisita quodam acumine ingenii conscripta opera nobile atque celebre reddiderunt, cum post multos demum annos amicos suos et loca ob memoriam iuventutis atque studiorum amoena denuo viseret, in convivio quodam festivo, statua Viri Doctissimi rite detecta, complures eum Fenni orationibus atque versibus laudaverunt. In his latini etiam fuerunt versus hexametro compositi, quos legendos commendamus.

Schedula Cenatoria

HOSPITES ILLVSTRISSIMOS HVMANISSIMOS
salvere jubet haece delectamenta gulae promittens

Menenius Agrippa

Ordo et continuatio ciborum:

1. Cum jure contineantur res humanae, primum **Ius regium** gen. fem. cum globulis masc. apponitur.
2. Sed **ante omnia** sequuntur.
3. Μηροὺς δ' ἐξέταμον καὶ δίπτυχα ποιήσαντο.
4. **Borussulos** deinde, ut quisque est particularissimus, ita comedet libentissime, **tuberculis** utique instructos.
5. Felix qui potuit tardo vere aegre effossos **asparagos** arripere **lingua** promtos adjunctis **artocreatis.** Qui quem deficient, **Ciceronia** grana juvabunt.
6. **Volatilium** genus **capite et lactuca,** suavissimo ἐν διὰ δυοῖν, luet temeritatis suae poenas.
7. Coenam claudent **placentae** cum **panicellis mellitis** et varietate **pomorum.**
8. Denique **dulce** et decorum est pro patria non tantum mori sed etiam **potare.**

Notulae: 1. Soupe à la reine aux boulettes
2. Forellen (truttae) apud Suebos consonans cum „vor ällen" (= vor allen, ante omnia)
4 »Brislein«, suebice pro »Milz« (splen), mit Trüffeln

Ad Latinitatem Propagandam

Clmus Ferdinandus Hustinx n° 4 a. cr. huius folii periodici media proponit omnino apta et quae fautorum rei Latinae apprime merentur approbationem. Oh, utinam tandem ante omnia Maecenas quidam appareret, qui opibus rem proveheret! Jaceretur solidum quoddam fundamentum, cui deinde, iuvantibus et faventibus aliis hominibus ingenio et fortuna pollentibus, firmum inconcussumque, ut ita dicam, aedificium Latinitatis superstrueretur. Ita haberetur fons, de quo iuges aquae manarent; haberetur vis quaedam, quae in mundum ageret et influeret.

Sed haec quidem in votis sunt; ut nunc res se habent, nondum ad hunc finem pertigimus. Quid ergo? Impraesentiarum aliquid proponerem, quod vel interea non parvam utilitatem videtur conferre posse ad Latinitatem propagandam eiusque usum quasi ob oculos ponendum. Et est:

„Scriptor Latinus" propriam quandam partem, rubricam, uti dicunt, assignet, sub qua seriatim titlli omnium librorum Latinorum publicentur, qui ubicumque terrarum in vulgus emittuntur; additis nomine auctoris, loci impressionis vel venditionis et pretio. Nihil prorsus intersit, de quanam materia tractent,

sive de philosophicis quaestionibus sive de scientia naturali sive de philologia sive de theologia sive de quacumque alia disciplina, dummodo Latinitate donati sint. Et hanc seriem librorum Latinorum singulis Scriptor numeris texat et continuet.

Non dubito, quin inde magnum commodum rei Latinae proventurum sit: tum quia manifestum fiet, quam late vel hisce temporibus usus linguae Latinae inter doctos pateat, tum quia hoc modo cuilibet via monstratur ad suam ipsius scientiam proprie sub forma Latina augendam amplificandamque. Et quid magis universitati scientiarum convenit quam lingua doctorum, lingua universalis, lingua gentium?

Linguae Latinae vel nostris diebus tanta vis ac praegnantia inest, ut omnia sensa omnesque res aptissime reddere valeat. Linguae artificiales videntur superfluae et prorsus reiiciendae.

Berolini Dr. Paulus Lucasculus

Ex Epistulario Redactoris

Vir amicissime!

Plagellam ad me de 10° superioris abs te datam opportuno tempore accepi. Pervenerunt quoque duo numeri periodici tui, quos causa disseminandi amicis hic tradidi. Utrum subnotaturi sint, nescio; de uno, qui meus est patronus, confido.

Petis a me ut aliquando ego quoque articulis commentario tuo suffrager. Tibi satis notum arbitror me et argumento et stylo et orthographia a vestra caterva in Germania admodum differre et ei rationi scribendi radicitus adversari. Nec tempus advenisse arbitror ut ego calamo Latino munus publicum aggrediar. At ex hoc nolim tibi persuadeas me, dum sileo, nihil agere. In praesentia puerulum senum cum dimidio annorum, nepotem viri in toto orbe terrarum longe ditissimi, Johannis D. Rockefeller, Latinitatem vivam doceo. Hinc cum ista familia intra paucos dies Neo Eboracum sumus commigraturi.

Illic, ni admodum fallar, futurum esse exspecto ut omnes prope Latinitatis praeceptores mecum iuncti Circulum Colloquendi Latinum condant. Si id fiat, viribus magnopere adauctis potero principia mea, Palaestram, quam nunc tertium in fasciculis evulgo, scriptis et orationibus propagare. Annorum etenim experientia edoctus vanum esse iudico periodicum Latinum venditare, quum lectorum atque legere volentium numerus fere nullus sit. Lectores prius creare nos oportet. Creabimus autem si opulentissimos quosque societatis ac principes causae nostrae conciliaverimus. Horum ope et auxilio tam praeceptores quam prelum diurnum ad partes nostras pertrahemus. „Vana sine viribus ira", vanus quoque omnis conatus.

Non verbis, factis opus est. Superiori mense Maio duos discipulos invitatus produxi in una Scholarum Superiorum Neo Eboraci. Alter puerorum erat 7 annorum, alter 10½. Hos sine litteris 6 menses viva Latinitate institui. Mense Octobri adultiorem litteris incepi imbuere. Suprafato mense Maio, praesentibus vicenis et quinis praeceptoribus, puer adultior dimidium C. Caesaris legerat, atque propriis verbis Latinis veluti paraphrasi Latina reddidit. Tum produxi e sacculo vetustissimum exemplar T. Livii, atque Senecae, quos libros puellus nunquam viderat, nec nomina auctorum audiverat. Tradidi libellos magistris, ut, quemcumque locum vellent, mihi indicarent; hos locos tum puello praelegi. Puellus, unico tantum vocabulo a me interpretato, utrumque auctorem incunctanter propriis verbis Latinis reddidit. Ingens plausus excepit verba pueri. Praeceptores tum me rogarunt, ut futuro Septembri Neo Eboracum redux cum illis operam darem, ut Circulum Latine Colloquendi conderemus. Nunc primum in urbem redibo, daboque operam ut vota ea successu non careant.

Haec itaque sunt quae te edocere volebam, ne forte putares me prorsus inertia detineri remque Latinam, me sopore oppresso, omnino desertam esse. —

Etiam atque etiam vale!

A. Avellanus

Quis feret praemium, lectores?

Theodorus Gaza (Γαζῆς), cum Thessalonica a Turcis capta profugus patria Mantuae apud Victorinum de Feltre commoraretur, notus esse coepit Varino (Guarino), diserto illi Graecae linguae interpreti, qui principis tum Ferrarae praeceptor Mantuam saepius visebat. Docti illi homines, postquam aliquam diu de singularibus sui quisque sermonis patrii virtutibus disputaverunt, orationem direxerunt ad sublimem fortitudinem eorum, qui Byzantium a Muradi Turcorum imperatoris oppugnatione defenderant, quae res tum propter Thessalonicae ruinam erat in ore omnium. Qua occasione oblata Gaza, ut quam expedite Graeca verba fingi et formari possent demonstraret, ex tempore fudit distichon, quod Constantinopolitanorum civium virtutem ultra Herculis facinora augebat et quinque tantum continebat vocabula. Sed superatus est a Varino. Is enim non moratus Latine alterum protulit distichon eiusdem sententiae, idque adeo quatuor vocabulis constans. Quo facto ridens Gaza manus dedit.

Gazes quinque habuit, quatuor modo verba Varinus:
Dicite, quae fuerint disticha dicta duo.

Ex iis, qui recte invenerint disticha, unus sortitus gratis accipiet hunc librum:

L. Chimani, Colloquia latino-germanica. Lateinisch-deutsche Gespräche zur Uebung in der lateinischen Umgangssprache. **2. umgearb. Auflage.** Wien 1814. (458 pag.)

Literaria

Quartus mensis Martii dies, quo novus Foederatarum Civitatum praeses munere sibi delato fungi coepit, plurimi non solum momenti est ipsis illius terrae totiusque Americae civibus, sed etiam Europaeis, praesertim Germanis, quibuscum Novi quem vocant Orbis incolae firmiorem in dies habeant crescente commercio societatem. Nam quod, ut pauca afferamus, Institutum illud Carnegianum omnia nunc in archivis Germaniae colligi iubet scripta ad historiam civitatum Americae septemtrionalis pertinentia, quod professores americanas inter germanicasque commutantur universitates, quod Germani Americanos hique illos convenire solent visendarum invicem terrarum morumque cognoscendorum causa, quod alterorum denique pluris fere utrique quam aliorum aestimant opera et artificia — haec manifesta profecto sunt amicitiae cuiusdam ac necessitudinis documenta.

Sed et alia est, cur tantum huic regni mutationi tribuitur, causa. Dr. Woodrow Wilson — hoc enim praesidis nomen est — non novus solum moderator civitatis exstitit, sed patronus quoque eius factionis, quae, quid velit valeatque, nondum potuit in republica regenda comprobare. Nunc, in quo vires exerceant suas, habent. Nam multa erunt et varia et difficilia novi regiminis officia. In Panamensis fossae navigatione constituenda, in pactionibus de commercio faciendis, in fabricatorum quaestumque speculantium globis iure ac legibus coercendis, in viis ferratis nova ratione ordinandis, in omnibus his de politicis vel oeconomicis rebus quaestionibus, quanta sit praesidis americani vis atque auctoritas, siquidem vir est singulari ingenio praeditus, apparabit. Talem vero esse Wilsonem nemo est qui dubitet. Quamobrem Germanos quoque imprimis iuvabit cognoscere, quid hic tantus vir iudicet de republica exaedificanda, ut ita dicam, atque gubernanda deque rebus socialibus oeconomicisque curandis. Quod, cum ille vixdum capessiverit rempublicam, nisi ex scriptis eius disci non potest. Praeter duos de Washingtone et Civitatum Confoederatarum historia libros maxima eius opera sunt quae inscribuntur „Congressional Government“ et „The State Elements of Historical and Practical Politics“, quorum primo, cum de americanis fere institutis tractet, parum extranei lectores capiuntur, alterum vero, qui est de re publica, quid sentiat auctor de munere suo, tam dilucide exponit, ut omnes, qui quidem

talibus rebus dant operam, lectione eius delectari sit necesse, praesertim cum multa in eo eluceat et historiae et literarum germanicarum scientia. Hic liber brevi edetur ipsius scriptoris permissu atque impulsu in germanicam linguam conversus a Guenthero Thomas, viro ob translatum Hillii de gentium consociatione librum optime noto. Prostabit venalis apud Hillgerum bibliopolam atque editorem Berolinensem (Berlin W. 9) nosque, ut primum prodierit, lectores nostros faciemus certiores. L.

Varia

Vides ut alta stet nive candidum Soracte —

Hoc carmen elegantissime nuper translatum legimus in britannicis, qui Journal of Education inscribuntur, commentariis. Cuius editor cum studiorum veterum sit amantissimus, ipsius nomen literis subscriptis latere haud scimus an recte suspicemur.

Lo! gleaming white with pilèd snows,
Soracte stands; the forests strain
And groan beneath their burdened [boughs,
And nipping frosts the streams [enchain.

O thaw the cold! pile on the wood!
The hour admits not niggard hand;
Bring out, mine host, in generous mood,
That Sabine jar of four-year brand.

Leave to the gods the rest, who, when
The embattled winds have ceased [to lash
The seas to rage, give peace again
To cypress and to ancient ash.

To-morrow's fate seek not to learn,
But aught the day may bring [perchance
Set down as gain, nor lightly spurn
The joys of youth and love and dance.

Green youth to crabbèd age must [yield;
Let lovers now, their troth repeating,
Whisper in moonlit close or field,
At trysting hours their wonted [greeting.
Now let the maiden's merry laugh
Betray in what coy nook she lingers,
While forfeit ring is snatched from half-
Reluctant arm or rebel fingers.

G. W. R.

Societas Germano-Gallica ad itinera inter gentes adiuvanda

Peregrinationes ut augeantur omni modo atque adiuventur, Berolini nuper societas condita est, cui qui ascripti sunt, his iam feriis pentecostalibus Parisios ducentur septem ibi dies commoraturi.

His se adiungere iter facientibus cuique licet, presertim cum conditiones sint aequissimae. Immemor ullius rationis politicae societas illo itinere comprobabit Germani Francogallique melius se invicem cognoscant utique oportere.

Plura scire desiderantibus libentissime respondebit professor G. Louvrier (Berlin-Charlottenburg, Kaiserdamm 17), Societatis Germano-Gallicae praeses.

Napoleo quam inhumaniter tractaverit feminas

Napoleo I. quamquam homo fuit summo ingenio praeditus, tamen urbanitate erga sexum infirmiorem quem vocamus carebat, praesertim cum de industria feminis dicere soleret res quam ingratissimas. Raro sane inurbanitates vel rusticitates suas in laudes et honores redigere studebat; immo feminas ex aula regia alloquebatur hisce fere verbis: „Pro deum fidem, quam rufa tibi sunt brachia!“ vel: „Horribilis hercle iste comae tuae ornatus; quis tibi capillos isto more digessit?“ vel: „Te umquam mutare pallas tuas negaverim; numquam enim vidi te aliter vestitam.“ — Uxori ducis de Chevreuse, uni e formosissimis imperii feminis, coma flava ac pulcherrima illustri, in saltatione sollemni in aedibus regiis habita blandiri voluit sic eam alloquens: „Ah, mirum sane, quam rutili tui sunt capilli!“ Sed femina illa rectissime quidem illico: „ „Concedo,“ “ respondit „ „augustissime imperator; sed tu hoc primus effaris.“ “ — Alia saltandi occasione

imperator praefecti cuiusdam coniugi, quae placendi studiosissima habebatur, haec dixit: „Quid vero, amplissima, etiamnunc tantopere amas viros?" „ „Amo, domine imperator," " illa inquit lingua promptissima „ „siquidem urbani sunt viri." " Cui Napoleo tacens tergum obvertit; praefectus autem paucis post diebus ab re publica erat remotus.

Guil. Lhm. Vratisl.

E Circulo Lectorum

Quaerit unus ex amicis nostris, unde originem habeant haec nomina zoologica:

1) Attheyella — 2) Nitocra (niteo, ocrea?) — 3) Ameira — 4) Altentha — 5) Temora — 6) Amphiascus (ἀμφί, ἀσκός?) — 7) Idya.

Denotant verba, quod sciam, quasdam pulicum aquatilium species. Ad 4) in quodam libro suecico annotatum legi: ‚Town of Tweed', ad 5): ‚Palace of ancient kings of Ireland'. Quae si quis accuratius explicare possit, responsa mittat rogatur ad Red.

Catalogi antiquarii

v. Zahn u. Jaensch, Dresden — Cat. 250: Autographen, num. 1—913 (Theologen 446—463, Philologen 464—495). — Cat. 252: Literarische Seltenheiten, num. 1—704. — Cat. 253: Class. Phil. u. Altertumsk., num 1—1484 (Auct. lat. 497—816. Plautus 662—689. Neulat. 1424—1459).

Heinrich Kerler, Ulm — Cat. 413: Seltenheiten (Incunab, Erstausg., Alte Drucke d. 16.-17. Jhrh., Mss. etc.), num. 1—796.

Joseph Jolowicz, Posen — Cat. 182: Klass. Phil., Bildungswes., num. 1—2054 (Latein. Schriftst. 466—818, Neulat. 819—926).

Antiquariat „Niedersachsen", Göttingen — Cat. 144: Class. Phil. II (Sprach., Kunst, Archäol. etc.), num. 1—1454.

Karl W. Hiersemann, Leipzig — Cat. 416: Klass. Phil. u. Altertumsk., num. 1—729 (Lat. Klass. 133—208, Neulat. 209—319).

C. Klincksieck, Paris — Cat. 4 (Nouv. Sér.): Linguistique des 5 Parties du Monde, num. 1—1618 (Grec, Latin 630—646, 707—770).

Summaria Periodicorum

Der Phönix. Illustrierte Zeitschrift für die studierende Jugend, III, 4: G. Sturm, Augustinus — H. Morenhoven, Der Schächer — R. Hänni, Das humanistische Gymnasium und harmonische Menschenbildung (Forts.) — F. v. S., Bilder aus Tientsin und Peking (Forts.) — Schriftwesen und Buchhandel in Hellas und Rom — A. Benesch, Schlangengezücht — A. Paul, Der hartnäckige Schuldner — J. Pardon, Der Fischmarkt — Sprachecke — Spiel und Scherz — Palaestra — Auskunftei.

In num. VII$^{\underline{mo}}$ corrigenda:

Pag.	94	lin. 8	pro	laas	lege	latas
„	97[a]	„ 40	„	iudico	„	iudicio
„	98[a]	„ 35	„	omninum	„	omnium
„	100[a]	„ 45	„	frangogallice	„	franco-[gallice
„	101[1]	„ 36	„	renos	„	renes
„	101[1]	„ 44	„	exitandum	„	exci-[tandum
„	101[a]	„ 13	„	cantem	„	tem
„	103[a]	„ 22	„	1817	„	1819
„	108	„ 13	„	Haec	„	Hae

„ 106 Sententiis nomen Saravinus subscribendum

Libri libellique censurae causa missi:

A. Avellanus, Palaestra. Being the Primer of the Tusculan System of learning, and of teaching Latin to speak. 3rd. Ed. Part I, 1—16.

J. Steinbauer, Aufsatzstoffe für Mittelschulen. Beilage z. Jahresber. d. K. Progymnasiums Windsbach i. Bay. 1911/12. IV + 52. 0.70 ℳ.

W. Kalb, Spezial-Grammatik zur selbständigen Erlernung der römischen Sprache für lateinlose Jünger des Rechts. Leipzig, O. Nemnich, 1910. IX + 310. 7.50 ℳ.

W. Kalb, Wegweiser in die römische Rechtssprache für Absolventen des humanistischen Gymnasiums. Ibidem 1912. IX + 152. Pr. ?

P. Dannenberg, Zimmer- u. Balkonpflanzen (Wissenschaft und Bildung : 58). 2. Aufl. Leipzig, Quelle u. Meyer, 1911. 171. 1.25 ℳ.

S. P. Widmann, Geschichtsel. Missverstandenes und Missverständliches aus der Geschichte. 2. Aufl. Paderborn, Ferd. Schöningh, 1913. 393. 3.20 ℳ.

Sprachkunde. Blätter für Sprachforschung und Sprachlehre. I, 1—3. Berlin-Schöneberg, Langenscheidt'sche Verlagsbuchhandlung, 1913.

Sententiae

Omnia mors poscit. Lex est, non poena, perire.

Seneca

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

Ovidius

Post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum.

Seneca

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M; singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), *pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,* Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., *Baustrasse 10.*

Nomina et domicilia

eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — H. Bigot, Prof. Instit. Carthag., Tunis — Dr. G. Brand, Prof. Gymn., Hagen — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislau — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. Th. Elsaesser, Maredsous — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — F. Gustafsson, Prof. Univ., Helsingfors — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univ., Leiden — Dr. E. Heikel, Helsingfors — V. Hertel, Parochus, Friedelshausen — Dr. J. M. Hoogvliet, Doc. priv., Haag — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — F. J. M. Joseph, Hilversum (Holl.) — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. L. Laurand, Canterbury — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — P. Recanatesi, Prof., Osimo — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univ., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach — J. Tasset, Tonnerre — Dr. H. Weller, Ehingen a. D. — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Typographus: Carolus Wichert Chemnitziensis

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus IX: Numerus IX

— Procurant negotia —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
in Russia: K. L. Ricker, St Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportuensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. IX Francofurti a. M., Mense Iunio MCMXIII Num. IX

In memoriam

Theodori Koerneri, qui abhinc C annos

**in primo flore aetatis clarissimam pro patria mortem oppetivit,
tria poetae patriae amantissimi carmina latine vertit**

Henricus Brand Hagensis.

I
Lutzovi venatio flammifera

De saltu sub sole quid emicat?
  Propinquans sonitus crescit.
Funestis ordinibus advolat,
Et cornuum crepitus personat,
  Riget animus atque horrescit.
Iam homines atros interroga:
Est venatio Lutzovi flammifera.

Quid silvam obscuram corripit,
  Subinde per montes vagatur?
Nocturnas insidias instruit;
Clamore sublato fragor fit,
  Grex Gallica telis necatur.
Iam atros venantes interroga:
Est venatio Lutzovi flammifera.

Ubi obstrepit Rhenus vineta per,
  Tyrannus se ibi occultat —
Ceu fulmen quid venit velociter,
Per undas enititur acriter
  Et hostem ultra assultat?
Iam atros natantes interroga:
Est venatio Lutzovi flammifera.

Quid vallem hic perstrepit acies,
  Tumultu campus miscetur?
Ferocissimi dimicant equites,
Libertatis effulsit illustrior spes
  Et flammis cruentis augetur.
Iam equites atros interroga:
Est venatio Lutzovi flammifera.

Quem animam agere cernimus
  Inter hostes flebiles stratum?
Morientis vultus quam pallidus!
At animus manet interritus;
  Quippe patriae solum servatum!
Iam caesos atros interroga:
Fuit venatio Lutzovi flammifera.

Venatio saeva Germanica
  Carnificum ac tyrannorum!
Lamentis vos parcite, pignora,
Lux oritur, terra est libera,
  Licet magna cum caede nostrorum!
Iam aeva vulgetur in omnia:
Fuit venatio Lutzovi flammifera.

II
Preces militis proeliantis

    Pater, appello te!
Circum involvunt me fumi tonantes,
Undique emicant ignes crepantes.
  Rector pugnarum, appello te!
    Tu, pater, ducas me!

    Tu, pater, ducas me!
Sive victurus, seu moriturus,
Numina tua sum observaturus;
  Sicuti voles, ducas me.
    Deus, agnosco te!

Deus, agnosco te!
Et hiemali ex sono silvarum,
Et crepitante tumultu pugnarum,
Fons tu salutis, agnosco te!
Tu, pater, serva me!

Tu, pater, serva me!
Tibi, o domine, tota mandetur
Anima mea, quae tibi debetur;
Vivum et mortuum serva me!
Domine, laudo te.

Domine, laudo te!
Non proeliamur pro bonis humanis,
Hostem arcemus a focis ac fanis:
Vincens, occumbens laudabo te!
Tibi committo me!

Tibi committo me!
Cum me salutant tonitrua mortis,
Cum fluit sanguis venarum e portis:
Tibi, mi deus, committo me!
Pater, appello te!

III
De gladio carmen

Ad laevam mihi pendens,
Quid vis tam laete splendens?
Tu, ensis, iuvas me
Renidens hilare.
Hurra!

„Me eques habet fortis,
Est splendor meae sortis;
Defendo liberum,
Hinc meum gaudium.
Hurra!"

Nam liber dicor vere;
Te caleo sincere,
Tamquam si sponsa sis
Mi instar virginis.
Hurra!

„Sum tibi dedicata,
Quae ferro sum prognata,
Velut spoponderis.
Me quando nuptam vis?
Hurra!"

O tubae vox canora,
Haec nuptus est aurora:
Mox fragor obstrepat,
Amica prodeat!
Hurra!

„Amore ardens glisco,
Amplexus concupisco.
O sponse, prende me,
Corollam arripe!
Hurra!"

Quid in vagina soni
Auditur ensis boni!
Hei! quae alacritas?
Cur ita resonas?
Hurra!

„Est locus hic sonandi,
Cupido fert bellandi;
Magna 'st alacritas.
Tu, eques, irruas!
Hurra!"

At mane tu in cella,
Hinc quid vis, mea bella?
Exspecta tacita,
Dum eris excita.
Hurra!

„Ne diu me morere;
Quam cupio videre
Rosetum Veneris
Cum rore sanguinis!
Hurra!"

Sit ita! e vagina,
O mea lux, festina,
Huc, ferrum, huc ad me!
Deducam domum te.
Hurra!

„Beatam me sub divo!
Hic sole fulgens vivo,
Choreis gaudeo
Incensa illico.
Hurra!"

Tu, eques acer, surge,
Germana proles, urge!
Iam sponsam teneas,
Amplexu foveas.
Hurra!

Ad laevam cum pendebat,
Furtive tum nitebat;
Ut dextrae iuncta sit,
Nunc caelum annuit.
Hurra!

Proinde suaviare
Os ferreum! amare
Si quis cessaverit
Desertor, sacer sit!
Hurra!

Nunc age cantet illa,
Tu, ferrum, iam scintilla!
En adsunt nuptiae
Nunc sponsae ferreae.
Hurra!

Unumne an duo de Consulatu suo Cicero scripserit poemata

E. Heikel, Adversaria ad Ciceronis de consulatu suo poema.
Diss. Helsingforsiae MCMXII) *)

Jam A. Patricius et P. Manutius, diversorum titulorum specie, ut opinor, maxime in errorem inducti, duo diversa carmina Ciceronem de rebus suis scripsisse existimaverunt, unum, quod De Consulatu inscriberet, et alterum, De Temporibus appellatum, quod eas contineret res, quas exsul Cicero perpessus erat atque ea demum, quae vel in reditu ipso glorioso vel postea facta erant. Primum enim Patricius in editione fragmentorum Ciceronis 1), testimonio usus eorum verborum, quae sunt in epistula ad Lentulum missa, de qua supra dictum est: quod rogas, ut mea tibi scripta mittam, quae post discessum tuum scripserim, etiam hos De Temporibus libros manifesto post discessum Lentuli conscriptos esse contendit. Inde vero effici dicit, cum Lentulus post Metelli et Afranii consulatum, i. e. annum 60, quarto demum anno in Ciliciam profectus sit, libros De Consulatu multo ante perfectos fuisse quam libri De Temporibus inchoati fuerint. Patricium secutus Manutius huic ipsi epistulae huiusmodi notam subiecit 2): [tres libros De Temporibus meis], de exsilio, atque etiam de reditu: in his enim Lentulum, optime de se meritum nominavit. Scripsit etiam versibus tres libros de consulatu suo, sed antequam iret in exsilium, quod lib. II Ad Attic. epist. 3 et lib. I De Divin. c. 11 ostendit. Hic autem Cicero commemoravit, quae post discessum Lentuli, id est post exsilium suum scripserat.

Haec opinio per multas virorum doctorum disceptationes usque ad nostram aetatem permanavit. Ex eorum numero, qui huius sententiae tutores extiterunt, nonnullos nominatos esse velim, quamquam qui quidem opinionem suam diligentia atque ratione confirmare conati sunt, perpaucos cognovi. In iis sunt Heusde, Suringar, Tunstall, Grollmus, Drumann et historiae litterarum Latinarum scriptores Baehr, Teuffel, Schanz.

Heusde Patricii sententiam et explicandi rationem amplexus nullo, quod quidem video, novo argumento addito fulcit. Immo dum maxime praedicat cavendum esse, ne carmina Ciceronis confundendo in errorem incidamus 3), ipse in novum prorsus errorem ruit, quod commemoratis iis verbis, quibus nihil aliud agitur nisi de Latino Ciceronis carmine a Caesare cum Graecorum carminibus comparato 4), etiam **Graecis** versibus Ciceronem aliquid de rebus suis scripsisse concludit. Atque haec nova opinio cum nullo nitatur fundamento, ne ariete quidem eget. 5)

*) Cum typi desint, diductioribus nos literis utimur, ubi auctor *cursivis*, **crassis**, ubi ille diductioribus. Verba ad priores opusculi paginas lectorem revocantia omittere mihi licuisse existimavi. Red.

1) Pag. 184. — 2) Comm. in epp. Ad Diversos, Francofurti 1580, pag. 130. — 3) M. Tullius Cicero φιλοπλάτων. Traiecti ad Rhen. 1836, pag. 55. — 4) Ep. Ad Qu. Fr. II. 16: Quomodonam, mi frater, de nostris versibus Caesar? Nam primum se legisse scripsit ad me ante, et prima sic, ut neget se **ne Graeca quidem meliora legisse.** Reliqua ad quendam locum ῥᾳθυμότερα. Hoc enim utitur verbo. Dic mihi verum, num aut res eum aut χαρακτήρ non delectat?

5) In eodem errore Middleton versatur (The Life of M. T. Cicero. London 1823, I, pag. 497), refutaturque a Tunstallo (Epistula ad Middleton. Cartabrigiae 1741, pag. 102). Baehr vero (Gesch. d. Röm. Lit., I, pag. 483), ex eodem loco,

Ii, qui duo carmina fuisse statuunt, hac fere disputandi ratione utuntur.

Ciceronem, cum a Lucceio non impetravisset, hic ut res a se gestas illustraret, dicunt coactum esse facere, id quod fortasse facturum se esse praedixerat, ut et de se ipse scriberet carmen, quod contineret fabulam rerum eventorumque suorum, quae varios actus haberet multasque actiones et consiliorum et temporum, et hoc opere exsilium atque reditum illum gloriosum exponeret. 6) Hos vero libros De Temporibus inscriptos esse ex epistula a nobis saepius commemorata (Ad Fam. I. 9) coniciunt. Temporum autem vocem hic eadem fere significare atque **tempora miseriarum calamitatumque.** 7) Eodem enim modo a Cicerone ipso hoc vocabulum saepius usurpatum esse. 8) Iidem profitentur se minus intellegere, quid fuerit causae, cur Ciceronis De Consulatu carmen, si iam anno 60 absolutum esset, tam diu in scriniis conclusum latitasset; immo veri simile esse eum, qua esset gloriae cupiditate, ut ad umbilicum perduxisset, statim publici iuris fecisse. 9) Et primo quidem adspectu gravissimo huius rei testimonio Schanz 10) et Grollmus 11) videntur uti hoc: quoniam libri De Temporibus anno 54 nondum essent editi (quos iam pridem ad te misissem, si esse edendos putassem), ex alio quodam carmine necessario sumptum esse versum

Cedant arma togae, concedat laurea laudi,

quem in oratione Pisoniana 12) anno 55 habita Cicero defendit. Hoc carmen fuisse, quod De Consulatu inscriptum erat, manifestum et omnibus probatum esse docent, indeque recte concludi carmen De Consulatu certe ante annum 55 ideoque etiam prius quam alterum illud opus divulgatum esse; atque ob hoc ipsum nihil esse evidentius quam duo diversa carmina Ciceronem de rebus a se gestis condidisse.

Haec quamvis gravia, tollenda tamen sunt. Quod quo facilius fiat, auxilio utar viri cuiusdam litteris Latinis eruditissimi. Dudum enim mihi quidem G. Vossius veram in hac re sententiam comprehendisse videtur atque felicissime explanavisse, quae inter diversos titulos, qui dicuntur, ratio intercedat. Ita enim de hac re disputat 13): Latine autem de consulatu suo quidem scripsit, sed carmine, idque tribus libris. In secundo De Consulatu Urania musa loquebatur, ut

---

ut opinor, profectus, Ciceronis versus initio Graece compositos esse docet, tum in Latinum sermonem conversos! Testimonium adfert nullum.

6) Cfr. Heusde L. d. pag. 56 et supra quae attulimus pag. 26 sq. ep. ad Lucceium §§ 6 et 8.

7) „vel similiter“ intellegendam Grollmus dicit (De M. Tullio Cicerone poeta. Regimonti 1887, pag. 35); cfr. Suringar De Romanis autobiographis. Progr. Lugd. Bat. 1846, Tunstall L. d. pag. 105. (Sed ut nos **tempora** hodie appellamus tempora novissimorum bellorum civilium (!), ita et Cicero calamitosa illa tempora exsilii sui **sua tempora** ἐμφατικῶς appellat). Drumann, Hist. Rom. vol. VI pag. 20 § 62, Schanz Geschichte der Römischen Literatur I. II pagg. 387 sq., 390.

8) Adferunt locis supra nominatis Tunstall Pro Planc. XXXX, Ad Att. VIII. 12, Ad Fam. I. 9. 3, II 6, Grollmus ultro Ad Fam. I. 6. 2 et Drumann Pro Sext. LVIII. Drumann vero ita disputat: (a. 55) Die Freude über seine geistige Schöpfungen wurde doch immer von dem Schmerze über seine Musse und die erlittenen Kränkungen überwogen. Durch die Verhandlungen über die Consular-Provinzen im vorigen Jahre und dann durch den Streit mit Piso im Senat war er an seine Bedrängnisse, an die Zeit, in welcher man in ihm den Retter des Reiches verfolgte, auf das empfindlichste erinnert. — — Wie er nun stets das Bedürfnis fühlte, mit Worten darzustellen, was in seinem Innern sich bewegte, so verfasste er jetzt ein Gedicht über seine Leidenszeit in drei Büchern (scripsi versibus tres libros de temporibus meis, ad Fam. I. 9. 8). Es betraf Verbannung und Rückkehr und ist von dem lateinischen Gedichte über sein Consulat aus dem Jahre 60 — —, von den Anecdota — — und von dem Gedichte, welches 59 für Caesar bestimmt wurde — —, zu unterscheiden.

9) Cfr. Tunstall L. d. pag. 104 sq., Grollmus L. d. pag. 73.

10) L. d. I. II pag. 390. — 11) Vide ibid. — 12) XXIX. 72 sqq.

13) De Historicis Latinis libb. III. 2 ed. Lugd. Batav. 1651 pag. 51 sqq.

constat ex primo De Divinatione, in tertio autem Calliope, ut liquet ex lib. II ad Att. ep. III. Meminit eorum etiam librorum epist. VI lib. I ad Att., ubi tertium poema expectare iubet. Item Lactantius lib. III cap. XVII et Nonius in Eventus. Aliter autem persuadere mihi non possum quam eosdem libros designari a Cicerone epist. ad Lentulum, quae est nona libri primi ad famil.: Scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis e. q. s. Andreae tamen Patricio, uti etiam Paulo Manutio, diversi videntur, quia libri De Consulatu Afranio et Metello consulibus fuerint perfecti, hos autem De Temporibus suis inter eos reponat, quos scripserit post discessum Lentuli in Ciliciam; at post eos consules anno demum quarto Lentulus in provinciam est profectus. Est hoc sane alicuius coloris argumentum. **Sed cui verisimile fiat Ciceronem bis de rebus a se gestis scripsisse, idque versibus et totidem, tribus nempe libris? Quare ita credere malo, eos quidem libros a Cicerone fuisse ante exsilium scriptos, sed non esse publici iuris factos. Post reditum autem ab exsilio ac imprimis post Lentuli discessum revocatos fuisse ad incudem, ut novi possent videri.**

Verum tam firmum num hoc est trium verborum fundamentum, in quo posita est sententia Patricii et Manutii, ut ne Vossio quidem id labefactare contigerit, si quidem nullo impetu facto praeterit ultroque concedit „alicuius coloris argumentum" esse? Immo si locum illum epistulae ad Lentulum, de industria paulo fusius a nobis enarratum supra, conspexeris, iam apparebit ista verba „post discessum tuum" parum admodum valere ad eam rem, ad quam revocant Patricius ac Manutius. Ad eas quidem res, quae proxime sequuntur, scilicet ad orationes et De Oratore libros, de quibus loquitur Tullius, re vera pertinet hoc temporis indicium nec quisquam negaverit pertinere. At quae longo intervallo sequuntur verba: scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis, quis iam velit post eandem temporis metam reponere? Hoc vereor ne aeque supervacaneum sit ac mare traicere pisces captatum. Equidem ita censeo, nullum ex illo loco argumentum erui posse, quo hoc opus post annum 56 scriptum esse evincatur.

Ex epistula ad Lucceium missa non multum redundare videtur ad distinguendas temporum rationes. Coniecturae tamen patent. Dicit Cicero, si causam suam historico non probaret, ipsum de se scripturum esse et subiecturum sese vituperationibus civium. Nonne igitur veri simile est carmen De Consulatu nondum esse divulgatum? 14) Destitutus a Lucceio carmen suum, ut mea fert opinio, a principio coniurationis usque ad reditum 15) producit, anno sequenti per Atticum historico tradendum curat. 16) Biennio postquam cum Lucceio egerat, libro interim cum compluribus iam communicato, in epistula ad Lentulum missa indicat se scripsisse versibus tres libros de temporibus suis. At dicunt hoc non fuisse carmen De Consulatu, sed eos spectari libros, quibus exsilium atque reditum expandit, id est tempora, quae appellant, miseriarum calamitatumque. An etiam reditus calamitas? 17) At quaerendum est,

---

14) Cfr. Spalding ad Quint. Inst. Orat. XI. 1. 24: Esse depromptos (versus quos adfert Quint.) ex carmine heroico De suo Consulatu vel De suis Temporibus satis apparet. Nec dubito, quin hi tituli sint eiusdem operis, cum Manutius diversa carmina existimet ad Familiar. I. 9. p. Graev. 91. **Nihildum condidisse de rebus suis Ciceronem aperte colligo ex epistula ad Lucceium Famil. V. 12.** — Ὑπόμνημα illud, quod constat anno 60 editum esse, in Graecia fortasse maxime dispersum erat, cfr. Ad Att. II. 1: — conturbavi Graecam nationem. — Tu curabis, ut et Athenis sit et in ceteris oppidis Graeciae. Videtur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre. —

15 Cfr. ep. ad Lucceium, Ad. Famil. V. 12, § 4. — 16 Ad Att. IV. 11.

17) Grollmus, cum (pag. 34 sq.) docet causam novi carminis componendi exsilium reditumque fuisse enumeratis omnibus fere rebus, quas in hoc carmine canendas fuisse arbitraretur, adserit etiam: **sive ut splendor reditus a Brundisio per Italiam usque in Urbem nobilitaretur.** Paulo vero infra de titulo illo: **Tempora**

quod quidem non satis accurate demonstratum est, num angustias atque procellas tantum vitae suae tempora sua Cicero nominare consueverit. Iis quidem locis, quos attulerunt Tunstall, Drumann, Grotlmus, iniuriarum ab inimicis inlatarum et exsilii praecipue memor videtur fuisse, cum loqueretur de suis temporibus. 18) Alii tamen loci inveniuntur, in quibus similiter prorsus atque hic posita vox illa alium plane sensum habeat. Eius modi haec sunt, quae in epistula ad Plancum Cicero scribit 19): quae (scil. res publ.) si ad **tuum tempus** (i. e. ad **consulatum tuum,** de quo supra: sollicitat — — — expectatio consulatus tui, quae ita longa est, ut optandum sit, ut possimus ad id tempus rei publicae spiritum ducere) perducitur, facilis gubernatio est. Praeterea notum est saepius Ciceronem de **temporum suorum varietate** 20) locutum esse atque etiam de **temporibus civilibus** 21), quae sine dubio ad rem publicam pertinent atque ad res novandas. Et quod permagni ad hanc quam tractamus quaestionem momenti videtur esse, praecipue de varietate atque vicissitudinibus temporum suorum Cicero monet, cum historiam vitae suae scribendam commendat. Quid quod ipsi illi viri docti, qui duobus carminibus Ciceronem res a se gestas cecinisse statuunt illudque posterius calamitatum praecipue historiam continuisse, eodem tamen opere id consilium Tullium persequi voluisse dicunt, cui Lucceius non satisfecisset, scilicet ut expanderetur fabula rerum eventorumque suorum, quae varios actus haberet multasque actiones et consiliorum et temporum? Tantane igitur in calamitatibus varietas? Quodsi ex illa epistula coniectura recte capietur et aliquid concludetur denique, id mihi videtur ante omnia esse memorandum, quod ipse Tullius a principio coniurationis ad reditum suum modicum quoddam opus confici posse demonstrat totamque per epistulam hanc materiam cum ad scribendum idoneam tum vero varietatis temporum consiliorumque atque delectationis plenam esse confirmat. Quid igitur veri similius quam ipsum postea hanc materiam adripuisse carmenque suum a principio coniurationis inceptum usque ad reditum extendisse?

hic intellegenda sunt tempora miseriarum calamitatumque, i. e. exsilium (reditusque). Lepide ille quidem, ubi minus congruunt, quae disserit, minime consentanea uncis quasi mitigare conatur.

18) Eum tamen locum, qui est Ad Att. VIII, 12 dubito num recte Tunstall huc revocaverit. Ibi enim quoniam Cicero de tristitia illorum temporum loquitur, haec vox per se ipsa nihil aliud significare videtur quam quodvis temporis momentum.

19) Ad Fam. X. 1.

20) Cfr. Ad Fam. VI. 6: ne nos quidem nostra divinatio fallet, quam — — praeceptis plurimoque — — doctrinae studio, tum magno etiam usu tractandae rei publicae **magnaque nostrorum temporum varietate** consecuti sumus.

21) Ibid. paulo infra: Notantur — — ad divinandum signa duplici — — via: quarum alteram duco a Caesare ipso, alteram **e temporum civilium natura atque ratione.**

In Memoriam Hartleyi

symphoniacorum in Titanica nave magistri fortissimi

Vivit adhuc, immo reviviscit anno nunc elapso recordatio illius, qua nulla maior in mari accidit, calamitatis, naufragii dico interitusque navis britannicae, quae ob immensam magnitudinem ab iis, qui eam aedificaverant, Titanica erat appellata. Solvit ea, ut primum trans Oceanum iter ingrederetur, decimo die Aprilis Southamptone postridieque eius diei, plus duo milia portans hominum, e portu Queenstownensi provecta est in altum. At quis eorum, qui se vitamque suam ingenti et quod solidissimum omnium videbatur navigio commiserant, putavit sese ultimum tum et Europae valedixisse et suis! Nam vix triduo post, nocte solis inter lunaeque diem media, navis prope

Cape Race, quod vocatur, promunturium tanta vi glaciata quadam mole in mari natante impacta est, ut, cum praesertim numerus scapharum servandis vectoribus destinatarum nequaquam sufficeret, plus mille sexcenti homines aqua haurirentur. Ac multo plures eodem interiissent fato, si non alia navis vaporaria, nomine Carpathia, quae a Philippsio, telegraphi administro in ipso mortis discrimine officium suum praestante, arcessita erat, ceteros circiter septingentos excepisset.

Noctis illius memoria quantas tragoedias excitat! Quos ploratus cum fluctibus luctantium, quot querelas uxorum coniuges, fratrum sorores, parentum liberos ipsorum sub oculis perire videntium, quos intereunte in navi relictorum clamores ac lamentationes! Dignum sane, quamvis horrescat animus, argumentum, quod carmine terrores naufragii virorumque in fungendo officio constantiam narrante celebretur. Audiamus, quam egregie socius noster, professor Damsté Ultraiectinus, operi huic a se ipso suscepto suffecerit.

At vos, sidereae, quas nulla aequaverit aetas,
Ite, decus terrarum, animae, venerabile vulgus,
Elysium et castas sedes decorate piorum!
Silius Italicus

Splendida regali puppis Titanica luxu
Sulcat Atlanteos fluctus, vi mota vaporis,
Europaeque oris longe post terga relictis
Nititur in Tellure Nova contingere metam.
Tempore nocturno gelidi secat aequora ponti
Navis, ab intrepidis portu deducta Britannis,
Nec mora nec requies ulla est: data iussa facessit,
Ut quas exsuperat forma spatioque capaci,
Cunctis se doceat cursu praestare carinis.
Vertragus Oceani princeps — cupit ipsa vocari
Hoc titulo nomenque suum volitare per orbem.
Ocius assidue caecas perlabitur undas:
Sit pelagi facies spissis obducta tenebris —
Vel Stygiam pellunt electrica lumina noctem;
Emineant vasto glaciati gurgite montes —
Anne gelu concreta potest unda illa nocere,
Indomitam tuto quam prora findit acuta?
Aut hunc ulla valet lembum submergere aquae vis,
Partibus impletis qui sit fluitare paratus?
Caerula lata iacent, nullis iam concita ventis;
Cuncta silent: reddit sonitus iam cochlea sola,
A puppi quae perpetuo ferit aequora pulsu
Percellitque tremore ratem properamque propellit.
Vectorum populus — non tanta frequentia multis
Oppidulis habitat — carpit per membra soporem,
Otia quo recreent aegras in crastina vires.
At tamen haud cunctis licuit succumbere somno:
Invigilant nautae, quibus est custodia navis
Credita perque vices noctem speculantur opacam.
Sic per aquas sine fine ruit Titania moles.

Progreditur secura viae — tonat omne fragore
Navigii corpus subito; tum machina vasta,
Corda ratis quae sunt, cessat: sursum volat ingens
Vis hominum, quaerens causas motusque moraeque.
Nil ibi triste vident, sed vix formidine missa
In casulas rediere suas, cum iussa magistri
Dira sonant: vox maesta foros perfertur in imos,

Ut constrata petant navis velociter omnes
Neve salutares spernant constringere zonas!
Haud mora, festinant cuncti rursusque sub auras
Evasere simul: sensim subsidere proram
Heu! cernunt, animis at surgit mortis imago!
Rasit enim glaciem rigidam mersamque profundo
Forte carina ruens et rimam duxit hiantem.
Stat collecta manus, stat celso ponte magister.
'Eia in aquas', ait ille, 'viri, demittite cumbas,
Quas cum pignoribus conscendat femina turba!'
Non armis opus est, non verba minantia dantur —
Imperio parent omnes: discedere lintres
Densa phalanx videt atque imperturbata virorum
Cumque viris quas fidus amor restare coëgit.
At vero quamquam superest spes nulla relictis,
Viva manet vel sic morituris cura suorum,
Quos fragiles passim portant super alta phaseli.
Telegraphi, praeclara cohors, patienter in omnes
Significant partes radiisque loquacibus instant
Auxilioque vocant naves — iam signa per auras
Carpathiam tetigere ratem: ruit impete vasto
Et mox excipiet tenerum delata popellum,
At non inveniet vulgus sublime vocantum.
Interea fracta quamvis a nave remotum
Usque agmen muliebre oculos defigit eodem
Iamque odio vita est, tanta mercede parata,
Naufraga cum pubes sacro ferit aequora cantu!
Quis credat? Iuvenes laetis concentibus aures,
Dum fortuna fuit, qui permulcere solebant,
Vicina iam morte pio modulamine corda
Anxia confirmant: resonant freta caerula late
Carmine solemni, curarum dulce levamen
Supremumque vale quod sit patriaeque suisque:

Te propius, Genitor, mihi mox accedere detur!
        Sint Tua per duras Regna adeunda cruces,
Suppliciter clara semper Te voce precabor:
        Te propius sistas me, Pater Omnipotens!

Ut premar aerumnis, atra ceu nocte viator,
        Et pro pulvino sit mihi nuda silex,
Occiduo iam sole tamen solatia perstant:
        Mi Pater, in somnis vivere Te propius.

Sic, o, sic videam, Caelum quo tramite tangam,
        Sic quaecumque mihi Gratia tanta tulit,
Nec non angelicos coetus sine fine vocantes,
        Ut iam Te propius, Summe Pater, veniam.

Deinde animo vigilante Tui iam laude serenus
        Moliar ex salebris ardua templa meis,
Tristibus ut curis aegrisque laboribus ipsis
        Te propius verser, mi Pater, assidue!

Vixdum finierant, casus miseratus acerbos
Tot fortes animas Deus arcessivit in aulam
Aethoream caelique beata sede locavit.
At ratis Oceani sensim desidit in ima.
Interiens illas adeo se condit in undas,
Quas cursu rabido secuit, quas verbere torto
Caedere non verita est: iacet, en, Titanica puppis
In ponti gremio properata sorte sepulta.
Illa suum voluit nomen volitare per orbem,
Iamque per ora virum volitat, sed flebile ubique
Insonat, immanis nusquam non causa doloris,
Semper at illorum renovans praeconia laudum,
Quos sub caeruleis Titanica contegit undis.
Anglia, Londini est templum tibi nobile et ingens,
Heroi quod idem vice fungitur, utpote iusta
Reddere ibi solita es illis sedemque sepulcri,
Quos bene promeritos de te iam fata tulerunt,
Religiosa domus, nec abest sua cella poëtis.
At vero procul inde heroum surgit in imis
Oceani, quod non nitido de marmore structum,
Donec erit tellus, aetas venerabitur omnis
Nec nisi nudato transibit vertice nauta.
Sunt hic nempe siti placidaque hic pace quiescunt
Qui novere animo constanti linquere lucem,
Praecepti memores, quod Nelson tradidit olim,
Verbis pro tumidis classi cum tessera missa est:
‚Officio iam quisque suo fungatur oportet'.
Nec tamen hos vitae pretium praesigne manebat,
Morte sua taetrum populis fregisse tyrannum:
Officii fuit unus honor mens conscia recti!
Haud frustra cecidere: monent tot funera coram,
Ipsa sibi pretium quam sit venerabile virtus.
Iamque valete, animae fortes gentisque Britannae
Immortale decus! Memori vos mente colemus,
Heroes, siquidem vestrum mirabile letum
Humano generi manet aeternumque manebit!

Quis autem is fuit, qui ipse mortem praevidens animos hominum secum intereuntium, dum canticum illud, quod qui audiunt, mirifice commoventur, cani iubet, ad res convertit caelestes? Aequum est huius quoque viri fortissimi officiique sui diligentissimi nomen ad posteritatem pervenire. Wallace Hartley erat ei nomen habuitque dignum magnanimitate sua funus: ne rex quidem sollemnius et magnificius efferri potuit. Nam cum dies appropinquasset, quo corpus eius patriae, ut par erat, terrae redderetur, multa milia hominum e longinquis etiam locis undique Colunionem, quod Colne hodie vocatur oppidum, confluebant, ut, ubi natus erat symphoniacorum magister, ibi supremo quoque eum prosequerentur honore. Nemo eo die solita sua negotia obibat: clausae omnes oppidi tabernae erant, desertae fabricae atque officinae. Demissa passim vexilla communem totius civitatis luctum significabant. In viis autem, per quas exsequiae ducebantur, tanta erat hominum frequentia, ut triginta fere milia ita funeri interfuisse dicant. Ac tantopere gravitate rei atque sanctitate omnium animi commovebantur, ut muta ingens illa multitudo plaustrum, quo corpus Hartleyi ad sepulturae locum deveheretur, exspectarent. Quod cum ipsum appropinquaret, redis in quibus propinqui mortui sedebant, comitatum, tum omnes tacito quodam consensu capita aperuerunt nudatisque capitibus pompam viderunt praeterire. Constiterant, qui in funus venerant, ad parvam illam Methodistarum aediculam, in qua defuncti pater quinque et viginti per

annos canentium choro praefuerat filiusque ipse olim musicae arti operam dare coeperat. Qui comitarentur exsequias, non solum magistratus Coluniensis miserat, sed legio quoque, in qua Hartleyus stipendia fecerat, itemque vicinorum oppidorum, quae musicen colunt, collegia atque societates. Quinque symphoniacorum chori exsequias concentu funebri prosequebantur, qui, cum in coemeterium advenissent mortuusque tumulo inferretur, illum simul coeperunt hymnum, quem Hartleyus, cum Titanica sidere coepisset, famulos suos ad non dubiam mortem concurrentes canere iusserat. Tum vix erant, qui lacrimas cohiberent. —

Nunc vir ille fortissimus in terra quiescit; manebit vero apud posteros quoque memoria eius, qui intrepido animo exitum exspectans musicen tamquam numen invocavit, ut hominibus de salute vitaque desperantibus in ipsa morte eam adhiberet consolationem, quae illis horis sola posita erat in hominum potestate.

Hymnus autem, qui ex illa occasione singulari immortalitatem est adeptus, ut iis quoque, qui non noverint eum, fieret notus, Palata noster et ipse eum latine reddidit his, quae sequuntur, strophis, quas lectoribus nostris placituras esse iure videmur sperare.

Ad Te ferre gradum fas mihi sit, Deus!
Pressus mole gravi sollicitudinis,
os sublime tamen pulvereo solo
tollo, Dive, Tibi laetus et incino:
Ad Te ferre gradum fas mihi sit, Deus!

Solis dulce iubar cum cadit in mare
caligoque viae me premit inscium:
impono lapidi vel rigido caput
declinansque levi lumina somnio
ad Te mi videor ferre, Deus, gradum!

Ad convexa poli semita fert mea?
Fac, quaeso, docear! Quas mihi dextera
aerumnas Tua dat, suscipio libens
ceu caeli genios, qui propius iubent
ad Te, summe Deus, vertere me gradum!

Quando pulsus abit luminibus sopor,
laudes, Dive, Tibi psallere gestio
delubroque Tuo, queis crucior, mala
consecro: mihi ius nempe dabit dolor
exhaustus prope Te ferre, Deus,
[gradum.

Cum vinclis animus corporis avolans,
pennis astra super solis et orbitam
sedes aethereas ocior appetet:
Ad Te ferre gradus — incinet obvius —
ad Te ferre gradus fas mihi sit, Deus!

E Circulo Lectorum

Desiderantur hi libelli:

1. Fidelis. Nuntius adest! Carmina latina. Ernst und Scherz aus dem politischen Leben der Gegenwart. Berlin 1880.
2. H. Stadelmann, Zeitklänge. Gaben d. deutschen u. röm. Muse. Memmingen 1872.
3. K. H. Ulrichs, Apicula Latina. Latein. Studentenlieder. Leipzig 1880.
4. J. Richter, Griech. u. latein. Lieder. Berlin 1871.

Quorum si quis quem habeat venalem, offerat velim indicato pretio Redact. S. L.

Libri latini nostra aetate prodeuntes

Prudentissimum Lucasculi nostri consilium sequentes hac sub inscriptione omnium deinceps librorum titulos indicabimus latine scriptorum. Qua in enumeratione ut certus, a quo ordiamur, terminus ponatur, retrogradiemur usque ad initium anni: ante hoc tempus editi libri omittentur. Omittentur quoque veterum scriptorum opera, nisi commentario vel praefatione saltem latina sint instructa; novae tamen editiones cuiuslibet libri secundum has conditiones in indicem recipiendi publicabuntur.

Hoc dum promittimus, non sumus nescii rem a nobis susceptam haud parvae esse difficultatis. Speramus autem lectores nostros, qua sunt fueruntque erga nos benevolentia, nos, quam maxime possint, esse adiuturos, idque ut faciant, peregrinos imprimis amicos vehementer rogamus atque oramus. Ed. et Red.

1. J. C. Wordsworth, Folia Poetica. Cambridge, W. Heffer & Sons, 1913. 71. 1sh.

In numero VIII^{vo} corrigenda:

pag. 111²	lin. 8	pro pronenda	lege	ponenda
„ 118	„ 28	„ At	„	Ast
„ 121¹	„ 9	„ aliquam	„	aliquam-
„ 121²	„ 33	„ apparabit	„	apparebit
„ 122²	„ 15	„ presertim	„	praesertim

Maria, Filii sui peracto funere, Ierusalem repetens

Supremus tumuli quum datus est honor
Jesu, terribili qui periit Cruce,
Mater Virgo reverti
quamprimum properat domum.

Pergit plena novis illa doloribus:
nam vivum nec habet nunc neque mortuum
Natum! Saepe sepulchrum
tristi lumine respicit.

Inspectam, gemitu pressa, Crucem venit
amplecti, recolit primaque laudibus:
ut nos id faceremus
exemplum dedit inclytum.

Amplexam, querulis alloquitur Crucem
verbis hisce gemens: «O pia, quae meum
Natum sustinuisti,
mundi dum lueret nefas:

»Salve, tincta Dei sanguine Filii
Arbor, perpetuae quae sacra possides
Vitae semina! Vivent
fructus qui comedent tuos.

»Salve supplicium mancipiis prius,
nunc regum capiti praecipuum decus;
salve terror Averni;
salve, Christiadum salus!

»In te finem habuit tota Redemptio
mundi, quae gremio coeperat in meo;
hinc felicior es me,
O Crux, morte potentior.

»Humani generis vertis Adae scelus
in sortem; stygios conteris hostium
nixus, atque perennis
es mundo benedictio.

»Infelix nimium, si requiescere
sub te quis renuat; dignus honoribus
summis, terque beatus,
qui te corde gerat pio.»

Mox sacrum per iter quâ reverentiâ
et curâ graditur, Sanguinis, ingemens
quas cernit, sacrosanctas
guttas ne pedibus terat.

»Istum sacrilego qui pede Sanguinem
calcatis miseri, sive malis sonis,
Vae vobis! . . . documenta
tandem discite Virginis.«

Tecti in limine pro Virgine gratias
carus Discipulus dat comitantibus . . .
Natum surgere sperans,
Mater sola dolens manet.

Ausae Hispan. I. FONTS, PTER.

Ex Epistulario Redactoris

H... B... Voldemaro Lommatio,
S. L. redactori clarissimo, s. p. d:

Ut pollicitus sum, commentario tuo inserenda pergo tibi mittere, quae plerique rident neque scilicet alia de causa rident, quam quod latina sunt. Etenim latinos me versus pangere cum cognoverunt, unus: ‚Indignus es', inquit, ‚qui lucem huius saeculi aspicias. Si non vis patria, at Esperantistarum saltem lingua debes uti!' alter: ‚Cum idem Opitium, quod contemptum linguae teutonicae indignatus contra morem aequalium suorum doctorum poemata condidit germanice, apud discipulos laudibus ornes, pudetne te versus facere latinos non modo non fugere, sed etiam — horribile dictu! — nostrorum poetarum carmina in sermonem latinum convertere aggressum esse?' tertius parum logice: ‚Valde miror te omnium rerum obsoletarum atque obscurarum exagitatorem tua sponte ei linguae praeter cetera studere, qua Malleus maleficarum, Syllabus, alia eiusmodi conscripta sunt.' His talibusque et iocose et serio dictis cum invehuntur in me, ‚demitto auriculas.'

Neque vero idcirco omitto, quod facere fert animus; qui iam ita fert, ut nonnunquam latinos versus non possim non scribere. Itaque novissime, quod uxor mea cantare solet, carmen illud, quo Valtarius a Stolzing, unde ipse poesim artemque canendi didicerit, apud cantorum magistros vel antistites profitetur, latine reddidi metrum adhibens Asclepiadeum quartum, quod dicitur; praeterea elegiam composui, cuius ipsum argumentum meum est neque id fictum. Quae duo opuscula his litteris adiunxi; spero ea tibi accepta fore.

In quo S. L. numero versiones meas publicare cogitas? Quod scire velim ut aliis ex me id quaerentibus respon. dere possim.

Vale ac mihi favere perge!

D. a. d. III. kal. Apriles H... V..,

Sententia

Qui vult honorem, non emat pecunia,
sed mente recta verum honorem comparet!

Textus Latine Reddendi Exempla:

Germanice et latine

Das Erlernen von Sprachen

Wenn ein Maurer in ein Land käme, wo die Ziegel in einer anderen Ordnung gelegt werden müssen als die Ordnung, an welche er gewöhnt ist, so glaube ich, dass, wenn er gesunden Menschenverstand hat, er nicht seine **ganze** Zeit mit dem Herbeiholen von immer mehr Ziegeln zubringen wird. Er wird **vor allem** versuchen, sich an die neue Art des Ziegellegens zu gewöhnen, sonst würde er in seine **alte** Arbeitsweise verfallen, was in diesem Lande zwecklos wäre.

Ganz so ist es mit deinem Studium einer fremden Sprache.

Versuche zuerst, dich an die neue Art des Legens deiner Ziegel — deiner Satzglieder — zu gewöhnen und suche dir alle Wörter, die du brauchst, erst dann, wenn du fühlst, dass du imstande bist, sie zu bilden, resp. zu verbinden. Denn, welchen Zweck hat die Anhäufung einer grossen Zahl von Wörtern, wenn es dir an Geschicklichkeit mangelt, sie zu verbinden?

Du willst doch nicht wie der Geizhals sein, welcher Schätze anhäuft, die er weder brauchen kann, noch will!

Ausserdem, wenn du zwei Dinge zu gleicher Zeit tust, ergeht es dir wie jenem Hund, der nach dem Fleisch des anderen Hundes im Wasser schnappen wollte, dabei aber sein eigenes fallen liess.

Aedium faber si venerit in terram, ubi saxa alio atque ipse consuevit ordine ponuntur, illum — si quidem sanae mentis est — vix totum tempus consumpturum puto in caementis subvehendis, sed id imprimis acturum, ut novum ordinem saxa ponendi discat neve in pristinam aedificandi consuetudinem recidat, ut quae in illa terra nihil iuvet.

Idem in discendo alieno sermone tibi faciendum.

Ac primum quidem ad novam rationem adsuesce saxa componendi, quae sunt membra orationis, atque quae desideras vocabula, tum demum conquire, cum ea inter se coniungere posse te intellexeris. Quorsum enim vocabula coacervantur, si arte careas ea componendi?

Num imitari est in animo hominem avarum opes coacervantem, quibus uti neque possit neque velit?

Praeterea si duabus rebus simul operam navabis, idem tibi accidet, quod cani illi famoso, qui dum alterius, quem vidit in aqua, carnem captat, suam ex ore amisit.

Lat. redd. **Dr. P. Lieger Vindobonensis.**

(**A. Ripper, Bewegliche Grammatik** (Würfelgrammatik) für Englisch, Französisch, Lateinisch **Brünn** (Mähr.), Rennerg. 8. Nova discendi ratio tam severo studio quam iucundo ludo idonea.)

Varia

Inops, potentem dum vult imitari, perit.

Editor esperantisticae, quae 'La Belga Sonorilo' vocatur, ephemeridis posteriore anno variis linguarum commenticiarum inventoribus francogallicam quandam de artium literarumque progressu commentatiunculam proposuerat, ut suo quisque eam sermone interpretaretur. Publicatae sunt usque adhuc decem versiones, quarum, cum ipsae longiores sint, initia tantum hic lectoribus nostris legenda offerimus atque comparanda.

Textus francogallicus:

Progrès. — Me voici septuagénaire. En mes primes années, je connus des hommes qui avaient alors l'âge que j'ai aujourd'hui.

1. Reform-Neutral (W. Rosenberger):

Progress. — I av (ancianitet de) septent annui.

In mie prim annui i cognossav homi, queli avav alor tant annui, quant i av nu.

2. Interlingua (U. Basso):
Progresso. — Ecce me septuagenario.
In meo primo annos, me habe cognito de homines, que habeba, in illo tempore, etate que me habe hodie.
3. Auli. (E. de Wahl):
Progress. — Mi nun have setenti annus.
En mu unésim annus mi conossei homes, quel havei alor li età quel mi have hodie.
4. Romanal (M. Boningue):
Progresse. — Ecce yo fian septentero.
En mi primi annes yo cogniton homos qui haban alor l'eve quel yo han hodie.
5. Omnez (S. Bond):
Progresio. — Hik mi esa sepentu!
In me prim anus, mi konosi homos, qui evi alor tam quam mi eva hodie.
6. Perfekt (A. Hartl):
Progress. — En eo septuagenar.
In meo primo anns, eo novi homs, qvi habeba tunc aetat qve eo habe nunc.
Esperanto (S. Linardi):
Progreso. — Jen mi estas sepdekjara.
Dum miaj unuaj jaroj mi konis homojn kiuj tiam havis la aghon kiun mi havas hodiau.
8. Europal (J. Weisbart):
Progrese. — Videt me sepdezanuere.
In mei unti vive-anues i konit homes vi havit dan de olditee vi i havan hoit.
9. Kosmopolito (R. de Saussure):
Progreso. — Yen mi esas sepdekyaranu.
En mies unesman yaron mi konocis homon, quin tende havis la evo, i qui mi havas nun.
10. Ido (B. S.):
Progresado. — Me esas sepdekyara.
En mea unesma yari me konocis homi, qui esis lore tam evoza kam me esas ca-die.
Credo nec infitior omnes hoc viros nil nisi generi humano inservire studentes summam posuisse operam in ea, quae optima ipsis videatur, lingua universali excogitanda. Ät qui perlegit singulas sententias, nonne ei barbari tamquam videntur latine balbutire? Ego quidem illud admirari non desinam, quot qualibusque artificiis quisque inventorum utatur, ne ... ridicule dictu! ... in ipsas latinae linguae incidat formas. Quamquam affirmant omnes se romani sermonis niti fundamento! Num difficilius est homini exculto — nam ad hos solos res pertinet — veram discere latinitatem quam novatam, mutatam, mutilatam? —
Ecce me septuagenarium.
Primis meis annis noveram homines, qui tum eandem quam ego nunc habebant aetatem. L.

Militiae Sacramentum

Scripsit Jacobus Tassetius.

Tribunus. Pagani nonnulli, qui praelium expertes sacramenti nefarie commiserunt, sacerdotis ministerium debita poena morituri postulant.
Sacerdos. Singulis seorsum audiendis praesto sum. (Exit tribunus)
Aleph (ingreditur). Pecuniam, ante bellum, furatus sum patrono.
Sacerdos (secum). Ah peccatum sordidum!
Aleph. Meretrici . . .
Sacerdos. Detestare ista. Scelus furto gravius fecistine?
Aleph. Nunquam, pater.
Sacerdos. Balistam contrectasti. Illiciti non es conscius sanguinis?
Aleph. Quorsum haec, non intelligo. Advorsus hostem pugnavi.
Sacerdos. Absolvo te in nomine sacratissimae Trinitatis. Hostibus et inimicis ignosce. Te universae tuae iniquitatis poeniteat. Memento latronis ad dexteram Dominicam crucifixi, damnatum se iuste dicentis, et advocantis Jesum Christum. De profundis dices. Ita: A porta inferi eripe animam meam, Domine.
Aleph. Et lux perpetua luceat eis.
Sacerdos. Mihi. Dicito: luceat mihi.
Aleph. Luceat mihi? ah, luceat mihi!
Sacerdos. Miserere. Dic potius: misere mei, Deus, et ex tota anima tua misericordi Patri omnipotenti confide. (Exit Aleph)

Beth (ingreditur). Pater, amavi, potavi, rixatus sum.
Sacerdos. Nullum maius facinus?
Beth. Praeter solita iuventutis delicta, nihil quod sciam. Civis bonus sum et amator patriae.
Sacerdos. Nunc ad caelestem, et supra creaturam, fidelium omnium patriam, Christum, qui ipse Ecclesia sua et suorum perfugium, converte spem supremam et animi tui dilectionem. Dicito: in manus tuas. In nomine sacratissimi mysterii Trinitatis absolvo te. (Beth exit)
Daleth. Percussor sum, pater. Militiae carens sacramento pugnavi. Occidere volui.
Sacerdos. Ergo tu scis, quid inter togatum sit et militem?
Daleth. Miles non occidit. Creator creaturam manu militis, id est vulnere, sicut morbo vel casu aliquo, interimit.
Sacerdos. Quis haec te docuit?
Daleth. Mens christiana et bonarum litterarum usus.
Sacerdos. Intelligit facinoris sui vim et naturam. Optio?
Optio. Adsum, abba, ad nutum.
Sacerdos. Hunc sago hostilis legionarii indui, a paganis segregari, et abduci ad captivos militares curato.
Optio. Curabo iussa sedulo.
Daleth. Sed absolutionem religiosam, non capitis veniam a sacerdote precor. Nec vitam ignominiosam miseratione et intercessione vestra, boni viri, ab hoste impetrare studeo.
Sacerdos. Occisor quum sis proximi, ne velis etiam esse tui. Captivitatem, fili, poenitentiam tibi dico.

Summaria Periodicorum

La Bibliographie Mensuelle. Revue des Livres Nouveaux (Paris, Welter), VII, 9: Littérature (Prose) — Littérature (Poésie) — Théâtre — Critique, Biographie, Histoire littéraire — Beaux-Arts — Histoire, Biographie, Archéologie — Géographie, Voyages — Bibliographie, Imprimerie, Librairie — Armée, Marine, Colonies — Sports, Jeux, Automobilisme, Aviation — Economie domestique — Sciences médicales — Sciences naturelles et techniques — Agriculture, Commerce, Industrie, Finance — Droit, Jurisprudence — Politique, Economie sociale — Pédagogie — Linguistique — Philosophie, Morale, Religion, Ascétisme.

Nova et Vetera (Roulers en Belg., Jules de Meester), II, 1: Littérature (Verbockhaven, A propos de la Rhétorique dons Virgile — Claeys Boúúaert, Tite-Live XXII. 4.7: la bataille de Trasimène — Derume, L'éloquence de Démosthène dans les Philippiques — Wallez, L'intuition du Ier livre de l'Iliade — Jamar, Bossuet et le sermon sur la mort de 1662); Histoire (Schollaert, Quelques notes sur l'intuition en histoire); Mathématiques (Gorlia, La division en moyenne et extrême raison); Sciences (Gorlia, Un cours de photographie pour nos collégiens. 7e et 8e — Dechamps, L'enseignement du français à l'école primaire — Jouret, L'arithmétique dans les classes fondamentales); Varia (La commission de réforme — J.-B.-H .. Et Vetera); Revues et Livres.

Die Stimme. Centralblatt für Stimm- und Tonbildung, Gesangunterricht u. Stimmhygiene, VII, 6: M. Ast Die Methode Jaques Dalcroze und ihre Verwertung in der Schule. — v. d. Pfordten, Richard Wagner und die Gesangskunst (Fortsetzung) — K. Dinner, Gesangstheorien u. Gesangsmethoden (Schluss) — J. Manas, Ist die Klage über den Verfall der Gesangskunst berechtigt? — G. Müller, Jaques Dalcroze's rhythmische Gymnastik als Leibesübung — Umschau — Vereine, Kongresse, Versammlungen — Personalnachrichten — Literatur — Neue Erscheinungen u. Arbeiten — Vakanzen.

Catalogi antiquarii

M Götz, München Cat. 57: Class. Phil. u. Archaeol., 1—5070 (Script graeci et lat. 1—3162).

E. Joseph, London — Cat. 18: All Classes of Literature, 1 705.

List u. Francke, Leipzig — Cat. 439: Biograph., Memoir., Briefwechsel, Porträts, 1—2633.

A. Jullien, Genève — Cat. 29: Le Bouquiniste Genevois, 22682—23479 (Livres d'occasion de tout genre .

— Cat. 31: Le Bouquiniste Genevois, 24218—24923 (Livres de tout genre).

W. Foth, München — Cat. 16: Verschiedene Wissenschaften, 1—1623 (Philologie 1266—1359, Latein. 1465—1472).

F. Meyer, Leipzig — Cat. 113: Bibliothek J. Minor II, 1—1492 (Allgem. u. vergleich. Gramm. u. Sprachwiss. 1—226).

— Cat. 110: Philol. u. Kultur, Sprachwiss. etc., 1—3467 (Allgem. u. vergleich. Grammat. 528—694, Wörterb. 714—769, Mittellat. etc. 803—935).

Süddeutsches Antiquariat, München — Cat. 152: Klass. Phil. u. Altertumswiss., 1—4029 (Script. lat. 1189—2380, Humanisten etc. 2381—2463).

J. A. Stargardt, Berlin — Cat. 231: Autographen u. Urkunden, 1—405 (Dichter, Schriftsteller, Gelehrte 96—201) mit mehrer. Facsim. u. Abbild.

E. Carlebach, Heidelberg — Cat. 331: Geschichte I, 1401—2296 (Römer in Deutschl. 1816—1920, Lat. alte Drucke 1975—2019, Auct. 2185—2265).

J. Gamber, Paris — Cat. 80: Athènes,

Rome, Byzance, 1—3302 (Aut. grecs et lat. 1241—1476, Manuscrits 1477—1506).

C. Klincksieck, Paris — Cat. 6: Philologie Class., 1—2183 (Aut. lat. 656—1179, Néolat. 1180—1236).

Mayer u. Müller, Berlin — Cat. 267: Klass. Phil. III, Altertumswiss., pg. 1—59 (Röm. Kunstarchäol. 42—45).

I. I. Lentner, München — Cat. 12: Theologie 1—2785 (Bibl. Phil. 1—434, Patrolog. u. Patrist. 435—617, Hymnolog. etc. 618—937).

— Cat. 13: Rara et Curiosa I, 1—868 (Aldina 17—53, Bibliae 323 360, Curiosa 454—581, Elzevir. 729—740). 41 Abb u. 1 Doppeltaf. 3 M.

K. W. Hiersemann, Leipzig — Cat. 416: Klass Phil. u. Altertumsk., 1—729 (Lat. Klass. 133—208, Neulat. 209—319).

Burgerdijk en Niermans, Leiden — Cat. 50: Phil. Class. et Archéol., 1 - 16441 (Aut. lat. 5580 10076. Néolat. 10077—11365) 548 pg. 3 M.

I. Rosenthal, München — Cat. 43: Bibliotheca Paedagogica II, 3805—6218 (Griech. u. lat. Aut., Manuscr., Incunab., Aldinen etc.)

G. Ragoczy, Freiburg i. B. — Cat. 35: Philos., Paedag., Klass. Phil. etc., 1—1585 (Klass Phil. 509—1068).

I. Hitchman, Birmingham — Cat. 542: Rare, valuable and useful books, 1—290.

Basler Buch- u. Antiquariatshandlung — Cat. 359: Allgem. u. vergl. Sprachwissensch. in 80 Sprach., 1—1775.

— Cat. 358: Klass. Phil. u. Altertumsk., 1—3510 (Lat. Schriftst. 1140—2268, Neulat. 2269—2399)

Speyer u. Peters, Berlin — Cat 27: Ad Historiam Medicinae, Curiosa, 1—411, mit Abbild.

Gilhofer u. Ranschburg — Cat. 98: Autographen berühmter Personen, Urkunden etc. des 15.—20. Jahrh., 1—430.

— Cat. 107: Seltenheit. d. kathol. Theologie, Manuskr., Inkun. 16.—18. Jahrh., 1—145.

— Cat. 110: Autograph. u. Urkund. d. 14. bis 19. Jahrh, 1—452.

O. Harrassowitz, Leipzig — Cat 347: Klass. Phil. u. Altertumsk., 1—2362 (Script. lat. 1477—2146).

W. Jakobsohn u. Co., Breslau — Cat. 248a: Verschiedenes, pg. 1—26 (Class. Phil. 16—21).

— Cat. 248: Verschied. Wiss., pg. 1—74 (Alte Drucke etc. 1 - 11, Class. Phil. 64—69).

Antiquariat Niedersachsen, Göttingen — Cat. 140: Klass. Phil. I, 1—1860 (Griech. u. röm. Schriftst., Neulatein. etc.).

W. Heims, Leipzig — Cat. 21: Verschied. Wiss., 1—553 (Sprachen 485—509).

Gilhofer & Ranschburg, Wien — Cat. 110: Autograph. u. Urkund. d. 14—19. Jahrh., 1—452.

Paul Alicke, Dresden *) — Cat. 90: Hannibalis, Phoenicum, Romanorum historia, 1—702 De Charthag. hist. 1—471, Lit. graec. et roman. 472—702.

*) Hic quoque bibliopola latina, ut decet antiquarium, lingua utitur in libris suis commendandis: Hoc catalogo collectio pretiosissima librorum a viro doctissimo O. Meltzero Dresdensi, professore et rectore gymnasii Wettinensis, multos per annos maximo cum studio conquisitorum offertur. Omni animo et meam librariam ad libros veteres procurandos commendo et viros doctos adhortor ut mihi de libris singulis et de bibliothecis vendendis condiciones ferant. Omnes catalogos libenter impendio meo mittam.

Libri libellique censurae causa missi:

Wein, Weib und Gesang. Anthologie der antiken Lyrik mit deutscher Umdichtung und Nachdichtung. Gesamm. u. her. v. F. Krosta. Stettin, L. Saunier, 1913. 116. 1.75 (2.75) M.

Alumnats-Erinnerungen eines alten Lateiners. Zu Franckes Stiftungen (1867—75). Berlin-München, R. Oldenbourg, 1913. 86. 1.50 M.

E. Brand, Zur Reform der humanistischen Gymnasien. Kritik der Vorschläge seit 1891 und Anregungen. Bamberg. C Buchner, 1913. 101. 1.80 M.

Jones-Appleton. Perse Latin Plays. Original Plays for the Teaching of Latin etc. Cambridge, W. Heffer & Sons. 1913. 67. 1 sh.

G. Budde, Das deutsche Gymnasium. (Schriften der Kritischen Tribüne über Politik und Zeitfragen: 6). Leipzig, H Wehner, 1913. 62. 0.80 M.

Nova et Vetera. Ière Année: 1—4. Roulers, Jules de Meester, 1912. 556. 6 frc. (Belg.), 8 frc. (Etranger).

W. Votsch, Memorierstoff zur lateinischen Syntax I. Progr. Magdeburg, 1912. 34.*)

P. Linde, Die Fortbildung der lateinischen Schulgrammatik nach der sprachwissenschaftlichen Seite hin. II Wortbildungslehre. Progr. Königshütte 1912. 22.*)

F. Gündel, Nida-Heddernheim. Populär wissenschaftlicher Führer durch die prähistor. u. röm. Anlagen im „Heidenfelde" bei Heddernheim. Frankfurt a. M., M. Diesterweg, 1913. 74, m. 20 Abb. u. 1 Karte. 2.50 M.

E. Heikel, Adversaria ad Ciceronis de consulatu suo poema. Diss. Helsingforsiae 1912. 93.

Catulli, Tibulli, Propertii Carmina a Mauricio Hauptio recognita. Ed. sept. ab J. Vahleno cur. et a Rud. Helmio edita. Lipsiae ap S Hirzelium MDCCCCXII. 371. 2.80 4) M.

O. Hertel, Ludwig Hertel. Auswahl aus seinen Gedichten. Mit Vorwort v. J. Bühring. Strassburg, K. Krauss, 1912. 88. Pr. ?

*) Programmata scholarum, dissertationes aliaque similia emere cupientibus enixe commendari velim Gustavum Fock, bibliopolam Lipsiensem, qui cum is sit, ad quem omnia huius generis scripta confluant, aequis quaecunque desiderantur pretiis potest suppeditare. Red.

P. H. Damsté, Solatiolum. Carmen in certamine Hoeufftiano magna laude ornatum. Amstelodami, J. Muller, MCMXII.

E. Zeller, Flores quos in horto Divi Augustini decerpsit et in fasciculos redegit. Stuttgartiae, D. Gundert, 1912. 102. 1 ℳ.

Kinzler, Klassisches Immergrün. 284 latein. Citate nach Sinn u. Anwendung erklärt. 216. Ibidem, 1900. 2 ℳ.

K. Kunst, Die sogenannte relative Verschränkung und verwandte Satzfügungen in ihrem Verhältnis zum deutschen Satzbau. Progr. Wien, k. k. Staatsgymn. 1908. 35.

Meissner-Stegmann, Hilfsbuch für den lateinischen Unterricht der oberen Klassen. Leipzig, B. G. Teubner, 1910. IV + 132. 1.60 ℳ.

Radtke, Materialien zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische für Gymnasial-Primaner und Studierende der Philologie. Ibidem, 1891. 3. verm. Aufl. VIII + 189. 2.40 ℳ.

P. Dietrich, De Ciceronis ratione etymologica. Diss. Jenae 1911. 51.*)

M. Schlossarek, Die sprachwissenschaftliche Methode und der Lateinunterricht der Sexta. Progr. Kattowitz 1912. 70.

Novum Testamentum Latine. Textum Vaticanum cum apparatu critico ex editionibus et libris manu scriptis collecto imprimendum curavit D. F. Nestle. Ed. alt. recogn. Stuttgart, Privil. Württ. Bibelanstalt, 1912. 657 cum tab. geogr. Pr. ?

Lateinisch-deutsche Absolutorialaufgaben an d. bayrischen Realgymnasium 1892—1912. Herausg. v. F. Holler. 2. Aufl. Nürnberg, F. Korn, 1912. 16.

A. Voss, Richtige Betonung der Botanischen Namen. 2., durchges. und wes. verm. Aufl. Berlin, Vossianthus-Verlag, 1913 12. 1 M.

W. Pickert, Verzeichnis der Lehrerbücherei. II: Klass. u. Neuere Sprachen. Progr. Stolp 1912. 33.

Sententiae latine reddendae:

Frauen sind sehr häufig mit einer geradezu verblüffend schnellen Auffassung und einem Scharfblick begabt, der dem Mann fast wie eine Offenbarung vorkommt. Ganz verzwickte Verwickelungen durchschauen sie oftmals mit einem Blick, rätselhafte und verschlossene Persönlichkeiten lesen sie sozusagen wie ein aufgeschlagenes Buch, einen total verfahrenen Wagen wissen sie manchmal ganz behend auf das richtige Geleise zu schieben. Und in sehr vielen Fällen sind sie von einem zuversichtlichen Wagemut beseelt, der dem bedächtig abwägenden Mann zu seinem Nachteil fehlt.

Nicht nur Geschäftsleute aller Branchen haben das dankbar anerkannt; auch Beamte, hohe und niedere, Gelehrte und Künstler, Staatsmänner und Diplomaten haben rückhaltslos eingestanden, daß sie der verständnisvollen Teilnahme und Hilfe ihrer Frauen alles oder das meiste an ihren Erfolgen verdanken, daß die Frau es war, die sie an der geeigneten Stelle, je nach Lage der Sache, vorwarts trieb oder zurückhielt, und daß sie in jedem Falle gut taten, wenn sie ihrem Rate folgten.

Unser großer Bismarck sprach es offen aus, seine Frau habe ihn zu dem gemacht, was er war. Zwei andere bedeutende Staatsmänner, Gladstone und Lord Beaconsfield, waren stets bereit, den Rat ihrer Ehefrauen einzuholen und zu befolgen, und bezeugten unverhohlen, wie glückliche Erfolge das für sie gehabt hatte. **Klara Düsterhoff**

Huic penso qui satisfecerit optime, gratis accipiet libellum:

Jones-Appleton, Perse Latin Plays. Cambridge 1913.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M (4.80 Cor.); singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), *pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,* Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., *Baustrasse 10.*

Nomina et domicilia
eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — H. Bigot, Prof. Instit. Carthag., Tunis — Dr. H. Brand, Prof. Gymn., Hagen — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislau — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. Th. Elsaesser, Maredsous — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — F. Gustafsson, Prof. Univ., Helsingfors — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univ., Leiden — Dr. E. Heikel, Helsingfors — V. Hertel, Parochus, Friedelshausen — Dr. J. M. Hoogvliet, Doc. priv., Haag — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — F. J. M. Joseph, Hilversum (Holl.) — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. L. Laurand, Canterbury — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — P. Recanatesi, Prof., Osimo — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univ., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach — Dr. St. Székely, Prof. Gymn., Budapest — J. Tasset, Tonnerre — Dr. H. Weller, Ellwangen — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Typographus: Carolus Wichert Chemnitziensis.

SCRIPTOR LATINUS

Menstruus Ad Linguae Latinae Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Annus IX: Numerus X

— **Procurant negotia** —

in Britannia: D. Nutt, Foreign and Classical Bookseller, London W. C., 57—59 Long Acre,
in Italia: Succ. B. Seeber, Libreria Internazionale, Firenze, 20 Via Tornabuoni,
in Nederlandia: N.V. Boekhandel, voorh. Gebr. Belinfante, Den Haag, Kneuterdijk 3,
in Russia: K. L. Ricker, St. Petersburg, 14 Newsky Prospekt.

Summarium:

Redactor: Voldemarus Lommatzsch, Bremiportensis
Editor: Hans Lüstenöder, Francofurti ad Moenum

Scriptor Latinus

Menstruus Ad Linguae Latinae
Humanitatisque Studium Colendum Commentarius

Ann. IX Francofurti a. M., Mense Iulio MCMXIII Num. X

Lectores Benevolentissimi!

Iusto diutius iam molestissimum illud »libero prodit tempore« legitur in cuiusque numeri nostri operculo nec pauci lectorum, quid causae esset, cur segnius Scriptor ederetur, quaerentes vehementissime simul, ut huic mederemur incommodo, petiverunt. Sunt hi fidissimi certe et qui maxime student faventque rei nostrae amici nec est, cur benigno eorum erga nos animo non gaudeamus — errant tamen, si putant nostram esse culpam, quod non statis semper temporibus commentarius noster potuerit prodire. Quot enim quantaeque tali, qualis Scriptor Latinus est, ephemeridi obstent difficultates, hoc nisi qui ipse rem expertus est, non potest suspicari. Nam qui, ut pauca afferam exempla, discipulis scribunt, qui sacerdotibus, qui philologis, ii ut habeant, a quibus legantur, non ita magno opus est labore: necessarios esse eorum libellos nemo dubitare audet, nemo negare. Probantur illi, laudantur, commendantur: nonne supervacaneum esset plures in divulgandos eos facere impensas? —

Longe alia nostra conditio est. Nobis ex omnibus hominum ordinibus quaerendi sunt lectores, quippe qui non certo cuidam generi folia publicemus, sed iis, qui singulari literarum antiquarum amore flagrantes eodem quo muneri suo satisfaciunt studio subsecivis quoque quae vocantur operibus tradere se amant, persuasum habentes haec demum studia vitae humanae decoris quidpiam afferre atque honoris. Ita sane pauci admodum sentiunt saeculo hoc nostro ad utilitatem quaestumque omnia revocante. Quid igitur mirum, quod plurimi eorum, ad quos numeros mittimus inspiciendi cognoscendique causa, ne uno quidem verbo dignos iudicant illos, cum levissimi saepe generis scripta summis ab iisdem laudibus extollantur?

Tamen nostro quoque commentario, ut conscriptorum qui vocantur index demonstrat, summae auctoritatis viri exstiterunt patroni nosque iniuste faceremus, si non grato animo eorum de nobis merita agnosceremus. Desunt vero, qui audiant praeconia nec prius longius res nostra progredietur, quam si suo auxilio, sua opera, sua contentione opus esse unusquisque intellexerit nostrorum. Creare nos prius lectores oportere scripsit Avellanus, vir multorum experientia annorum edoctus.

Nos, qui praesumus operi, hodie quoque ne minimum quidem lucrum trahimus ex commentarii nostri publicatione, id quod non quereremur, dummodo amicis nostris sine ulla spe quaestus nos adiuvantibus aliquantulum saltem mercedis persolvere possemus. Accedit, quod omnium rerum pretia mirum in modum hos per annos non aucta solum sunt, sed cotidie etiam augentur. An quicquam restare putatis ex parvo annuae

subscriptionis pretio, si omnia typographis, chartariis, tabellariis, bibliopolis, tum iis, qui venditorios nuntios inserunt actis diurnis vel ephemeridibus, vel qui alii sunt negotiorum nostrorum procuratores, si omnia his solverimus impendenda? Ac tamen commentarii nostri menstrui non maiore hodie veneunt pretio quam tum quum primum in orbem evolarunt. Mansit pretium, quamquam paginae in quadruplicem sunt numerum auctae, tota libellorum et indoles et forma amplificata inque melius, quod quidem speremus, mutata. Num immodestum igitur videbitur consilium denos tantum singulis annis numeros edendi?

Hoc ergo nobis proposuimus, ut, qui hodie in manus vestras venit, fasciculus anno huic nono finem imponat. Non est alia mutandae conditionis nostrae ratio. Novus autem annus ita instituetur, ut quinta quaque hebdomade Scriptoris Latini numeri emittantur primusque eorum prodeat mense Augusto. Titulus et index alteri novi anni numero adicietur.

Vos vero, carissimi lectores, in quibus omnis et spes est et auxilium nostrum, pergite eandem quam ante nobis praestare fidem! Este memores non de nobis rem agi, sed de dilectae nostrae linguae latinae cultu atque propagatione!

BREMIPORTU et FRANCOFURTI a. M., mense Iulio

Editor et Redactor Scriptoris Latini.

De Mari eiusque Incolis *)

(K. W. Osterwald, Lateinische Übersetzungsproben. Progr. Merseburg 1858.)

Parum cognitos etiamnunc habemus absconditos profundi horrores. Etiamnunc Oceanus insatiabilis innumera devorat animalia. Est enim fallaciae plena tranquillitas maris, cuius amoenc sub aequore bella geruntur sempiterna. Non ut priscis illis temporibus Oceanus Tellurem uxorem suam mansueto amore amplectitur, sed deum maris esse cognoscimus deum pugnarum, odio perpetuo cum solida continente rixantem illum et luctantem, qui tum ipsum, quum placide dormire videtur, vires etiam vehementissimas vel summo labore intendat. Undarum tibi videris placidam audire murmurationem circa candidas arenas ludentium: at ubi oculos illuc adieceris, monstrum ingens ad animalis instar spirans et anhelans conspicies. Ut fonticulorum rivuli numquam cessantes dies noctesque per rupes truncosve feruntur, ita ne Oceano quidem ingenti otium aut requies datur.

Sed non solum crassi huius et concreti aeris, qui est terrae proximus, vi et pondere ingens maris aequor depressum modo zephyrorum flatibus ventilatur, tempestatum modo vehementia conquassatur. Quid? fluctus vel turbinis furoribus saevis exagitati vel Typhonis atrocitate et iracundia convolsi quum tumore insurgescunt, nonne levissimum id putandum est prae motu ingenti illo quidem, sed tacito ac certis legibus facto, quo tolluntur ad caelos, ubi Deus densis aquas conligat nubibus, unde expediti fluant rursum ad ima telluris?

Solis candidi aestu quum fluctus frigidi calescunt, innumeri salis liquores ex Oceano surgentes a nullo umquam mortalium conspecti vi ventorum in aethera caeruleum evehuntur. Sed brevi inde ad obeunda munera revocantur. Nubeculis enim candidis conlecti hunc terrae globum ambiunt primum, deinde delabentes saevissima modo tempestate omnia frangunt et pessumdant, opportunis modo pluviis nova agros fecunditate spargunt, vel placidius etiam concretis roribus in rosis micant adapertis et foliorum florumque omnium sinus velut pulchra quaedam pocilla potu ministrant divino.

*) Haec commentatio praeclarissima, quam olim scripserat Schele de Verl, Universitatis Virginiensis professor, in Putnami Ephemeride Menstrua (Putnam's Monthly), germanice publicata est ao. 1855 in commentario „Magazin für die Litteratur des Auslandes", unde in latinum partes eius transtulit Osterwald, professor gymnasii Merseburgensis.

Ibi avide Tellus sitiens aquas caelestes haurit, quas mille per venas in ima praecordia demittens viscera vasta et absconditos recessus ita complet, paullo post ut quam copiam divini muneris capere nequeat salutarem, per fauces eam hiatusque emittat fonticulorum murmure blandissimo effluentem. Iam rivulus rivulum excipit, qui laete montibus decurrunt, magnis vero amnibus conlecti vel ingenti strepitu per rupes immanes super abrupta locorum praecipitantur, vel leni tractu aquarum moles per camporum declivitatem devolvunt hominibusque submittunt, quorum divitias ferant vehantque, priusquam in parentis communis, Oceani omnia amplectentis, sinum ipsi revertantur.

Quam tacite, quam tranquille Natura in immensa domo sua operatur! Nullo vel audiente vel vidente ingens ille aquarum tumor ex vastis terrae maribus surgit, qui ut ex Oceano in nubes evehatur, opus est universi quem sol terrae impertitur caloris parte tertia. Qui vero sublatus est viribus quam quis cogitare possit maioribus, is pluvia relabitur salutari ac vel rivuli aquis molam agit vel facili itinere terrarum partes coniungens ingentia vehit onera. Oceanus vero, quum sua recipit, unum conficit ex magnis illis motibus, quos in aquae terrae aeris vicissitudine perpetua exercere coactus est.

Ac ne legitimis quidem finibus Oceanus ingens coercetur. Qui licet non spumae, non nebulae, non fluminis vicibus circumagatur, licet quasi somno sepultus Tellurem magnam amplectatur, non est tamen virium extra se positarum expers. Etenim vim illam divinam et obscuram, qua soles cum solibus, cum stellis autem stellae continentur, cometae vero per caelos volitantes ad medium locum referuntur nubiumque moles immensae in unum conglobantur — sed vim illam, qua corporibus corpora attrahuntur, necesse est etiam ad aquam pertinere, quae Solis et Lunae numinibus impulsa cursum alterum circa terrarum orbem currit.

Nearchi socii quum Alexandri Magni auspiciis ad Indi ostia venissent, nihil magis in terra singulari et admirabili sunt admirati, quam aestus marinos aequabiliter et accedentes et reciprocantes, id quod domi suae in Asiae vel Graeciae oris nullo umquam tempore potuerant observare. Qui quamquam breve tantum tempus illic morati sunt, inauditas tamen maris illas vicissitudines cum lunae luminis crescentis et decrescentis temporibus aliquo modo cohaerere intellexerunt. Nam licet lumine illis oris

lux plena luna luceat lenissimo,

vim tamen adhibet tacitam illam quidem, sed, quoniam propius abest a terra, etiam sole magno potentiorem, qua in Oceani australis vastitate aestus marini in pedum paucorum quidem altitudinem tolluntur, sed ima profundi ita concitantur et exagitantur, quasi fluctus cum sideris trans caelum volantis vestigiis vinculis vincti essent aheneis.

Illa vero maiora et mirabiliora, quae vasti sub aequoris placida latent tranquillitate. Inconsultum hercule et socors genus hominum rate fragili et levi trans maria currit, qui non volvunt animo, infra se in profundo saltus uberrimos ac pascua viridantia posita esse ad radices montium immanium, quorum vertices navicularum trabem tangunt montiumque ignivomorum, qui terrae motibus sub mari excitatis consurrexere.

Ita est: etiam pontus suos habet montes et valles, nunc aridas et nudas, nunc herbarum luxuria pullulante distinctas. Neque vero ullo continentis terrae loco inaequalitas est tanta, quanta sub aequore conspicitur.

Ac ne illud quidem, quod vulgo putant: continentem terram sibi constare, mutari semper naturam maris, satis certis argumentis potest comprobari. Immo mutari semper terram, constare aquam physici recentiores demonstrarunt. Oceanus enim quum aequoris eandem semper servet altitudinem, fundum tantum, ut continens montes vallesque, assurgentem habet et declivem. Quam crescendi et decrescendi vicissitudinem etiam suis quibusdam temporibus fieri observatum est in Oceano australi. In decrescentium quidem terrae partium numero refe-

renda est Hollandia nova, quae tantum abest, ut pro terra recenti vel adolescente sit habenda, ut insula vetus et senescens cum plantis ferisque suis portentosis et omnibus omnium terrarum dissimillimis ab Oceano minutatim conteri et in profundo demergi putanda sit.

Et est sane divinus et miraculorum plenus pontus ingens. Hinc altae horrent voragines, saxis maximis naviumque celsarum fragminibus foedis atque hominum cadaveribus refertae: hinc tormenta limo lutoque tecta et cistae auri plenae iuxta ossa innumera exstant: hic nauarchi fortissimi calva propter testudinis maximae crustam fractam putrescit: hic balaenarum venatoris iaculum nullum iam odium exercens iuxta belluae marinae dentes haeret albentes, pisciumque greges frequentes in sericorum sarcinis pretiosissimis volutantur, quos supra minutissimarum myriades mutae scaturiunt animalcularum, ingens vero balaena et squalus edax harengorum piscium spissa agmina urgent. Hic pontus fervidus contra scopulorum prodigia importuna surgit, illic super arenas candidas leni modicoque lapsu segnes aquas ducit. Matutino quidem tempore fluctus irati in Alpium sub mari positarum nuda cacumina exaestuant vel per saltus vetustissimos stridente flumine illiduntur; vesperi vero cursu tacito super voragines immensas labuntur, quasi timentes, ne ad inferni tenebras perpetuas detrudantur, unde caeci fragores audiuntur, quum aquae clausae gemunt subter et fremunt, non dissimiles illae quidem daemonibus infaustis, qui sunt in infernarum faucium horroribus vinculis vincti perpetuis.

Et est hercule Oceanus quasi vastum quoddam et immensum ossuarium. Millies illic millena animalium cadavera putrescunt vel in struem congesta vel coacervata vel dorsis denique continentibus et perlongis iacentia. Neque umquam subter undas tenues et pellucidas pax est, sed sunt caedes illic perpetuae pugnaeque tam feroces, ut iram asperrimam et saevissimam in profundi animalibus frigidis brutisque flagrare putes. Illic vita non servatur nisi necando. Leones tigres lupi marini ad immanem magnitudinem in vastis maris antris adulti cotidie animalium minorum greges et genera devorant; polyporum et medusarum turbae aranea texunt, quibus bestiolarum improvidarum myriades capiant; balaena vero sexcenties millena singulis haustibus animalia minuta quidem, sed tamen viventia absorbet; Xiphias piscis, quem et gladium appellant physici, et phoca iubata venantur belluas marinas, quas ob corporum magnitudinem Oceani australis elephantos et rhinocerotas appellaveris, et bestiolae parasiticae blattis tineisque similes frequentissimis agminibus in thynnum irruunt, adiposum piscis illius abdomen corrosurae. Ita omnia illic venantur, omnia occidunt trucidantque. Sed tacite pugnant. Quid enim? classicumne illic canitur? an paventium anhelitus perpetua maris obturbant silentia? an conclamatae victoriae voces laetae per vitreas in lucem undas eduntur? Tacita et caeca in occulto profundo bella depugnantur, raro aut undis fractis locum pugnae cruentatum adaperientibus, aut balaena moribunda ingentia latera inflante et aquarum cum sanguine mistarum radios in altum ebulliente.

Alexandri Petoefii carmen „Im tiefen Tale"

latine reddidit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.*)

Im tiefen Tale meine Hütte steht,
Dein Prunkpalast ragt mächtig himmelan — —
Um Dich, o Mädchen, seufz' ich früh und spät,
Dass ich empor zu Dir nicht klimmen kann.

In ima valle casa mea stat,
Ad caelum tua turris enitet — —
Me, o puella, maeror cruciat,
Eniti quod ad te sors prohibet.

*) conf. pag. 117.

Doch wenn emporzuklimmen mir verwehrt:
Was hindert Dich, dass Du herunterziehst?
So wie die Sonne sich zur Erde kehrt,
So wie die Quelle sich ins Tal ergiesst.

So wie vom Himmel kommt der goldne Strahl,
So wie der Silberquell zur Tiefe fliesst:
So komm auch Du zu mir herab ins Tal —
O komm, o komm, dass Dich mein Arm umschliesst!

Beglückender wär' Dir der Aufenthalt
Hier unten als dort oben in den Höh'n:
Auf Bergeshöhen ist es öd' und kalt,
Im tiefen Tale mild und frühlingsschön.

Kommst Du herab, wirst Du den Frühling schaun,
Des Liebefrühlings wunderbare Pracht,
Nicht jenem gleichend, dessen blüh'nde Au'n
So lang' nur prangen, als die Sonne lacht.

Der Herbst erscheint, die Erd' wird schlummermüd',
Der Winter haucht die Blumen tödlich an;
Mein Liebesgarten so verborgen blüht,
Dass ihn der Winter nimmer finden kann.

Willst, Mädchen, Du den Garten? kommst Du bald
In meine Hütte? eng und winzig zwar;
Doch sie genügt für uns zum Aufenthalt,
So wie das kleine Nest dem Vogelpaar.

Komm, Mädchen, komm und lass zurück Dein Gold!
Nach Deinem Golde sehnt sich nicht mein Sinn;
Denn sag', was all der Prunk Dir nützen sollt'?
Dein Herz verdunkelt ihn ja ohnehin.

Eniti sed si mihi non est fas:
Te quidnam ne descendas impedit?
Sol ut se vertit ad terrigenas,
Fons ut in vallem raptim defluit.

Ut aurei de caelo radii,
Ut unda se demittit albula:
In vallem sic ad me tu deveni —
Ut te complectar, ad me propera!

Beatior hic infra viveres
Quam supra, monte super arduo:
Sunt montes frigidi nec hospites,
Vernali vallis tepet zephyro.

Jam ver videbis, si deveneris,
Amoris ver, o, admirabile —
Non par ornanti prata flosculis
Amoenis, dum sol ridet nitide.

Autumnus instat, terra flaccida
Dormitat, hiems flores enecat;
Amoris hortum mei gelida
Latentem bruma non reperiat.

Vin hortum? mox intrabis casulam?
Dat, quamvis sit dimensa parcius,
Haec sedem nobis sat idoneam,
Ut nidus parvus binis avibus.

Puella, veni tuis aureis
Relictis! auro non allicior;
Quid, oro, faceres divitiis?
Obscurat illas ultro tuum cor.

Sententia

Observa orbem rerum in se remeantium: videbis nihil in hoc mundo exstingui, sed vicibus descendere ac surgere. Seneca

In memoriam bellorum ante hos C annos ob recuperandam libertatem susceptorum

carmina quaedam poetarum Germanorum,
qui tum civium animos excitarunt inflammaruntque,
Latine convertit

Guil. Lehmann Vratislaviensis.

I. Maximiliani de Schenkendorf ‚Freiheit, die ich meine ....'

O libertas cara,
Te desidero!
Veni luce clara
Par miraculo!
Numquam nos adire
Vis pauperrimos?
Ecquid non ambire
Nisi superos?

Arbore virente
Et laetificas
Floreque vigente
Silvas habitas.
O quam te regnante
Dulce vivitur,
Si te susurrante
Curis solvimur;

Blando si sonore
Frondes obstrepunt,
Cari pio more
Si se diligunt!
Sed ad astra prorsus
Tollit animum
Scandens sursum vorsus
Desiderium.

Ex recessu, rura
Tutans, commeas
Orbi monstratura,
Quid persentias.
Namque tibi creant
Hortum, segetes
Etiam duri beant
Terrae lapides.

Ubi cor ardore
Deus imbuit,
Fido quod amore
Patres percolit;
Ubi tutrix morum
Cohors enthea
Extat et honorum:
Gens en libera!

Valla post ahena,
Post custodiam
Stellis mens serena
Ibit obviam.
Mori pro sopore
Patrum, sedibus
Sacris et, auctore
Te, pro Laribus:

Is est fervor verus;
Genas fortium
Rubor ornat merus
Occidentium. —
Velis nos donare
Dei gratia!
Velis occupare
Nostra pectora!

O libertas cara
Te desidero!
Veni luce clara
Par miraculo!
Diva! cultu sano,
Forti, facili
Dudum iam Germano
Faves generi.

II. Theodori Koerneri ‚Vater, ich rufe dich!...'

Invoco, pater, te!
Nubilo sub tormentorum vapore,
Fulgurum subque micantum fragore,
Rector certaminum, voco te!
Duc precor, pater, me!

Duc precor, pater, me!
Seu superabo, seu caesus iacebo,
Legibus tuis, o ere, parebo;
Ut lubet, domine, sic duc me!
Deus, agnosco te!

Deus, agnosco te!
In foliorum brumali stridore
Nec secus in proeliorum furore,
Gratiae caput, agnosco te!
Pater, o, bea me!

Pater, o, bea me!
Animam manibus tuis commendo:
Quam tu dedisti, sis, sume delendo!
Vivum me, mortuum bea me!
Celebro, pater, te!

Celebro, pater, te!
Non de fortunis bonisque luctamur:
Nobis sanctissima ferro tutamur.
Vincens et concidens laudo te!
Tibi do, Deus, me!

Tibi do, Deus, me!
Diro circumdatus mortis terrore,
Venis e meis fluente cruore,
Tibi, mi Deus, commendo me!
Invoco, pater, te!

III. Alberti G. Methfessel ‚Hinaus in die Ferne...'

Jam foras exite sub sonis cornuum,
Intenti cantate virile canticum!
Libertas orbem perflat valida;
Nos vita laeta iuvat et libera.

Amore fraterno nos omnes cogimur,
Seu Mors nobis instat seu Janus clauditur.
Nos pura movet mens et hilaris,
Studemus omnes unis propositis.

Centurio vivat, qui praeit audax nos!
Hunc sequimur fortes per casus bellicos:
Educit nos nunc ad victoriam
Et olim, fratres, ducet in patriam.

Quem terreant letum vicesque miserae?
Pertaedet pudoris nos et ignaviae!
Ac sacra caede qui ceciderit,
Huic et externa terra paterna fit.

Aedes Mariae Paciferae

ad Albam Dociliam (vulgo *Albissola*) *)

Principem Pacis cecinere sacri
Codices Christum; gerit et Maria
nomen haud dispar, vocitata Pacis
alma Sequestra.

Oppidum Stellam, Ligurum per oras,
atque confinem diuturnus Albam
livor urebat; dederatque silva
litibus ansam.

Iura lignandi sibi vindicabant
invidi cives utriusque castri;
saepe turbabant nemoris quietem
iurgia, caedes.

Arbitros consul Genuensis aequos
misit, at frustra: nihil aequiore
arbiter scito, nihil ipse miles
proficit armis.

Caecus ad pugnam furor oppidanos
urget; indictus locus est diesque
praelio; binas acies agellus
separat arctus.

Arma sunt: querni baculi, gravesque
mallei, falces et adunca rastra,
asciae, palae, trifidoque dente
horrida furca.

Interim matres, pueri senesque,
quique certamen reprobat sacerdos,
ante divinae Genitricis aram,
poplite flexo,

supplices orant (lacrimosa turba)
ne mali quidquam cadat in propinquos,
neve Pax tardet, reditura, bellis
ponere finem.

Mira res! fusa prece vix piorum,
advolat campis, ubi fervet ira,
clara, quae solis radios videtur
vincere, nubes.

Candidam lucem stupuere cuncti;
omnis armorum strepitus repente
cessat; in caelum sua quisque, mirans,
lumina vertit.

Ecce, de nubis gremio, canora
vox sonat Pacem, ter idemque nomen
editur, quod iam cecinere nato
sidera Christo.

Pacis extemplo modulos recantat
centuplex echo, reboantque rursus
ardui montes, riguaeque valles
pontus et ingens.

Ipsa proclamant inimica castra
redditam Pacem; volat hinc et inde
vox salutantum; fremor osculorum
verberat auras;

aera pulsantur sacra, more festo;
vis tonat nitri; loca celsa fulgent
igne nocturno; reducique plaudunt
omnia Paci.

Plura quid dicam? Mariale surgit,
qua patres foedus pepigere, templum,
suave cui Pacis, superis amatum,
nomen inhaesit.

Heu! furunt aevo truciora nostro
bella, quae vano premit Haga nisu;
tu, Parens Christi, precor, Iris alma,
assere Pacem.

FRANC. XAV. REUSS

---

*) Oppidum Albissola, quod Alba Docilia sonabat apud veteres Romanos, situm est in ora pulcherrima maris Ligustici, haud procul ab urbe Genua; ortum dedit Pontificibus Romanis Xysto IV et Iulio II. In parte oppidi montana surgit aedes Deiparae sacra, quae vulgo a Pace nuncupatur.

En huius nominis origo, qualis in priscis loci annalibus accurate describitur.

Inter cives Albanos et Stellenses (est autem Stella oppidum conterminum) saeculo xv, acris exorta erat lis ob incertos limites intermediae silvae. Hinc frequentes rixae, quin etiam praelia et caedes. Frustra magistratus Genuensis, cuius in ditione erant loca, arbitros misit qui iura definirent; ac milites qui rebelles coercerent. Eo tandem simultates devenerunt, ut dies locusque indictus fuerit, quo, per viros universos cuiusque castri, res tota armis decerneretur. Fuit autem dies illa XVIII Octobris a. MCDLXXXI. — Interea, dum pugnaturi conveniunt, matres, uxores, parvuli senesque, qui cum sacerdotibus domi remanserant, templum ingressi, enixis precibus carorum suorum incolumitatem bonamque pacem a Deo implorabant, interposito etiam Deiparae Virginis suffragio. Nec vana fuit eorum deprecatio. Mox enim mira illa contigerunt, quae in carmine memorantur: apparuit nempe nubes lucidissima, quae pugnam intercepit; audita vox est, e nube demissa, quae nomen Pacis ter pronuntiavit; statimque secuta est communis animorum reconciliatio, cuius, ad hodiernum usque diem testis est templum, Virgini Paciferae aedificatum. — Sanctuarii primi custodes fuerunt Fratres Minores, et postea Sodales Augustiniani. — Nuper vero, haec cura tradita est Patribus a SS. Redemptore.

Lin. 1: Is. IX, 6.

62: Id est Consilium Paciferum quod, communi gentium consensu, in urbe Haga apud Batavos constitutum est.

63: GEN. IX, 12—17.

PROGRAMMA

CERTAMINIS POETICI AB ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA EX LEGATO HOEUFFTIANO

IN ANNUM MCMXIIII INDICTI

A. D. IV. Idus Martias in conventu Ordinis Literarii a iudicibus ita est relatum de XXXVIII carminibus, quae ad tempus ei fuerant tradita.

Tria ad certamen omnino admitti non potuerunt, utpote e variis constantia poematiis, quorum nullum legitimum implebat versuum numerum. Eorum hi erant tituli:

Aenigmata; Violae; Simplex. Neque illud quod inscriptum erat *Idyllium*, carmen iam antea ad certamen missum et nunc correctum.

Statim seposuimus ut prorsus hoc certamine indigna carmen inscriptum *De mira ingenii potentia*, carmen cui addita erat sententia, scidulae inscripta, *iocosae datur hora Musae* et illud ipsa nocte obscurius cui nomen *Zephyrus*.

Parum placuerunt haec octo, licet in iis aliquae virtutes apparerent: *Votum Sulpiciae, In bellum Turcicum, Navale duellum; De bello Libyco; Ad Lourdensem Rupem; Roma fatorum sedes; Nugipolyloquidae; Pediculi.*

Multo magis probabantur XV haec, quae non esse in lucem edenda post aliquam demum decrevimus dubitationem: *Trossulus; Cultor maiorum; Res Sacra Poesis; De cruce Christi triumphante; In columnam memorialem; Heroum; Pax; Materna Corda; M. Valerius Corvus; In obitum Ioannis Pascoli; In feminas ius suffragii appetentes; Mortis hymnus; Suprema Caligulae nox; De nativitate Virginis; Alcaicon.*

Restant octo optima, quae libenter publici iuris facimus, lectu iucundissima, vera verorum poetarum atque artificum opera. Eorum titulos sic enumeramus ut quo quodque est praestantius eo posterius nominetur: *Vox patriae; Aeriae voces; Duo insontes; Alma quies; Titanicae interitus; Alumnus Virgilii; In funere Ioannis Pascoli, Amaryllis.*

Post aliquam dubitationem quod inter tria carmina, quae hic ultima ponuntur (Alumnus Virgilii; In funere Ioannis Pascoli; Amaryllis), esset optimum, praestare tamen duobus aliis decrevimus *Amaryllida* carmen egregium, tersum, venustum. Hoc aureo ornandum praemio visum. Aperta scidula nomen prodiit: Raffaele Carrozzari, Mediolanensis.

Septem illa quae proxime ante *Amaryllida* enumeravimus sumptibus legati Hoeufftiani in lucem emittentur, si eorum poetae nobis ante *Kalendas Iunias* scidularum aperiendarum dederint veniam.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus ut carmina latina, non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo *ante Kal. Ian.* anni proximi mittant ad *Hermannum Thomam Karsten*, Ordinis literarii Academiae ab-actis, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transscribendo portabile prelum Britannicum (*typewriter*) adhibebunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur. Hoc *ante Kal. Iunias* fieri debebit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Martio pronuntiabitur; quo facto scidulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami
Ips. Kal. Apr. MCMXIII

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE
Ordinis Praeses

Friderici Schilleri Carmen »Mit dem Pfeil, dem Bogen«

Cantum Gualteri Tellii in dramate »Wilhelm Tell« graece et latine reddidit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis*)

Mit dem Pfeil, dem Bogen	Δι᾽ ὀρεινῆς τόξον	Tela nec non arcum
Durch Gebirg und Tal	φέρων σὺν οἰστῷ	Gestans pervagus
Kommt der Schütz gezogen	βαίνει ὁ τοξότης	Montes transit mane
Früh am Morgenstrahl.	ἅμα τῇ ἕῳ.	Sagittarius.
Wie im Reich der Lüfte	Ὡς αὐρῶν ἰκτῖνός	Auris ut pro rege
König ist der Weih —	ἐστιν ὁ κρατῶν,	Milvus imperat,
Durch Gebirg und Klüfte	οὕτως τοξοφόρος	Per silvosos saltus
Herrscht der Schütze frei.	ἄρχει τῶν ὀρῶν.	Ille superat.
Ihm gehört das Weite,	Πᾶν τὸ εὖρος τόξῳ	Quidquid caedit telum,
Was sein Pfeil erreicht,	ὑποχείριον,	Praeda strenui,
Das ist seine Beute,	ἄγρευμα τὸ ἕρπον	Quidquid volat, reptat,
Was da kreucht und fleugt.	ἐστὶ καὶ πτηνόν.	Est arciferi.

*) Juventus, Ephemeris in Usum Iuventutis Studiosae [Budapest.], IV, 16.

Weinlese

An meinen Freund

Carmen Nardisianum germanice conversum ab Hermanno Weller*)

Sehet, der freundliche Herbst ist genaht mit den süssesten Trauben
Und mit dem lachenden Obst.
Heiss müht alles sich nun: es brauset und schäumet die Lese,
Und der ambrosische Saft
Strömt aus der Traube gepresst an den triefenden Keltern hernieder.
Aller Bestreben ist eins:
Der nimmt Butten entgegen, die andern pflücken die Trauben
Unter dem Rebengesträuch.
Andere fahren mit Wagen herbei und fluchen im Wettkampf
Ein auf das störrische Vieh.
Dort streicht einer den Schaum von dem strudelnden Saft in den Trögen,
Andere giessen den Most
Ein in den bauchigen Krug; sie jubeln des köstlichen Weines,
Heiterer Fröhlichkeit voll.
Helljauchzend durchtobt die herbstlichen Lüfte der Winzer
Bäuerlich derber Gesang.
Andere schwingen den Reigen und summen ein fröhliches Liedchen
Droben im Rebengeländ.
Aber o weh! mein Berg: er trauert verwüstet vom Hagel;
Liebster, der spendende Berg,
Der sonst strotzte von Reben, hat nicht eine einzige Beere
Seinem Besitzer gebracht.
Dir sind am üppigen Strauch saftströmende Trauben gediehen,
Wonniglich lacht dir das Obst.
Soll ich allein nun entbehren des Weins, an der Quelle mich laben?
Sei mir der Himmel davor!
Hat mich die Erde getäuscht, mein Freund, du täuschest mich nimmer:
Teile den Segen mit mir!
Sende dem Darbenden doch von der Fülle der schwellenden Trauben
Oder erlesenes Obst!
Dann, mein Geselle, sind fester geknüpft die Bande der Freundschaft,
Die mich vereinen mit Dir.

*) Cf. num. I huius anni (pg. 9)

Voluptas peregrinandi

Poematium ab A. Carolo lepidissime cantum*) latine vertit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

Sum palans peregre puer,
Non mulcet requies me nisi pervagum;
In strato viridi cubo
Sub lunae placido lumine splendidae.

Sum palans peregre puer,
Quaevis terra brevem me videt hospitem;
Est rivi fario comes
Mi curis vacuo nec propero nimis.

Sum palans peregre puer,
Apte conveniens ad loca quaelibet;
Cum gryllo volucri simul,
Cum malo gracili quolibet avolo.

Sum palans peregre puer,
Ac me Mercurius fortiter adiuvat.
Iam mecum facias iter,
Si desiderio tu caperis viae!

*) In commentario „Phoenix, Zeitschr. für die studierende Jugend" inscripto, Vindob., Num. 4, in quem lectorum nostrorum animos enixe iuvat convertere. Red.

Friderici de Logau (1604–1655) epigrammata nonnulla

selegit et Latine convertit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis

De lingua Latina.

Latina lingua non habet sedem neque
Peculiare, ceteris ut est, solum:
Totius orbis civitas huic contigit.

In vino veritas!

Inesse vino veritatem dicimus.
Ergo quid est cur vituperemus quempiam,
Qui, veritatem discat ut subtiliter,
Tuos frequentat, Bacche, saepius scyphos?

De fame.

Famem esse dicunt optimum coquum. Bene!
Sed hoc dolendum: non potest ipsi sibi
Dulces sapores, ut cibis, apponere.

De avaro.

Avarus et sus pinguis hac re sunt pares:
Non utiles sunt ante quam sunt mortui.

De terrarum dominis.

Deus laborque et, cum data est, occasio
Homines gubernant, universum, tempora:
Est supplicandum rebus adversis Deo;
Occasionem parce praetermittere;
Multus necesse est usque perduret labor.

De patientia.

Levius feres iam, quae ferenda sunt tibi,
Patientiam si sarcinae subiunxeris.

De optima medicina.

Cum gaudio coniunctus et requie modus
Intrare, crede, ianuam medicum vetat.

De viro uxoris capite.

Vir est, ut aiunt, coniugis caput suae.
Putasne Virnam credere hoc? minime! 'Duo'
Inquit 'mihi quid capita? portentum forem'.

De podagra.

Potare vinum te vetat podagra, ne
Cubare neve claudicare debeas.
Haec hercle, credo, maxima est molestia,
Sitientis oris si potestas est pedi.

In Virnulam.

Tanti (quod est fas) nil ubique Virnula
Facit, pudorem quanti et innatum decus.
Hoc, demeretur forte ne per vim sibi,
Uni ex amicis proxime dono dedit.

De Pyrinna.

Pyrinna fax est eaque fax carissima:
Qui non dat, huic lucere amatori negat.

De imperatore Probo.

Auferri mundo Caesar Probus arma volebat.
O! ubi sunt vobis, tempora nostra, Probi?

De fidendo.

Uni fidere sat, non ulli fidere stultum est;
At melius nulli fidere, quam cuivis.

De viduitate.

Cum surrepta foret Troianis incluta Pallas,
Urbi mox labes perniciesque data est.
Sic domus, unde proba effertur demortua coniux,
Usque fere fausta prosperitate caret.

De versibus ex tempore fusis

In pede stans uno centum componere versus
Non potui (laetor!) nec queo nec potero.
Procreat unica nox fungum, nox altera caedit:
Labitur ac fruitur fungus honore parum.

Varia

Authentica Habita Friderici I. Imp.

Habita super hoc diligenti episcoporum abbatum ducum comitum iudicum et aliorum procerum sacri nostri palatii examinatione omnibus, qui causa studiorum peregrinantur, scolaribus et maxime divinarum atque sacrarum legum professoribus hoc nostre pietatis beneficium iudulgemus, ut ad loca, in quibus litterarum exercentur studia, tam ipsi quam eorum nuntii veniant et habitent in eis secure. Dignum namque existimamus, ut cum bona facientes nostram laudem et protectionem omnes mereantur, quorum scientia mundus illuminatur, ad obediendum deo et nobis eius ministris vita subjectorum informatur, quatenus speciali dilectione ab omni injuria defendamus. Quis eorum non misereatur, cum amore scientie facti exules de divitibus pauperes semet ipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt et a vilissimis sepe hominibus, quod graviter ferendum est, corporales injurias sine causa perferunt? Hac igitur generali et in eternum valitura lege decernimus, ut nullus de cetero tam audax inveniatur, qui aliquam scolaribus injuriam inferre presumat, nec ob alterius eiusdem provincie delictum, quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus, aliquod damnum eis inferat: scituris his sacre constitutionis temeratoribus et illius temporis, si hoc vindicare neglexerint, locorum rectoribus, restitutionem rerum ab omnibus exigendam in quadruplum, notaque infamie ipso iure eis irrogata dignitate sua careant in perpetuum. Verumtamen si eis litem super aliquo negotio quispiam movere voluerit, huius rei optione data scolaribus eos coram domino aut magistro suo vel ipsius civitatis episcopo, quibus hanc jurisdictionem dedimus, conveniant. Qui vero ad alium judicem trahere temptaverit, causa etiamsi justissima fuerit, pro tali conamine cadat. Hanc autem legem inter imperiales constitutiones sub titulo „ne filius pro patre“ inseri jussimus. Datum apud Roncalias anno domini MCLVIII mense Novembri (die XXIII.). — Monumenta Germaniae historica. Leges.

ph.

Latinitas recentissima

In actis diurnis, quae Zofingae eduntur in oppidulo Helvetiae, quaedam de Turcis et Urbe ad Cornu Aureum sita commentatio his incipit verbis:

»Allah jacta est! Vivat Allah! Admiranda sane aequitate ac tranquillitate sultanus ille Mehemed V. res oppertus est appropinquantes. Ipse enim et populus eius vitam ad moslemitici quem vocant fatalismi instituerunt rationem, qua, quemadmodum illo indicatur verbo, omnes fortunae casus ut necessarios et irrevocabiles tolerandos esse credunt. Sic Allah voluit, sic iussit: vivat Allah!«

Quis putavit, legimus in actis Basileensibus, latinum illud de iacta alea dictum cum turcico: Allah jasha! coniunctum tale procreare monstrum potuisse!

L.

De saeculo novandi cupido

Eo saeculo vivimus, quod gaudeat πάντα χρήματα φύρειν ἐν τῷ αὐτῷ, ut ait Anaxagoras. Pungit enim novandi mira quaedam libido animos omnium, neque est quisquam sive eorum, qui civilia munera administrant, sive qui rem tractant literariam, qui acquiescere possit in iis, quae usus diuturnus probavit, sanxit ac rata iussit. Ardelionum illa ratio vah, quam late regnat, quam impotenter! immortalem dicas,

quoniam alterius labor infaustus alteri, adeo si suapte natura tardus sit ad res mutandas, labores creat tanto molestiores, quanto gravius est turbata in ordinem redigere, quam componere integra. Nesciunt nostri tranquilli habitare in domibus suis, unde fit, ut meliora sectantes amittant bona, utque formarum reverentia exolescat inter pueros senesque. In litteris autem, si nulla urgeat necessitas, mutare formas aut nomina, hoc est, totam Babylonem inferre in loca, quae culturae diligentissimae ordinisque elegantissimi sedes ac domicilia esse debent. Multa iam ex illo variandi furore mala manarunt in artem dialecticam, gravioribus locum datura, nisi audaciam represseris.

(Bomhard, Lusus aliquot dialectici, 1830)

Pauper ubique iacet . . .

Elisabetham, Britannorum olim reginam, aliquando homo quidam magna inopia laborans oravit per litteras, ut tenuitati suae pecunia subveniret. Regina, quae sermone Latino interdum uti consueverat, perlectis litteris non sine quadam contemptione exclamavit illud Ovidianum: ‚Pauper ubique iacet'.. Homo ille cum hoc comperisset, ad reginam hosce misit versiculos:

In thalamis, regina, tuis hâc nocte cubarem,
Si foret hoc verum: ‚pauper ubique iacet'.

Quo facto regina haud ita moleste ferens hanc impudentiam, summam quandam pecuniae homini mitti iussisse, verum etiam eum monuisse fertur, ut de cubiculis sibi eligendis imposterum minus proterve loqueretur.

Guil. Lhm.

Somnium

[Jones-Appleton, Perse Latin Plays. Cambridge, Heffer & Sons 1913. 67. 1 sh.]

PERSONAE:

MARCUS
PATER MARCI
MATER MARCI
SPECTRUM
MAGISTER LUDI
SEXTUS, discipulus quidam
ANCILLA

ACTUS PRIMUS. Domus Marci.

Marcus. [*Apud mensam sedens*] Non possum facere pensum meum. [*Stilum deiicit.*] Auxilium mihi da, optime pater.

Pater. [*Qui acta diurna legit*] Noli me irritare, pessime: non vaco.

Marcus. [*Submissa voce*] Quam iracundus est! [*Clara voce*] Nolo incommodo tibi esse, sed non longum est hoc mihi exponere: vereor ne magister ferula me percutiat nisi me adiuveris. [*Lacrimare se simulat.*]

Pater. Noli te infantem praestare, sed dic mihi quid faciendum sit.

Marcus. Oportet me narrare de Gallis qui Capitolium ascenderunt, de anseribus quoque qui vigilabant. . . .

Pater. O stultissimum puerum! simplex est res, neque necesse est ut te adiuvem: tace igitur, namque acta diurna mihi sunt legenda.

Mater. [*Quae apud focum vestes suit*] Tempus est dormiendi, Marce: num perfecisti pensum tuum?

Marcus. Nondum perfeci, mater, quia pater non volt me adiuvare.

Pater. Ignavissimus es: quid vis dicam?

Marcus. Oblitus sum nominis Romani militis qui Gallos de summo Capitolio deturbabat.

Pater. O sceleste, abi ad lectulum tuum: epistulae mihi sunt scribendae.

Marcus. [*Susurrans*] Puto eum nescire.

Pater. Quid dixisti, sceleratissime? Abi ad cubiculum sine mora.

Marcus. Sed nondum cenam edi: ieiunus sum.

Mater. Sine eum, pater, pensum suum perficere. Festina tamen, Marce, namque iamdudum oportet te dormire.

Marcus. Non memini nominis: quaeram autem e libro: me miserum! ubi est liber meus? Puto me eum amisisse: rogabo ancillam num eum viderit. [*Tintinnabulo ancillam accit.*]

Ancilla. [*Intrat.*] Nonne tintinnabulum tinniit?

Marcus. Vidistine usquam librum meum?

Ancilla. Vidi sordidum quendam librum qui humi in aula iacet: nescio utrum tuus sit necne.

Marcus. Adfer mihi: puto eum esse meum: [*Ancilla exit ut librum quaerat.*] Utinam perficerem.

[*Ancilla cum libro redit.*]

Ancilla. Hic est liber quem vidi. [*Marco librum dat.*]

Marcus. [*Librum accipit.*] Stultissimam ancillam! Gallicus est hic liber.

Ancilla. Semper negligens es. [*Exit.*]

Mater. Tempus dormiendi est, Marce: da mihi osculum et ad cubiculum abi.

Marcus. Sine me manere paulo diutius, mater.

Pater. [*Stvera voce*] Pare matri tuae, statimque abi.

Marcus. [*Matri suae appropinquans*] Bene dormias: [*Secum loquitur dum ad cubiculum abit.*] Quid me fiet cum ad ludum ivero opere infecto? [*Exit.*]

ACTUS SECUNDUS. Cubiculum Marci.

Marcus. [*Media nocte e somno excitatus*] Quis adest? Paterne an mater es?

Spectrum. Quam dulcem linguam! Loquere iterum, per te deos oro.

Marcus. Nescio quis sis: dic mihi unde veneris et quid velis.

Spectrum. Ab inferis veni, optime puerule: vagor per totum mundum ut aliquem inveniam qui mecum colloqui possit: sed omnes barbari esse videntur quippe qui non intellegant linguam Latinam. Gaudeo tamen quod te inveni. Dic mihi qualem ad civitatem pervenerim.

Marcus. In Anglia es, nosque Angli sumus.

Spectrum. Pessima est regio: semper pluit, vel caligo tenebricosa omnia tegit: vix solem vidi ex quo huc veni: utinam apud inferos essem! civesque vestri stultissimi sunt qui non possint Latine loqui: sed unde accidit ut tu possis?

Marcus. Latinam linguam in ludo disco. Ego quoque gaudeo quod huc advenisti, namque poteris beneficium mihi praebere.

Spectrum. Quam dulce est iterum meam audire linguam: dic igitur quid velis: faciam quodcumque est: sed quid est tibi nomen?

Marcus. Marcus est mihi nomen: quid est tibi?

Spectrum. Manlius sum, qui Capitolinus quoque appellor.

Marcus. O beatum me! nuperrime conabar nomen tuum in memoriam revocare.

Spectrum. Num iam periit gloria mea? quam ingrati sunt homines!

Marcus. Noli irasci: non re vera oblitus sum; e memoria modo exciderat: num re vera is es qui Gallos de Capitolio daturbavit?

Spectrum. Doctissimus es puer, qui non modo Latine loqui possis, sed etiam gesta Romana bene memineris! Recte dixisti, ipse mea manu deturbavi.

Marcus. Velim de hac fabula audire, namque maxime mihi placet. Non multum, puto, afuerunt Galli quin Romam caperent.

Spectrum. Anseres tamen eis obstiterunt quominus id facerent.

Marcus. Dic mihi fabulam ab initio, optime. [*Charta sumpta incipit scribere dum spectrum narrat.*]

Spectrum. Non longum est dicere. Galli enim quamquam ad summum Capitolium advenerunt anseres non fefellerunt.

Marcus. Sed quo modo Capitolium ascendere potuerant?

Spectrum. Romanus quidam antea descenderat ut aquam quaereret, vestigiisque eius animadversis . . . .

Marcus. Quid significat „animadversis"?

Spectrum. Vestigiis visis, vel spectatis. Cum Romani vestigia vidissent, nocte saxum ascenderunt: mox ad summum Capitolium perventum est.

Marcus. Quid sibi volt „perventum est"?

Spectrum. Perventum est a Gallis, scilicet: Galli pervenerunt ad summam arcem, tantoque silentio ad summum evaserunt ut non custodes solum fallerent sed ne canes quidem excitarent. Anseres autem non fefellerunt,

quae res saluti fuit. Namque ego clangore eorum alarumque crepitu excitus, arma arripui ceterosque ad arma accivi, et Gallum, qui iam in summo constiterat, umbone ictum deturbavi. Sed cur scribis?

Marcus. Scribo fabulam ne iterum obliviscar: modo perge narrare.

Spectrum. Alii quoque telis missilibusque saxis perturbabant hostes. Hoc modo Roma servata est.

Marcus. Gratias tibi ago pro tam praeclara fabula: nunc tamen fessus sum; itaque dormire cupio, sed cura iterum venias ut mihi de Romanis narres.

Spectrum. Nihil me impediet quin redeam: nil enim mihi dulcius est quam tecum colloqui: utinam ceteri Angli Latine possent loqui.

[*Marcus dormit, spectrumque abit.*]

ACTUS TERTIUS. Ludus [*postero die*].

Magister. Collige opera domi facta, Sexte: tu tamen, Marce, tuum mihi recita: vereor ne pessime scripseris.

Marcus. [*Recitat.*] Romanus quidam e Capitolio ut aquam quaereret descendit. Galli autem, qui hoc tempore Romam obsidebant, vestigiis eius animadversis, noctu saxum ascenderunt. Mox ad summum Capitolium perventum est, tantoque silentio ad summam arcem evaserunt ut non custodes solum fallerent sed ne canes quidem excitarent. Anseres autem non fefellerunt, quae res saluti fuit. Namque Manlius clangore eorum alarumque crepitu excitus arma arripuit, ceterosque ad arma accivit et Gallum, qui iam in summo constiterat, umbone ictum deturbavit. Alii quoque telis missilibusque saxis perturbabant hostes. Hoc modo Roma servata est.

Magister. Optimum post hominum memoriam puerum! Sine mendo scripsisti: bene scribere potes si modo vis: sed saepenumero animum in praelectione vel non attendis, vel dormis. Hodie tamen tam bene fecisti ut omnibus veniam ludendi velim dare. Licet vobis abire.

Marcus. [*Cum vicino suo susurrat dum abit.*] Hoc non poteram scribere nisi dormiissem!

Censura Librorum

Der Phönix. Illustrierte Zeitschrift für die studierende Jugend. Herausgeber: Prof. Jos. Wolny. Schriftleitung: Dr. J. Rademacher, Wien XVIII., Michaelerstr. 8. Prodit kal. et id. cuiusque mensis. Pretium: 1) in Austria: a) annuum K 4. — b) semestre K 2. — 2) in Germania: ann. M 4.

Res unaquaeque, quae sit quantique videatur aestimanda, ex fine, ad quem dirigitur, pendi ac spectari arbitror oportere. „Phönix" noster, cuius iam in octavo huius anni „Scriptoris" numero (pag. 123) factum est indicium, quid spectet, facile potest perspici ex rebus, de quibus agitur, earumque ratione. Atque percurrenti tibi nonnullos huius anni numeros tanta offertur utilissimarum rerum copia atque iucundissimarum tantaque ad iuvenum animos alliciendos atque tenendos vis, ut affirmare haud verearis, ex multis, qui iuventutis litterarum studiosae causa concinnantur, commentariis vix ullum ita esse compositum, ut „Phoenici", qui „ex flammis oritur" aut plane praeferri aut cum eo comparari posse mereatur — siquidem verum est illud Euripidis (Orest. 234): „μεταβολὴ πάντων γλυκύ" latinumque: „varietas delectat" (mutilatum ex Phaedri fab. Aesop. II. prol. 10.: „ . . . ut delectet varietas") atque tritum illud Horatianum (ars poet. 343 344):

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci
Lectorem delectando pariterque monendo.

Suppeditantur enim seria, utilia, iocosa multa variaque habes commentatiunculas spectantes ad mores conformandos non illo quidem „tristis cuiusdam patrui" (Cic. pro Cael. 11) more sive, ut verbis utar Horatii (carm. III. 12, 3) „patruae verberibus linguae" sed sana ratione memoreque illius: „μηδὲν ἄγαν" („ne quid nimis" Terent. Andria I. 3, 34) atque illius Phaedri (II. 2, 2): „exemplis discimus", qua de causa virtutis exempla interdum nobis ad imitandum proponuntur. His succedunt aliae ad mentem fingendam commentationes, quibus vel de antiquitatis rebus litterisque tum universis tum propriis, — velut: „Auf antiken Pfaden" vel „Thales" — vel de nostri cultus institutis vel de naturae ad varias disciplinas pertinentibus rebus non arido illo molestisque implicato quaestionibus scribendi genere sed florido atque ubere disserunt viri doctissimi. Neque contemnenda aut parvi pendenda videntur esse, quae sub inscriptione „Sprachecke" (Mitteilungen des Allgemeinen Deutschen Sprachvereins) de Germanicae linguae usu variisque sive vocabulis sive verbis publicantur. Sed, ut labor quicunque, ne animus fatigetur atque obtundatur, interdum intermittatur locumque det necesse est ludo atque ioco, ita „Phoenix", huic rei ut prospiciat, et festivas narratiunculas et — sub inscriptione: „Spiel und Scherz" — nonnulla aenigmata atque salse dicta inserit. Quoniam denique iuvenes, quae sentiunt, ea versibus iuvat exprimere, sub inscriptione: „Palaestra" varia de rebus variis carmina a poetis iuvenibus concinnata

percensentur atque probata publicantur. Adde, quod praeter illas, quae commentationibus inseruntur, imagunculas, singulis commentarii numeris imagines artis plenae adduntur iam cognosces magnum quiddam „Phoenicem" spectare, idem, quod gymnasiis, in quibus antiquae litterae traduntur cl. prof. Rupertus Hänni O. S. B., socius in conscribendo commentario doctissimus, statuit esse propositum: animorum apta conveniensque eruditio, non manca quidem illa, quae menti soli, sed quae omnibus animi viribus eo, qui illis congruit, modo satisfacit plena, atque perfecta. Haec quidem, nonne praestantissima viriumque contentione omnium ab omnibus expetenda? Hac vero in re expetenda qui omnem collocant operam, ii nonne summa dignissimi laude? Id unum equidem desidero etiam de Germanicis litteris plura disseri.

F. F.

Bell's Latin Picture Cards, Speculum Imperii Romani, edited, with Vocabularies and Exercises, by Frank S. Granger, M. A., Professor of Classics, University College, Nottingham. Londini: Apud G. Bell et Filios. Pr. 16 chart. 1/3 sh.

Laetissimae fuerunt filiis meis, quorum alter III ae alter II ae classis inferioris ordinis est discipulus, illae horae, quibus chartulas lepidissimas supra dictas primum cognoverunt. Delectabantur autem non solum imaginibus pictis, sed etiam literis latinis typis ibi exscriptis, ita ut ardenti quodam atque insolito studio verba et sententias arriperent. Quae si in libro aliquo scripta vidissent, aegre eos percepturos fuisse satis constat. Nunc vero, cum non modo mera rerum vocabula legerent, sed ipsas res variis coloribus pictas simul viderent, verba quoque latina praeter solitum iis ridebant. Neque perinde atque alias tum tardi erant ad colloquium, sed interroganti mihi de agmine in chartula prima depicto multa cum hilaritate latine responderunt; deinde maior puerorum de iis quoque, in quibus offendebat, interrogare coepit, e. gr. hanc fere sententiam exprimere conatus est: ‚Quid sibi vult, quod miles ille impeditus sic fert scutum, tamquam si in proelio se tegat! Nonne milites in itinere scuta involuta tegimentis inque tergum reiecta gestabant?'

Speculum imperii Romani esse voluit chartularum seriem vir doctus Britannicus, qui eam publicavit. Et profecto spectantes nos deinceps sedecim imagines chartulis impressas omne fere vitae genus antiquorum Romanorum aetatis potissimum Augusti praeterlabitur. Rerum autem copia in duas partes digesta est ea ratione, ut octo priores imagines, quibus partim res bellicae (I—IV), partim vita forensis vel urbana (V—VIII) oculis subiciuntur, ea illustrent, quae apud rerum scriptores, velut Caesarem, Livium, et apud Ciceronem exstant, octo posteriores, quarum pars ad vitam privatam vel rusticam pertinet (IX—XIII), pars describendis ludis circensibus, theatro, convivio res ad vitam urbanam spectantes supplet (XIV—XVI), ea repraesentent, quae apud poetas, ut Vergilium, Horatium, Tibullum, Ovidium occurrunt. Quae imagunculae arte satis eleganti ac subtili eaedemque scienter plerumque depictae sunt ab artifice.

Eorum quae in parte aversa uniuscuiusque chartularum typis exscripta sunt, tres partes distinguuntur: copia verborum, interrogatio, colloquium. Leguntur autem in singulis chartulis trigena aut trigena quina vocabula, ut summa quingentorum circiter vocabulorum efficiatur. ‚Interrogatio' suggerit pauca specimina quaerendi de rebus singillatim; exempli gratia in chartula II a de castris haec:

‚Quae porta ad hostes spectat? Quae porta ab hostibus est aversa? Quomodo vallum exstruitur? Quot vallos fert miles quisque? Quis pro tribunali orationem habet? (Malim: contionem h., vel: contionatur?) Qua nota ducem agnoscis?'

In ‚colloquio' denique argumento ad rem imagine descriptam proposito interrogationes adduntur maximam partem eiusmodi, ut discipuli in respondendo se ipsos esse cives Romanos, v. gr. milites legionarios aut clientes, fingere cogantur. Quae ratio maxime laudanda est. Exemplum proferre liceat ex chart. IX a ‚De aedibus Romanis':

‚Ecce divitis atrium; tablinum, ubi cenatur, trans impluvium videmus!

Prima luce exivimus ad patronum salutandum. Fores autem ianitor custodit, cui, ut limen transire liceat, blandimur clientes. O nos felices, si patronus ad cenam adhibebit!

Si nos in convivium patronus vocet, quid dicamus?

> Quae iocosa tibi in mentem veniunt?
> Quas res coram patrono nos oportet admirari?
> Quomodo sentit ille de hoc rei publicae statu?'

Quid plura? feliciter inventum hoc esse editoris Britannici fatendum est, ad studium cum rerum antiquarum Romanorum tum linguae latinae utilissimum. Omnibus igitur huius linguae doctoribus nova adiumenta quaerentibus ad ieiunitatem doctrinae expellendam discipulisque eorum chartulas enixe commendamus. Vigere etiam Romam antiquam monent et ipsae chartulae et auctoris rei verba haec: ‚The moderns who can neither see nor hear, speak of classical antiquity as dead. But that is their misfortune. It is hoped that these pictures combined with the vocabularies will help those who use them to make Rome live again.'

H. Brd.

Sententiae

Fides supremum rerum humanarum vinculum est. — Quintilianus

Tam miser est quisque quam credit. — Seneca

Libri libellique censurae causa missi:

F. S. Granger, Latin Picture Cards. Speculum Imperii Romani. With vocabularies and exercises. London, G. Bell & Sons. 16. 1/3.

J. B. Pinth, Athalia. Tragoedia de J. Racine converse ex francico in semilatino. Luxembourg, 1913. 48. 1 frc.

W. H. D. Rouse, A First Greek Course. London, Blackie & Son. VIII, 172. 2/6.

H. Rühl, Geheimnisse und Lösungen. Verschied. Anwendung d. Gedächtniskunst. V. 1.—4. Taus. Darmstadt, H. Rühl, 1913. 1 ℳ.

Sprudel-Stopp, Fritzchen Pachte. Aachen. Ign. Schweitzer. 34. 0.80 ℳ.

Comparaison des divers Types actuels de Langues Internationales 1912. (Extraits de ‚La Belga Sonorilo'). Bruxelles, J. Viselé, 1912. 61. 0.75 frc.

Thüringen im Sommer. Ein Buch für Touristen und Sommerfrischler. 3., verb. u. verm. Aufl. W. Loewy, Erfurt. 128. 0.60 ℳ.

W. H. D. Rouse, A Greek Reader. London, Blackie & Son, 1907 VIII, 142. 2/6.

W. H. D. Rouse, A Greek Boy at Home. London, Blackie & Son. VIII, 134, illustr. 3/6.

H. Dragendorff, Westdeutschland zur Römerzeit (Wissenschaft u. Bildung: 112). Leipzig, Quelle & Meyer, 1912 124, m. 16 Taf. 1.25 ℳ.

L. Volkmann, T. Lucretius Carus der Jünger Epikurs (Gymnasial-Bibliothek: 55). Gütersloh, C. Bertelsmann, 1913. 79. 1 (1.50) ℳ.

C. Woyte, Antike Quellen zur Geschichte der Germanen I: Von den Anfängen bis zur Niederlage der Cimbern und Teutonen (Voigtländers Quellenbücher: 15) Leipzig, R. Voigtländer. 80. 0.70 ℳ.

— — II: Von den Kämpfen Cäsars bis zur Schlacht im Teutoburger Walde (Voigtländers Quellenbücher: 52). Ibidem. 120. 1 ℳ.

Catalogi antiquarii

Libreria Samonati, Roma — Cat. 48: Varia, maxime latina, 1-530.*)

Schweitzer u. Mohr, Berlin — Cat. 15: Studenten- u. Universitätswes., 1—229.

J. Ricker, Giessen — Cat. 1912, 9: Gelehrtengeschichte, Frühdrucke etc, 1—1299.

M. Breslauer, Berlin — Cat. 22: Das schöne Buch im Wandel der Zeit. Nebst Anhang: Autographen. Mit üb. 125 Nachbild., teilweise in Seitengrösse, 1—692. 192 Seit. (Kostbare Handschrift. mit u. ohne Miniatur., 1—61, Incunabeln 62—97, Illustr. u. Druckk. im 16 Jhrh. 98—192 4 M.

Basler Buch- u. Antiquariatshandl. — Cat. 345: Literarische Seltenheiten, Erstausg., Bibliophilenwerke etc., 1 837.

W. Foth Nchf., München — Cat 17: Verschied. Wissenschaft., 1—1892 (Incun. 538—544, Philologie 1318—1458.

*) Scribit: ‚Rogamus Bibliothecarum Praefectos ut duplicia opera, si qua habeant, venum nobis offerant'. Idem se latinas dare accipereque literas ait.

Aenigmata

composuit

Guilelmus Lehmann Vratislaviensis.

1

a (top left), *d* (top right), *c* (bottom left), *b* (bottom right)

a	a	a	a	a	a	a
a	a	b	c	c	c	d
d	d	e	f	g	i	i
i	i	i	i	l	l	l
l	l	m	m	n	n	r
r	r	s	s	s	s	s
u	u	u	u	u	u	u

Litterae ita ordinentur, ut quadrati libramenta significent:

1) escam de carne porcina paratam,
2) flumen Italiae,
3) decus conclavis locupletis,
4) urbis Siciliensis nomen antiquum,
5) montem Syriae,
6) urbem Etruriae,
7) magistratum.

Si recte posueris litteras, diagonalis a—b poetae Romani, diagonalis c—d praedii Romani notissimi nomen indicabit.

2

Seu mea membra leges dextrorsum, callide lector,
Sive sinistrorsum semper habebis idem.
Maxima sum navi spes et fortuna coloni;
Ut bene proveniam, supplicat ille deo.

3

Arbor sum nostris multum cantata poetis.
Litterulam mediam si mutas, res fit in usum
Scaenarum fabricata prius, gratissima Musis,
Virginibus, pueris, pastoribus atque colonis.

Ex iis, qui omnia haec aenigmata solverint, duo sortiti gratis accipient libellum

I. C. Wordsworth, Folia Poetica. Cambridge 1913.

Editor Scriptoris Latini: Hans Lüstenöder Francofurtensis
Redactor: Voldemarus Lommatzsch Bremiportensis

SCRIPTOR LATINUS

libero interim prodit tempore mandarique potest per omnes bibliopolas nec non apud ipsum editorem. Pretium annuum est in Germania, Austria, Hungaria, Luciburgo 4 M, in ceteris terris 4.25 M (4.80 Cor.); singuli constant numeri 0.40 M.

Epistulae, manuscripta, libri et libelli, de quibus censurae fiant, aliaque ad concinnationem commentarii pertinentia inscribantur ad Voldemarum Lommatzsch, Bremiportu (Bremerhaven), *pecuniae vero epistulaeque negotiorum causa missae dirigendae erunt ad operis redemptorem,* Bibliopolam Lüstenöder, Francofurti a. M., *Baustrasse 10.*

Nomina et domicilia
eorum qui se socios in conscribendo Scriptore Latino professi sunt:

A. Behrsing, Praec. Gymn., Reval — H. Bigot, Prof. Instit. Carthag., Tunis — Dr. H. Brand, Prof. Gymn., Hagen — T. Chave, B. A., Praef. Schol. Publ., Chicago — Dr. P. H. Damsté, Prof. Univ., Utrecht — Z. Dembitzer, Prof. Gymn., Stanislau — Dr. J. Draheim, Prof. Gymn., Friedenau — Dr. Th. Elsaesser, Maredsous — Dr. H. Geist, Prof. Gymn. em., Darmstadt — F. Gustafsson, Prof. Univ., Helsingfors — H. Hansen, Parochus, Pellworm — J. J. Hartman, Prof. Univ., Leiden — Dr. E. Heikel, Helsingfors — V. Hertel, Parochus, Friedelshausen — Dr. J. M. Hoogvliet, Doc. priv., Haag — E. Hora, Prof. Gymn., Wien — F. J. M. Joseph, Hilversum (Holl.) — J. E. Kenny, Prof. Gymn., St. Paul — Dr. K. Kunst, Prof. Gymn., Wien — W. Lehmann, Rei Vehic. Praep. em., Breslau — Dr. L. Laurand, Canterbury — Dr. H. Ludwig, Prof. Gymn., Stuttgart — A. Nardis, Prorect. Sem., Aquila — F. Palata, Prof. Gymn., Prossnitz — J. Pistner, Rect. Gymn. em., Tölz — Dr. G. Pitacco, Prof. Gymn., Görz — L. L. Podobinski, Prof. Gymn., Neu-Sandec — P. Recanatesi, Prof., Osimo — J. Roberti, Rect. Gymn., Cesena — Dr. W. H. D. Rouse, Prof. Univ., Cambridge — W. Rösch, Prof. Gymn. em., Heilbronn — Dr. C. Roese, Praec. Gymn. em., Giessen — Dr. P. Schmid, a cons. stud., Dresden — R. Schmidtmayer, Prof. Gymn., Budweis — H. Schöttle, Prof. Gymn., Stuttgart — J. Steinbauer, Rect. Progymn., Windsbach — Dr. St. Székely, Prof. Gymn., Budapest — J. Tasset, Tonnerre — Dr. H. Weller, Ellwangen — P. Worms, Prof. Gymn., Meldorf.

Typographus: Carolus Wichert Chemnitziensis